Digitized by Google

6
22-e
86

Cospedij ... Micaelo ... dt et rursus ... matre sua emit.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
23 A
8

bliotheca
Coll. Rom.
t. Jesu

6-22.e,86
6-22-

III III
6 6
A A

Eob. Hessi Epistol. Lib. XII. Marpurg. [illegible]
1593 [illegible]

[illegible]

No. 1054.

OPERVM

HELII EOBANI HESSI FARRAGINES DVAE,

NVper ab eodem qua fieri potuit diligentia contractæ, et in hanc, quam uides formam coactæ, quibus etiam non parum multa acceſſerunt nunc primum et nata & ædita.

Catalogum operum ipſorum uerſa pagella oſtendet.

Acceſſit unicuiq; farragini ſuus etiam index, explicãs quid in ſingulis libris contineatur, & ad quos potiſſimum autor ſcribat.

HALAE SVEVORVM
ANNO XXXIX.

recus. Frf. 1564 8.

Eobanus avait une facilité particulière pour écrire en vers, ce qui l'a fait appeler l'Ovide Allemand. Borr. dit, que ses Elegies sont ce qu'il y a de plus estimable parmi ses ouvrages, et que ... naturel gracieux, chatié ... l'Allemagne n'avoit encore rien produit jusqu'alors de plus agreable. Nic. T. XXI. p. 3..

CATALOGVS OPERVM
Helij Eobani Heſſi

I Bucolicorum Idyllia 17. cum argumentis & annotationibus.

II Heroides iam tertium recognitæ & au[…]æ.

III Illuſtrium ac clarorum uirorum Epicedia, & ipſa aucta & recognita

IIII Item Syluarum libri nouem

V Vrbis Norinbergæ deſcriptio.

VI Expeditio & uictoria in Sueuis principis Heſſi &c.

VII Coluthus de raptu Helenæ & iudicio Paridis.

VIII Loci Homerici inſigniores uerſi

IX Præcepta ſalubria carmine elegiaco ſcripta

X Elegiarum libellus

Index

INDEX EO=RVM QVAE IN PRIORE FARRAGINE OPERVM EOBANI HESSI

continentur, nec non illuſtrium uirorum nomina, ad quos ſcribit.

IN PRIMO LIBRO HEROIDVM

hæ inſunt epiſtolæ.

DEus pater Mariæ uirgini	Fo.	59.
Maria uirgo Deo patri	Fo.	62.
Maria Magdalena Ieſu Chriſto	Fo.	65.
Maria Ioanni		68.
Lydia Paulo		73.
Elizabeth Ioanni Baptiſtæ		77.
IN SECVNDO LIBRO.		
Helena Conſtantino		81.
Paula Hieronymo		85.

Anna Ioachimo 89.
Martha Maximino 92.
Monica Auguſtino 96.
Anaſtaſia Chryſogono 99.
Eliſabetha Ludouico 102.

IN TERTIO LIBRO.

Catharina Chriſto 106.
Thais Paphnutio 110.
Cunegundis Henrico 114.
Barbara Euſebio 117.
Sabina Alexio 121.
Pelagia Nonio 124.
Maria Aegyptia Zozimæ 128.
Dorothea Theophilo 131.
Eobanus Poſteritati 133.
Eccleſia captiua Luthero 137.

IN LIBELLO EPICEDIORVM.

In morte diui Friderici ducis Saxoniæ &c. epicedion Fo. 145.
Guilielmi Niſeni epicedion 147.
Alberti Dureri pictoris Norinbergenſis 150.
Somnium de eodem 153.
Ad pictores ne Dureri laudibus offendantur 154.
Mutiani Rufi 155.
Vlrichi Hutteni equitis ac poëtæ 160.

In fine

In funere clariſſ. Ioannis Reuchlini Phorcen. 162.
Bilibaldi Pyrghaymeri patricij Norinbergenſis 164.
In funere ſummi uiri Mercurini principis Chattinariæ &c. epice. 166.
Gaſparis Nucelij præfecti ærario urbis Noricæ 169.
Hieronymi Ebneri urbis Norinbergæ ærario præfecti ſupremi epiced. 171.
D. Eraſmi Roterodami epice. 175.

IN LIBRIS SYLVARVM AD quos ſcribat.

IN PRIMO LIBRO

Ad sereniſſimum Sigiſmundū regem Poloniæ 182.
Ad Mutianum Rufum 185.
Ad Temonium amantem, de amore 188.
Ad Achatium de fortuna 192.
Temonio Romam abeunti 196.
Ad Bonæmilium 197.
Ad Ioannem Dantiſcum ſecretarium regium 198.
Trebelio poëtæ ut paret conuiuium 200.
In poetam quendam, qui pro Christo Phœbum in carmine inuocandum ſcripſerat ibidem
Ad Sturnum poetam 201.
Ad amicum cur uocetur Helius 202.

IN SECVNDO LIBRO.

Ad Senatum Erphurdienſem pro inſtauranda ſchola collapſa 204.
In ebrietatem 207.
Comparatio Veneris & Bacchi 209.
Ad amici cuiuſdam literas laudatorias reſponſio Ibidem.
D. Georgio Sturtiadæ medico Venetijs agenti 211.
Herebordo Margaritano Ibidem
Ad Bartholomæum Gothium 212.
D. Georgio Sturtiadæ ut Calendas Ianuarij celebret 213.
Georgio Pectio Vorchemio 214.
Ad Iuſtum Ionam 215.
In prælectione Vergiliana 216.
Ioanni Groningo Ibidem.
Ioanni Eccilio 217.
Marco ſuo Ibidem
Martino Huno Ibidem
Ioanni Draconi Ibidem
In æditione hymni paſchalis Ibidem
In diuiſionem Apoſtolorum 218.
Michaeli Noſſeno Ibidem
In foribus Gymnaſii Ibidem.
Petreio Aperbaccho 219.

D. Geor-

D. Georgio Sturtiadæ ab Italia reuerſo ibidem
Michaeli Meyenburgo ſcribæ Northuſano ibidem
Georgio Spalatino ibidem
Euritio Cordo ibidem
In mœſtam uirginis matris imaginem 220.
Ioanni Caſſelimanno ibidem
Cur uocetur rex ibidem
De ebrietate 221.

IN TERTIO LIBRO.

Ad illuſtriß. principem Ioannem Fridericum &c. 223.
Illuſtrißimo principi Guilielmo duci Brunoſuigenſi 225.
D. Henrico Aperbaccho in funere Coſmæ filij epicedion 227.
Ad Ludouicum Chriſtianum 229.
Ad Ludouicum Placentam Meloſingum 230.
Ad Iuſtum Ionam peregre reuerſum 231.
Ad D. Eraſmum Roterodamum 233.
Ad Ionam commiſſa ſcripta repetens 235.
Ad Petreium Aperbacchum ut dialogos ſcribat ibidem.
In prælectione Liuiana 236.
Ad Petreium Aperbacchum 237
Ad Martinum Hunum ibidem.

Ad Ioannem Draconem ibidem
Parthenio Tranquillo Dalmatæ ibidem
Petreio 238.
Ad Michaelem Noſſenum ibidem
Ad Martinum Hunum 239.

IN QVARTO LIBRO

Ad Philippum Melanthonem 241.
Ad iuſtum Ionam ſteriles eſſe muſas 242
Ad Vitum Verlerum 243.
Ad Ioannem Langum 244.
Ad Temonium 245.
Non ſemper curis ac laboribus inſiſtendum 247.
Ad Ionam in hoſtes ſtudiorum 248.
Ad Chriſtophorum Hacum poëtam Lyricum ibidem.
Ad Euritium Cordum 249.
Ad Ioannem Rhagium Aeſticampianum 250.
In profeſſione Chriſtianarum heroidum ibidem.
Ad Valentinum Typelium ne aduerſis ſuccumbat 251.
Celebrat natalem Vergilij 252.
Inuitat amicos ad lætitiam liberioris conuiuij 253.
Ioanni Oſthenio equiti Pomerano 256.
Ad generoſum Hermannum comitem à Noua aquila

aquila ——— ibidem.
Ioanni Oſthenio 257.
Ad recta ſtudia adhortatio 258.
Ad Euritium Cordum ibidem
In libellum quendam de legibus ibidem.
De Marte & Venere amantibus 259.
Ad Michaelem Noſſenum ibidem
Ad Petreium Aperbacchum 260.
Ad Iuſtum Ionam ibidem
Ad Petreium 259.
Ad Antonium Melam. 260.
In poetas qui Heßi cognomen ſibi indiderunt 261.
Michaëli Rotingo ibidem
Ad Antonium Melam peregre reuerſum 262.
Ad Ioannem Groningum Algeſinum ibidem
Canticum ueni ſancte ſpiritus 263.
Ad Martinum Hunum ibidem

IN QVINTO LIBRO.

Ad Ioachimum Camerarium 264.
Ad eundem petit explicari ſibi propoſitum ænigma 265.
Ad eundem rogat remitti ſibi piſcatores Theocriti 266.
Ad eundem cum ſyluas eſſet aditurus 267.
Ad eundem ut natalem Vergilij celebret 268.

Inuitat ad cœnam eundem 268
Ad eundem ut ſcribat ſatyram 269.
Aenigmata quædam Ioachimo propo
ſita ibidem
Ad eundem pro ſolutione ænigmatum ibidem
Inuitat ad cœnam eundem 270.
Oſtendit ſe non poſſe ſoluere propoſita
ænigmata 271.
Inuitat ad cœnam 272.
Ad eundem de ludo Scacorum à Vida poëta
deſcriptum ibidem
Ad eundem Iocus 273.
Hortatur eundem ut promiſſa præſtet ibidem
Non agnoſcere ſe laudes ſibi ab ipſo
tributas ad eundem 274.
Ad eundem quòd optima ſcribant carmina qui
amant ibidem
Ad eundem promittit genethliacon 275.
Ad eundem ut carmina è Theocrito uerſa
remittat 275.
Ad eundem de pſalmo è Dauide uerſo 276.
Ad eundem ut data carmina reddat ibidem
Vt læteturſcripto epithalamio 277.
Reſpondet quid ſentiat de erudito quopiam
hoſpite ibidem

Sebaldo

Sebaldo Heido ludimagiſtro Sebaldino 279
Ad Ioachimum Camerarium ibidem.
Ad Lucam Myſnerum de ipſius nomine 280.
Ad Gregorium Haloandrum ibidem
Ad Othonem Corberum 281.
Iacobo Schonſtero ibidem
Sebaldo Heido 282.
Ad Lucam Myſnerum ſuum ibidem

IN SEXTO LIBRO

Bilibaldo Pyrcaymero 283.
Ad eundem de ſtudiorum contemptu 284.
Hieronymo Baumgartnero 285.
Sebaſtiano à Rothenhan equiti 286.
Ad Ioannem Mylium Herbipolitanum iure conſultum 287.
Sebaſtiano Magno 289.
Philippo Melanthoni 291.
Eximio medico D. Ioanni Magebuccho 292.
Iacobo Micyllo poëtæ elegantißimo 293.
Ad Hieronymum Baumgartnerum de Theocrito à ſe uerſo 295.
Ad Ioachimum Camerarium 296.
Georgio Leucio ibidem
In Arminium Hutteni, Germanis ſcriptores, non res defuiſſe 297.

IN SEPTIMO LIBRO

D.Gaſpari Scheto Antuerpiano 298.
D.Georgio Sturtiadæ 299.
Ad eundem iocus 300.
Matheæ Capellæ philoni ſuo ibidem
M.Henrico duci 301.
D.Ioanni Ficino cancellario 302.
Gaſpari Rudolpho ibidem
Pro ingreſſu in ſcholam Martiburgenſem ibidem
Gaſpari Rudolpho ſuo 303.& 305.
Foribus ſcholæ Martiburgenſis affixum ibidem
In libellum D.Ioan.Draconitis 304.
Petro Nigidio ibidem
D.Matthæo Hardenio iureconſulto ibidem
In librum M. Coruini ibidem
Hermanno Schelo Dano equiti 306.
D.Iudoco Heſſo ibidem
Mattheæ Capellæ 307.
D.Georgio Sturtiadæ ibidem
D.Iudoco Heſſo ibidem
D.Ioanni Groningo rectori 308.
Apud Caſſellas in ſaxo portæ inciſum ibidem
Studioſæ iuuentuti in prælectione Quintiliani ibidẽ

Iacobo

Iacobo Micyllo poëtæ 310.
Bonarum artium ſtudioſis omnibus ibidem
D.Georgio Sturtiadæ 311.
D.Ioanni Ficino Cancellario Heſsiæ 312.
In libellum Ioannis Draconitis ibidem
Gaſpari Rudolpho ibidem
Nigidio & Capellæ ſuis ibidem
In annulum Dryandri 313.
D.Iacobo à Taubenheim ibidem

IN OCTAVO LIBRO

Philippo principi 313.
Iuſtiniano ab Holtzhauſem.V.C.Franco furtano 314.
D.Ioanni Elero iureconſulto 315
Petro Giltnero concionatori Franco furtano ibidem
Ioanni Stygellio ſuo 316.
Principi Philippo pro diſceſſu à Smala Chalcide ibidem
Iacobo Milichio ſuo ibidem
Balthaſſari Reuto eccleſiaſtæ Hereſſeldiano 317.
D.Iacobo Saluechtero iureconſulto ibidem
Gaſpari ſuo Rudolpho ibidem
Iuſto Studæo II.Doctori deſignato 318.
Ioanni Algeſino Groningo ibidem

Matthea Capellæ	314.
Ioanni Groningo & Octacilio	ibidem
Ioanni Franco Fortuno	ibidem
Ioanni Groningo	320
Ioanni Algeſino Groningenſi	ibidem
Super inſignibus clariſsimi Hieronymi Baumgartneri	321.
Ioanni Dantiſco Culmenſi Epiſcopo	ibidem
Ad eundem Ioannem Dantiſcum	322.
D. Danieli Stibaro clariſsimo uiro	323.
In Icona clariſsimi iureconſulti Henningi Gœdæ	ibidem
Mons Annæ	ibidem
Vallis Ioachimica	324.

IN NONO LIBRO.

Reuerendiſsimo principi D. Ioanni Dantiſco &c.	325.
Ad Hieronymum Ebnerum	326.
D. Chriſtophoro Colero V.C. Norico	327.
Michaëli Rotingo	328.
Ad Ioachimum Camerarium ſuum	328.
D. Ioanni Mylio iureconſulto	329
In libellum aſtrologicum Ioachimi	330.
In Poëticam Hieronymi Vidæ	ibidem
Laurentio Vigellio ſuo	ibidem

In plu

In Plutum Ariſtophanis à Thoma Venatorio
uerſum 331.
Andreæ Oſiandro ibidem
Ad Gregorium Haloandrum ibidem
Ad Honeſtum 332.
Michaëli Rotingo ibidem
Georgio Hœpello, compatri ibidem
Georgio Gaudero patritio Norico ibidem
D. Hieronymo Baumgartnero V.C. Norico 333.
Chriſtophoro Colero V. Con. Norico 334.
In libellum Georgij Sabini 335.
Vincentio Obſopœo ſuo ibidem
D. Georgio Sturtiadæ ibidem
In menſa ſua Noribergæ 336.
Ad Ioannem Catzmannum ibidem
In foribus Scholæ Erphurdianæ cum è Norico
reuerſus eſſet 337.
In effigiem principis Heſſorum 338.
In effigiem ducis Vdalrici Vuirtenbergenſis
ibidem
D. Georgio Spalatino ſuo 339.
D. Thomæ Granmero regis Angliæ
Legato ibidem

FINIS.

OPERVM
HELII EOBA
NI HESSI FARRAGO PRIOR,

nunc primum ædita.

IN PRIORE FARRA-
gine ſunt.

Bucolicorum Idyllia 17. cum argumentis & annotationibus.

Heroides iam tertium recognitæ & auctæ.

Illuſtrium ac clarorum uirorum Epicedia, & ipſa aucta & recognita

Item Syluarum libri nouem

HELII EOBANI HESSI BVCOLICORVM IDYLlia XVII. iam tertium ab autore ſumma diligentia recognita, & nunc primum argumentis & annotationibus, quæ pro commentario eſſe poßint, illuſtrata.

AD CLARISSIMVM VIRVM D. IOannem Ficinum ab Lichtenauia Illuſt. Philippi Heſſorum Principis &c. à Libellis & Conſilijs ſupremum patronum & amicum incomparabilem ſuum Helij Eobani Heßi Bucolicorum dedicatio.

CVm ſit non tantum patrias Ficine per urbes
Cognita uirtutis prodiga fama tuæ
Cum tua certatim populi præconia linguæ
Laudibus æternis hic & ubiq; uehant
Cum, ſi uera fides populari adhibenda fauori eſt,
Multorum laudes unus habere queas
Et merito cum ſis tam multa dote beatus
Non eſt de meritis fama maligna tuis
Dignus honorata mihi uiſus es eſſe Camœna
Quæ uictura tuum nomen in aſtra leuet

Quam mihi difficilis quoniam natura negauit
  Nec ſatis ingenij uena benigna fuit
Officio uolui præſtare quod arte nequibam
  Illius hæc inſtar, huius & illud habet
Ergo mihi Andino cantata Idyllia uerſu
  Munus amicitiæ fer precor eſſe meæ
Fer precor iſta ſuis digniſsima carmina ſyluis
  Tuta patrocinio nominis eſſe tui
Illa tuæ ſiquidem famæ monumenta dicamus
  In quæ parca nihil iuris habere queat
Accipe florentis luſum Ficine Thaliæ
  Accipe & ætatis iam grauioris opus
Luſimus illa quidem partim iuuenilibus annis
  Quæ nunc biſſeno carmine ſecta manent
Anno. s. æta- Bis duo luſtra duas meſſes mea uita peregit
tis XXII. Quo toga ſylueſtris tempore ſumpta mihi eſt
Nunc eadem decimi tangit confinia luſtri
  Iſtis adijcimus quæ noua ſcripta uides
Hæc tamen hoc illis diſtant quòd grandius audent
  Nec modo Bucolicum concinuiſſe melos
Egreſſæq; ſuis urbeis inuiſere ſyluis
  Tangere & agreſti regia tecta pede
Non tamen oblitæ caulas liquiſſe, nec ultra
  Quàm deceat populo ruſtica uerba loqui
His plura adijciam, faueant modo tempore parcæ
  Et ſi nil aliud certe ego paſtor ero

Sic

Sic tamen et ſyluas, ut nunc quoq;, ſæpe peroſus
Inueniam reges inter & arma locum
Forſan erant qui nos legem ſeruaſſe negabunt
Carminis, exemplo nec potuiſſe trahi
Nulla meas poterit terrere calumnia Muſas
Quo minus efficiant quod meditantur opus
Attamen exemplis ſi res fuit iſta tuenda
Aſpice quàm inuidia culpa ſit iſta minor
Duxit in inſuetas Romana palatia ſyluas
Itala qui Phrygium uexit in arua Ducem
Ipſe Syracuſia prælatus arundine paſtor — Theocritus.
Reges lanigeras concinit inter oues
Alterius linquens Arethuſia flumina, ſummum
Sicelis Auſonium pingit arundo ducem — T. Calphurnius.
Me quoq; conantem paulo maiora, poëtis
Aemula poſteritas, quæ tulit iſta, feret
Sicut enim illorum quondam noua, ſera ſequuta eſt
Sic mea poſteritas me quoq; ſera manet
Ergo age digne mea multo meliore Camœna
Accipe Bucolico carmina facta pede
Quæ ſi quando leges & quæ prior ædidit ætas
Et quæ poſterior, cautus ubiq; leges
Ne prior offendat nimios quòd cantat amores
Et ne poſterior quòd nimis alta ſapit
Sed quoniam ratio tibi reddita ſufficit huius
Nunc etiam alterius cauſa tuenda uenit

Quam mihi difficilis quoniam natura negauit
Nec ſatis ingenij uena benigna fuit
Officio uolui præſtare quod arte nequibam
Illius hæc inſtar, huius & illud habet
Ergo mihi Andino cantata Idyllia uerſu
Munus amicitiæ fer precor eſſe meæ
Fer precor iſta ſuis digniſſima carmina ſyluis
Tuta patrocinio nominis eſſe tui
Illa tuæ ſiquidem famæ monumenta dicamus
In quæ parca nihil iuris habere queat
Accipe florentis luſum Ficine Thaliæ
Accipe & ætatis iam grauioris opus
Luſimus illa quidem partim iuuenilibus annis
Quæ nunc biſſeno carmine ſecta manent
Anno. s. ætatis XXII. Bis duo luſtra duas meſſes mea uita peregit
Quo toga ſylueſtris tempore ſumpta mihi eſt
Nunc eadem decimi tangit confinia luſtri
Iſtis adijcimus quæ noua ſcripta uides
Hæc tamen hoc illis diſtant quòd grandius audent
Nec modo Bucolicum concinuiſſe melos
Egreſſæq; ſuis urbeis inuiſere ſyluis
Tangere & agreſti regia tecta pede
Non tamen oblitæ caulas liquiſſe, nec ultra
Quàm deceat populo ruſtica uerba loqui
His plura adijciam, faueant modo tempore parcæ
Et ſi nil aliud certe ego paſtor ero

Sic

Sic tamen et ſyluas, ut nunc quoq́;, ſæpe peroſus
Inueniam reges inter & arma locum
Forſan erant qui nos legem ſeruaſſe negabunt
Carminis, exemplo nec potuiſſe trahi
Nulla meas poterit terrere calumnia Muſas
Quo minus efficiant quod meditantur opus
Attamen exemplis ſi res fuit iſta tuenda
Aſpice quàm inuidia culpa ſit iſta minor
Duxit in inſuetas Romana palatia ſyluas
Itala qui Phrygium uexit in arua Ducem
Ipſe Syracuſia prælatus arundine paſtor Theocritus.
Reges lanigeras concinit inter oues
Alterius linquens Arethuſia flumina, ſummum
Sicelis Auſonium pingit arundo ducem T. Calphurnius.
Me quoq́; conantem paulo maiora, poëtis
Aemula poſteritas, quæ tulit iſta, feret
Sicut enim illorum quondam noua, ſera ſequuta eſt
Sic mea poſteritas me quoq́; ſera manet
Ergo age digne mea multo meliore Camœna
Accipe Bucolico carmina facta pede
Quæ ſi quando leges & quæ prior ædidit ætas
Et quæ poſterior, cautus ubiq́; leges
Ne prior offendat nimios quòd cantat amores
Et ne poſterior quòd nimis alta ſapit
Sed quoniam ratio tibi reddita ſufficit huius
Nunc etiam alterius cauſa tuenda uenit

Multa meo, fateor, uenus eſt in carmine, uerum
Quàm ferat aut ætas, aut rude carmen amet
Quis non ætati iuuenili indulgeat iſtis
Luſibus & caſto forſan amore frui?
Quis non Bucolico ferat has in carmine nugas
Quo nullum uena ſimpliciore fluit?
Non tamen hic aliquem fruſtra cantamus Alexim
Igne puellari carmina noſtra calent
Adde quòd inculti non ſunt niſi ludicra uerſus
In quibus eſt præter ſepta bouesq; nihil
In quibus ut ludis iuuenilibus omnia conſtant
Sic Venus eſt iuuenum mollibus apta iocis.
Dixeris, at quandam iam nunc quoq; ludis Iolen
Mollis & in quadam parte puella tibi eſt
Da ueniam, non hic noſtri cantantur amores
Sunt ea Sicanij carmina uatis opus — Cyclopē Theocriti dicit.
Plura etiam his dici poterant, quibus iſta fuiſſet
Iudicibus Muſis cauſa peracta ſatis
Sed mihi non libuit, plus quàm licet, eſſe diſerto
Cauſa quòd hæc agitur non aliena mihi
Quam ſi forſan edax urgebit, ut omnia, liuor
Rem non cum pueris ſentiet eſſe ſibi
Tu Ficine tuæ gentis decus, iſta uidebis
Si quando à curis ocia liber ages
Liber ab illuſtris curarum mole Philippi
Quod tibi tam raro uix datur, iſta leges

Illius

Illius iſta legens mirabere utrumq; parentem
Ipſius hic cernes dulce genethliacon
Nam patri indidimus laudati nomen Iolæ
Mater, ut agnoſcas, eſt Galatea mihi.
Sic ego tum magni Guilielmi facta canebam
Mille locis, iſto tempore penè puer
Ipſius hic etiam agnoſces encomia, quem nunc
Gaudet habere ſuum patria noſtra ducem
Quæ nunc aucta magis ſeci uirtutibus aucto
Principe, qui laudes temporis huius habet
Quem mea iam talem depinxit Muſa Philippum
Qualia Pelidæ Mæoni facta canis
Sunt tamen hæc alio nobis cantata libello
Fiſtula paſtores non tuba rauca decet
Qui labor ingrato quoniam fuit ante dicatus
Gratior hoc nobis inueniendus erat
Quem cum te primis ſenſiſſem ſemper ab annis
Fama dari merito debuit iſta tibi
Non tamen hæc ulli ſic ſunt inſcripta nec unquam
Qualia nunc cernis ſcripta fuere prius
Hæc igitur nulli potius Ficine dicarim
Quàm tibi qui patriæ tam decus huius amas.
Huic ego cum dederim primi noua tempora ueris
Autumni fructus debet habere mei
Quod ſupereſt tibi paſtores Ficine dicatos
Quaq; fide debes adſere quaq; potes

ARGVMENTVM PRIMI Idyllij.

PRimum ſuum à patria diſceſſum deſcribit, quo tempore iuuenis adhuc admodum, ad celebretum Erphurdienſe gymnaſium ſtudiorum gratia profectus, primum præceptorem, et eundem itineris ducem habuit Ludouichum Chriſtianum Francobergenſem, in omni ſincera eruditione ac pietate celebrem uirum, quem iccirco hoc primo Idyllio ſub nomine Meliſæi ſecum colloquentem introducit cum ſeipſum Camillum uocet, ad utriusq; cum naturam tum ætatem ipſorum nominum etymo alludens. Neque illud forte ſilentio prætereundum, q, hæc quæ nunc Idyllia ſunt, olim ſub primam æditionem eclogæ Virgiliana imitatione inſcribebantur. Nunc poſteaquam ætate iam prouectiore Theocritum totum Latino carmine conuertit, maluit Idyllia, hoc eſt fere, Imagũculas, & de uarijs rebus parua poëmata inſcribere, uocabulo Latinis forte auribus inſueto, non indigno tamen quod recipiatur. Nec hoc quen quam moueat, q, quidam græce ſcribãt Eidyllion, cum nos I longum pro diphthongo peregrina uſurpemus.

Helij

HELII EOBANI HESSI BVCOLI corum Idyllion primum.

MELISAEVS / CAMILLVS

Alma ſinum uario turgentem germine mater MEL.
Pandit, opes nobis noſtras paritura Camille
Quæ mater? quas promit opes? quo germine (turget? CAM.
Non ſic paſtores noſtri Meliſæe loquūtur
Vere nouo iam concæpto ſe prodiga fœtu MEL.
Soluit humus, panditq́; ſinum, ſurgentia uernant
Paſcua, nunc laxis paßim uiridantia riuis
Gramina luxuriant, nunc omnibus omnia terris
Sponte ſua ueniunt, patria tu ſolus in umbra
Ocia degenerem teris abſumptura iuuentam
Vt Meliſæe tuæ ueris noua tempora Muſæ CAM.
Gratia depingit ſimilem ſibi nacta colorem?
Quid facerem uero? quæue his potiora relictis
Prata ſequar Muſis & Apolline digna bubulco
Et tu Pieridum puer enutrite ſub umbris MEL.
Veris adhuc in flore uirens impuberis æui
Non indigna canis Muſis & Apolline, quamuis
Nondum capripedem tua fiſtula Pana laceſſat
Inter Phœbæos ut ineptit noctua cantus CAM.
Sic mea, ſic æquat tales mea muſa poëtas
Qualis es Aonidum nuper digreſſus ab undis
Ni mihi uana animum ueri deluſit imago

MEL. *Iam ſatis hæc, tu perge uia, nec deſere cœpta*
Sed te ſumma licet mirentur culmina ſacrum
Cantantem ſine teſte melos, hic fœnore nullo
Ludis, et heu ſterilem quondam experiere camœnam
Paſcua cum ſero patriæ placuiſſe dolebis
Deſertas inter pecudes inconditaq́; arua
Tam dulces annos tam florida tempora perdis
Nos alios fines melioraq́; rura tenemus
Paſtores, quos fertilibus Thuringia pratis
Paſcit, fortunate puer ſi talibus aruis
Si tali liceat mecum conſidere terra
Et dites habitare caſas, & plena uidere
Vbera, quæ totos implent mulctralia ſoles

CAM. *O Meliſæe tui decus & noua gloria ruris*
Daphnes ornari folijs digniſsime, nondum
Talis eras quando hinc laudatam egreſſus in oram
Si memini placidos liquiſti inuitus amores
Pulchra quibus miſerum te perdidit ignibus Aegle
Quales tum lachrymas in te, quàm multa notaui
Innumerabilibus ſuſpiria ducta querelis
Iſtius ignarus populantis pectora flammæ
Nunc quoq́;, ſed quiddam tale eſſe in amantibus aiunt

MEL. *Nemo uir eſt qui non fuerit puer, attamen omnes*
Quis neget? à primis pueriliter egimus annis
Atq́; utinam creſcente æuo ſapientia ſaltem
Creſcat, & obrepens ueniat cum laude ſenectus!

Non

Non mihi iam paſtor tantum Meliſæe uideris CAM.
Qui canat in triuijs paßim,ſed qualibus aiunt
Orphea carminibus fatum defleſſe nefandum
Dilectæ Eurydices,ſyluasq; & ſaxa canoris
Contraxiſſe modis,talem te noſtra tulerunt
Secula, nate bonis auibus,tibi dexter Apollo
Spirat,& Aoniæ ueniunt ad plectra ſorores
Tu quoq; dumoſis licet in conuallibus erres MEL.
Et lacer heu ſola totis ſub rupe diebus
Carmina per duras longe reſonantia cautes
Concinis,æterna dignus quem fronde coronent
Pierides,nec enim credebam in uepribus iſtis
Talia ſyluicola quenquam potuiſſe Camœna
Qualia uel noſtræ mirentur carmina Muſæ
At tu quando humili uerbis illudis amico CAM.
Agnoſco ingenij uires non iſta ferentis
Grandia,quæ ueſtri paſtores mille loquuntur
Verum age quando breues exaltatißimus umbras
Sol iacit,& ualles,& frigida luſtra capellæ
Paſcentesq; tenent riuo loca proxima tauri
Dic age quam uobis fœlicia paſcua,quæ uos
Tam doctos regio paſtores educat,unde
Aut quare patrios tandem remearis ad agros
Dic age iam lectas omnis grex ruminat herbas
Quod petis auditu dulce eſt,& amabile dictu MEL.
Quin prius huic ambo gelidæ ſuccedimus umbræ

Ne calor æſtiuus ſitientia labra retardet
MEL. En etiam his dulces ſaliunt radicibus undæ
Hic puri latices quos plurima quercus inumbrat
Hic mihi grata quies, alia tu parte ſedeto
His tamen incœpto dilabimur, incipe uates
CAM. Incipe ut aduerſæ ſtupeant tua carmina ſyluæ
Proxima monticolis Thuringia terminat Heßis
Imperium, diues regio florentibus aruis
Læta iugis nemorum, ſed multo lætior agro
Illic flaua Ceres, & pleno copia cornu
Spargunt innumeras millena per horrea meſſes
Ipſe ager obducta latuit prius omnis ariſta
Tum grauidæ plenis turgent in collibus uuæ
Vinaq; neſcio quo, non inferiora phalerno
Exudant, motura ſuis fera bella colonis.
Sunt etiam gregibus ſua paſcua, dum uiret annus
Mille per abruptos montes, & ſumma capellæ
Tranſcendunt iuga, mille boues in uallibus herbas
Non ullo fœtas carpunt ſerpente, nec ullas
Raptorum inſidias unquam timuere luporum
Incuſtoditæ per paſcua tuta uagantur
Lanigeræ pecudes, & culta noualia tondent
Iamq; aliquis ſummo ſpectans de uertice paſtor
Certantes in ualle ſtupet, plena omnia Muſis.
Hic ſua quæ patitur ſolatur uulnera, quali
Tityrus extinctum defleuit arundine Daphnim

Ille

Ille deûm laudes, primisq; Heroas ab annis
Concelebrat, calamis alius, ſtridentibus alter
Corticibus ſalicum nymphas ueneratur agreſtes
Formoſæ Veneres illic, & Phyllides errant
Omnis Hamadryadum chorus, omnes Naiades, oẽs
Nympharũ dominæ Charites, florumq; Napeæ
Nec non paſtorum faciles, bona numina, Diui
Syluani, Satyriq; leues, fauniq; ſalaces
In medio Pan ducit Oreadas ipſe, mouentes
Blanda parum cautis laſciuo incendia motu.

CAM. Quid tamen audaces faciunt in Phyllide Fauni?
Quæ tam blanda mouent laſciuæ incendia nymphæ?
Abſint nequitiæ noſtris ab ouilibus omnes.

MEL. Macte puer, tali dulcem uiſure ſenectam
Ingenio, ſi firmus eris, nunc cœpta ſequemur.
Vrbs uetus in media eſt regione Erphurdia noſtris
Dicta, potens, opulẽta, ingens, quam præter amœnus
Et peragit curſum, non uno flumine, Hiëras
Illa uorat duri quicquid peperere labores
Seu pera, ſeu pileolo, ſeu forte galero
Seu manicis opus eſt, donat pro munere merces
Illa etiam, ſi forte uoles, pro uellere nummos
Porrigit, & rem re mutat, uorat omnia, reddit
Omnia, pro tribulis ſpinas, pro uerbere plagas.
Quare age dum primo uernat tua flore iuuenta
Collige ſi qua tenes parui congeſta peculi

Fœlices mecum campos, & pinguia rura
Quære nocent pecori uepres, & triſtis acanthus:

CAM. Heſsia diues agris denſisq; uberrima ſyluis
Finitimas, ne præfer, opes ita uincit, ut agnum
Imbellem furibunda audax in prælia taurus
Vt fluuio paruum ſuperat uagus Aedera Nemphim
Aedera qui fuluas auro deſpumat harenas
Hic fluuijs alacres præterlabentibus herbæ
Alludunt, cernis quàm conſita littora, quàm ſit
Pingue ſolum, uiret omnis ager, circumq; renident
Gramina ſtagna, lacus, fontes, riuosq; ſalubres
Aſpice ſumma procul frondentis culmina Goſi
Quàm nitet, & uer aſpectu teſtatur amœnum
Hos agros, has delitias, hæc paſcua linquam?

Aedera nomē eſt fluuij ſatis celebris Francobergā præterfluentis Nemphis paruus in eundē influēs riuus poſtquā duas lacus fecit.

MEL. Pana per & nymphas, & ruſtica numina iuro
Omnia ſordebunt quæ nunc mihi paſcua laudas
Noſtra ubi contigeris deductis rura capellis

CAM. Ergo meæ nuper curæ loca nota ualete
Plus ualet his agris doctæ facundia linguæ
Te quæcunq; uocas Meliſæe in regna ſequemur
Seu tu Sauromatas ultra Tanaimq; niualem
Ire iubes, ſiue eſt quicquam quod paſcitur ultra
Tu uero infœlix mecum laudata uidebis
Rura pecus, lætos fines i perge uidendum.
O cui non licuit patrios errare per agros
Amplius, & quondam conſuetas carpere frondes:
ſiberg.

Goſius mons ē regione Aquilonari Francobergæ, olim arbuſtis totus cōſitus, nunc inuſum agrorū magna ex parte purgatus uulgo Goſiberg.

Sol

Sol ruit interea, uocat ad mulctralia ueſper
Sume pedum, compelle gregem, pecus omne recenſe
Nequis forte abſens in uepribus hæreat hircus

SECVNDI IDYLLII AR- *gumentum.*

PEr Philetam hoc Idyllio doctiſſimus uir Geor- gius Spalatinus accipiendus eſt, cui cātilenam tribuit quo & ſuum author & amici in poëtica ſtudia oſtendit ardorem, quod uterq; id ætatis, nempe admodum iuuenili in eadem eſſet omni ratione propen ſiſſimus. Eſt & in ipſo nomine ad perſonam introdu- ctam alluſio φιλήτης enim amatorē ſignificat. Res agitur non procul Erphurdia in loco qui uallis Geor- giana dicitur, in quo id temporis Spalatinus agebat.

H. EOBANI HESSI BVCOLICO *rum Idyllion Secundum*

CANTILENA PHILETAE

CArmina cum primum mihi paſtoralia diuæ
Pierides canerent, & me florente iuuenta
Iuppiter induceret, tum ſic Eobanus in umbrá
Inter oues charo cecini, iam paſtor, amico.
Vallis erat curuo multum ſecreta receſſu
Clauſa iugis uitreo manans lætiſſima riuo
Muſarum domus, aruicolis gratiſſima Muſis
Hac olim, domini qui tum nemora illa tenebat
Cum ſeruaret oues puer in conualle Philetas
Quód tum floreret iuuenis, quód mollibus annis

Feruenti dulces ſequeretur pectore Muſas
Ad riuum ſalientis aquæ cum ſæpe ueniret
Ludere fragranti ſic eſt auditus in herba.
   Muſæ noſter amor, dulces mea gaudia Muſæ
Pro Ioue quæ Chriſtum canitis, quæ rura beati
Sideris Acoum longe proiecta ſub orbem
Incolitis, fatali ubi ſæuus ab arbore ſerpens
Paſtorem iuſſit uetitum decerpere pomum
Ite nouos Muſæ flores legite, ite Camœnæ
Vos ego per ſyluas, ualles, iuga, ſaxa, cauernas,
Per mare, per fluuios, per deuia luſtra ferarum,
Vos ego per pluuias, per agentes nubila uentos
Per duras hiemes, lædentesq́; arua pruinas
Vos ego per tenebras ſequerer noctesq́; profundas
O ſi aliquis uolucres mihi protinus induat alas
Præpetibus pennis ad uos ego ſæpe uenirem
Seu nemus Aonium, ſeu uos Heliconia tempe
Incolitis ſacra redimitæ tempora lauro
Muſæ noſter amor, dulces mea gaudia Muſæ
Carmina ſacrorum ſunt immortalia uatum
Immortalis honor, pereunt æs, purpura, gemmæ
Quas nigris auidus tollit mercator ab Indis
Nomina me fugiunt urbanæ cognita plebi
Iaspida me docuit mater, uiridemq́; Smaragdon
Quæq; gerunt colla ſuſpenſa corallia nymphæ
Omnia prætereunt, neſcitis fata Camœnæ.

Vos

Vos mea cum dulci captatis pectora flamma,
Deſpicio quicquid curæ eſt mortalibus uſquam,
Nec mirum, uobis præſentibus omnia ſordent.
Muſæ noſter amor, dulces mea gaudia Muſæ.
Luxuriant Zephyro flores, noua gramina riuis,
Vitali pluuia Cereris ſata, fontibus horti,
Fluminibus ſalices, procera paludibus alnus,
Graminibus uaccæ, laſciuæ fronde capellæ.
Vos mea cura deæ, Muſæ mea ſola uoluptas,
Ite nouos Muſæ flores legite, ita Camœnæ.
Non ita mellitæ ſapiunt mihi dulce placentæ,
Non pira, non ceraſum, non grati ſegmina porri,
Non oleo perfuſa Ceres, non cocta polenta,
Non ſic heſterno conſperſum lacte moretum,
Quàm ueſtrum mihi dulce decus, q̃ uos mihi gratæ.
Muſæ noſter amor, dulces mea gaudia muſæ.
Sum puer, & uiridi ſucco mea pullulat ætas,
Vt noua quæ uerno turget de palmite uitis.
Et mihi forma decens, nuper cum pectine crines
Comeret hos niueo, dixit mihi ſedula mater,
Accipe & in ſpeculo te contemplare Phileta.
Vicinum forma ſuperas, niſi fallor, Adonim.
Veſtrum quicquid id eſt, dixi, mea gaudia Muſæ
Hoc decus, iſte uigor, uobis mea pullulat ætas.
Ite nouos Muſæ flores legite, ite Camœnæ,
Integer ut putri turgeſcit ſurculus agro.

Sicut ſenta roſæ ſubter ſpineta rubentes,
Sic ego ueſter ero, donec ſupereſſe Philetam
Fata uolent, uos acceptum referetis honorem
Hunc mihi, ſtabit enim niuei flos ille pudoris,
Qui nunc utilibus uobis efflorct ab annis.
Muſæ noſter amor, dulces mea gaudia Muſæ,
Dicite quæ potior, quæ maior in orbe uoluptas
Quàm Muſas colere, & Muſarum amplexibus uti,
Viuere apud Muſas, doctis ſe tradere Muſis?
Ite procul Veneres, & inanis gaudia formæ,
Forma, genus, tituli, faſtus, laus, gloria, ſanguis,
Me iuuat in uiridi requietum gramine doctam
Ducere ſegnitiem, tactis ubi læta lapillis
Vnda ſonat, tacitæq; labans admurmurat auræ,
Lætaq; florentes extendit populus umbras.
Ite nouos Muſæ flores legite, ite Camœnæ.
Lilia uerna, roſas, & odoriferos hiacynthos,
Alba liguſtra, crocum, uiolas, & quicquid ubiq;
Natura uberibus florum genus edit in hortis,
Cingite uicturos milleno flore poetas,
Inter quos utinam quota pars ego nomen haberem,
Valle ſub hac uiridi canerem te maxime Apollo,
Qui muſas inter ſanctas in monte quieſcis.
Sydereo, uultuq; uides hæc paſcua læto.
Carmina morte carent uatum, gaudete capellæ,
Rodite frondoſas fagos, ſperate capellæ,

Cras ego

Cras ego uos liquido totas in fonte lauabo,
Monte ſub aerio, ſolis qui proſpicit ortum,
Largiter emanans, ubi paruo condita colle
Prominet, & celebrem reditu Gotha poſſidet agrum,
I caper, ite meæ, mecum gaudete, capellæ.
Sic bonus ille puer cecinit, quæ carmina paſtor,
Qui tum uicinis latuit Thraſybulus in alnis,
Omnia concepit: nanq; illo doctior alter
Non fuit, & ſuaues incidit in arbore uerſus.
Extat adhuc prægnans in cortice littera, fœlix
Creſce arbor, uiridi creſcetis in arbore uerſus.
Atq; olim ſpectans aliquis uos creſcite dicet
Creſcite, & in ueſtri famam ſupereſte poetæ.

Per Thraſybulũ doctiſſ. uir Chũratus Mutianus Rufus intelligitur. Nã & Thraſybulus Germanis Chũratũ ſignificat, et ille tũ Gothæ habitabat trib miliaribus ſtratibus ã urbe Erp diã.

III. IDYLLII ARGVM.

Quos ꝑ Cygnũ & Philægonẽ hoc loco intelligat non exiſtimo ſuperſtitioſius inquirendũ, ꝗ oĩa ſimpliciter et abſq; inuolucro dicantur. Colloquũtur .n. hi duo primũ quidẽ de cõparatione Baptiſtæ et Virgilij Mantuanorũ, quã ineptiſſime tractarũt qdã eius tẽporis grãmatici. Poſt amatoria quædã inſerunt, et penè ſupra argumenti naturã philoſophantur. Res agitur in Thuringia circa Erphurdiã ad Hierã fluuium.

H. EOB. HESSI BVCOL. IDYLLION III.

Cygnus Philægon.

HIc ubi ſeclusas ſalices uagus ambit Hieras,
Et uirides umbrant alni, quæ littora circum

Crebra repercuſsis reſonat mugitibus Echo
Hic ubi fœlices durant ſata pinguia pagos,
Villarumq; caſas, & paſtoralia tecta,
Hic mihi parta quies maneat, quid amice Philægon
Num tibi & hac mecum placeat conſidere terra?
Inter inurbanas matresq́; rudesq́; puellas?
Sed ſimiles ipſis uultus & pectora Nymphis
Tam dulces curas, & inertem ducere uitam

Philægon Cygne nihil tecum prohibet requieſcere, poſtquam
Nuper in hoc redeo piſcoſi littus Hieræ,
Et ueteres ſocios poſt tempora longa reuiſo,
Iam dudum exoſus rapidi mala paſcua Fuldæ,
Quæq; rigat gelidus lapidoſo flumine Neſſus.

Cyg. Paſcua ſed memini patrij lætiſsima Fuldæ,
Laudibus immodicis mihi tu memorare ſolebas.

Phil. Non ſunt ut fuerant noſtris iucunda capellis,
Læta ſatis, ſed me deus huc agit ipſe uolentem.

Cyg. Ergo age, in hoc gelido poſtq̄ conſedimus antro,
Vnde pecus patet, atq; oculis uicinia noſtris,
Eſtne aliquis gelida Fauſtus tibi lectus in umbra?

Phil. Vidimus audaci fluidum pede currere Fauſtum,
Cui nihil inuideat noſter nolitq; ſecundum
Tityrus, & patria natum patiatur eadem.

Cyg. Atqui paſtores quoſdam contentio nuper
Illa diu tenuit, paribus ne in carmina ſurgant
2 Viribus, alterius ne an deferat alter honori.

Vt lentas corylos damnoſa ſecuribus Ilex, Phil.
Quantum humiles ſuperat cornus ramoſa geniſtas,
Tam meus in uerſu præcedit Tityrus illum,
Qui Fauſtum gelida cecinit reſupinus in umbra.
Ah male quorundã triuialis iudicat error.
Tu quoq; non grauibus quamuis utare Camœnis,
Et tua non æquet Mantoos Muſa poetas,
Per tua rura tamen non infœliciter audes
Antiquos reuocare modos, & carmina paſtor
Romula Teutonicas paßim cantare per oras.
Sed quid inurbanas matresq; rudesq; puellas
Cõmemoras incaute puer? quid talibus autem
Illecebris pares? non debent talia uates.
Sit procul à Muſis Venus & puer ille cupido,
Quem ſemper uolucres aiunt portare ſagittas.
Eſt alacer paßim pueros uolat inter amantes,
Et ferit incautos, & dulcia uulnera nutrit.
Sed tantum pueros, nam qui ſapit odit amores:
Fœlix rure ſuo, & paruo contentus agello,
Non aliqua læſus Venere, hic ſi pauper egebit,
Dummodo ſuccedat pecus & bona copia lactis,
Lætus erit, pomisq; famem ſolabitur ægram.
Arbuta ſylueſtresq; nuces edet, illius oci
Dulcis amor, ſecura quies, æterna uoluptas,
O igitur mihi cara ſoror, mihi frigida mater
Inſtruat ardentemq; focum, tenuemq; culinam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Et panes & olus, lac & cochleare miniſtret.
Ipſe ego lactentes agnas & ouilia ſecter,
Fœlix pace bona, & tranquillo tutus in antro.

Cygn. *Aut lapis eſt, aut truncus iners qui neſcit amorē,*
Nemo terdecimum quin arſerit attigit annum,
Dic ubi uidiſti mutatis corpora formis
Diuerſum genus, in furias ignemq; ruiſſe?
Dic ubi nec noſtri generis nec ſanguinis infans
Aeditur? & gratos tecum linquemus amores.

Phil. *Dicere quid ſit amor, quàm fortis & impiger ales*
Non aliquis noſtris in papilionibus audet,
Hinc tamen errantes prius, hinc age Cygne capellas
Reijce, ne fractis intrent ſata ſepibus, ito
Laſciuum pecus eſt hircus, laſciua capella.

Cyg. *Vos ſata, uos cythiſum, uos gramina læta capellæ*
O fœlix pecus, & florentes carpitis herbas:
Me me, qui primis cuſtos ſum ueſter ab annis,
Torquet inexhauſto pulcherrima Chloris amore,
Quamuis illa meos miſerata utcunq; dolores,
Sæpius hâs mecum uobis paſcentibus alnos
Viderit, ô dulces ſaluete perhenniter herbæ,
In quibus illa ſedens delapſa in gramine palla,
Explicuit flauasq; comas teretesq; papillas:
Dicite fœlices, ubi nunc mea cura, capellæ?
An duro coniuncta uiro? iam nupta marito
Scilicet interclusa meos dediſcet amores?

Hei mihi

Hei mihi quàm perij, quàm ſum mutatus ab illo
Alite, quem pharetram dixit geſtare Philægon.
Cygne quid eſt, donec pecus hinc à ſepibus arces, Phil.
Quod quereris? totis reſonat querimonia ſyluis.
Perfidus ille hircus potum deſcendit ad amnem, Cyg.
Quem procul hæc molli tangit uia pendula cliuo,
Ipſe pecus reuocatum ad cognita flumina ueni,
Sed ſatis eſt, profugo conuicia fecimus hirco,
Quæ repetiſſe graue eſt, et me manet improba pœnæ
Conditio, ſi quid numerato de grege deſit.
Qualia Cygne tuo conuitia feceris hirco, Phil.
Ipſe tuus, ne finge, docent uultusq; colorq;.
Nulla quidem talis ſequitur conuitia pallor.
Et uultu & ſignis nihil eſt fallacius iſtis, Cyg.
Iraſcebar enim nec me pallere notabam,
Sed rubui magis & uultus incendia ſenſi.
Vt rubet ancipiti contuſum forcipe plumbum, Phil.
Vt matutina noua luna rubeſcit in unda,
Sic tu Cygne rubes, talem Venus ipſa colorem
Induit, Idalios quos dudum torret ad ignes.
Improbe amor quàm te non ulla umbracula celant, Cyg.
Quàm te nulla tegunt uelamina, nulla premit uis,
Inditio ſatis ipſe tuo te prodis, & idem
Quo latuiſſe uoles magis, hoc incedis aperto:
Prodigus ore tui magis, & tua furta reuelas.
Sed quid agam? curis corpus conſumor acerbis,

Quiq; animus fuit ante potens fortisq; ferendis
Omnibus, & duros potuit tolerare labores,
Aeger amore iacet, lentoq; abſumitur igni.
Quæ medicina queat ſatis hos curare dolores?
Heu uanæ herbarum uires, promiſſaq; cæcis
Carmina uulneribus, captas ludibria mentes,
Non magis iſta iuuant, quàm captũ lumina fulgor
Syderis, aut ſurdum clamoſi uerbera ponti.
Sed crucior, penitusq; leues uis iſta medullas
Intrat, & occulto ſerpit per uiſcera lapſu.

Phil. Pone modũ miſeris, quibus impetus iſte, querelis
Paſcitur, & ſæuo paulatim aſſueſce dolori
Cedere, dedidicit qui parce indulſit amori.

Cygn. Qui parce indulſit magis arſit, copia detur,
Viſus abibit amor, minuit præſentia amorem:
Fortior abſentes urit Venus, iſta Philægon
Cum ſit firma parum, partem de peſte leuâris,
Si poßis alia miſero ratione mederi.

Phil. Vera quidem, ſed plusquàm paſtoraliter audes
Iſta loqui, tetricam conſulta decentia barbam.

Cygn. Sentio, nec falſa confixus arundine, uerum
Quod loquor experior, quàm uellem poſſe negare
Quæ fateor, quamuis miſerum tamẽ iſta fateri
Quadam parte iuuat, ſed ab iſto languida motu
Vulnera crudeſcunt, utinam non illa fuiſſet,
Quod fuit, aut illam quo primum tempore uidi

Illorũ

Illo rupiſſent tetricæ mea fila ſorores,
Quæ nunc ingratæ producunt tempora uitæ.
Quid ſi iterum redeat ſeroq́; reuiſat amantem, Phil.
Amplexusq́; ferat?communiaq́; oſcula iungat?
Hoc erat ô ſuperi quod uos ego ſæpe rogabam, Cygn.
Veſtras muneribus ueneratus agreſtibus aras
Annuat his uotis aliquis Deus,omnia fient
Candida,nigra prius,fiet roſa triſtis acanthus:
Fa a ſoporiferæ ſudabunt mella citutæ.
Illam fata tibi reddent meliora,tuamq́; Phil.
Eſſe ſinent,quoniam nec iniquis ignibus ardes,
Nec tua dedecori eſt florenti forma iuuentæ.
Interea obdura,donec ſperata reducant
Sydera,quod lenta cruciat tua pectora flamma.

IIII. IDYLLII ARGV.

Introducuntur paſtores duo Tityrus & Battus, quorum nominibus hoc Iuſtus Ionas,illo Petreius Aperbachus accipiendi ſunt,qui ambo eo tempore,quo hæc ſcribebantur,ſumma amicitia ac familiaritate cõiuncti erant iuuenes iuueni Eobano,quorum alter Ionas magna autoritate & exiſtimatione adhuc ſuperſtes,alter Petreius pie nuper eſt defunctus.Hi Virgiliana imitatione propoſitis præmijs,ſub iudice Thraſybulo,per quem ante diximus Chunratum Mutianũ Rufum accipiendum eſſe decertant,quorum Tityrus Virginei partus miracula ac laudes,Battus omnipotẽ

tiã & opera dei admirantur ac celebrant. Res agitur in Thuringia &c.

H. EOB. HES. BVCOL. IDYLLION IIII.

Tityrus Battus Thraſybulus.

Paſtores uiridi duo conuenere ſub umbra,
Pandentis placide frondentia brachia fagi,
Tityrus & Battus, pictas ubi plurima ripas
Alluit, & dulces labens ciet unda ſuſurros.
Vna ætas ambobus erat, formoſus uterq;,
Carmine uterq; potens, & tum certare parati
Sederunt ſtudio intenti, calamosq; ligabant.
Forte ſuperuenit Thraſybulus, protinus illum
Vt pueri uidere, prior ſic Tityrus inquit:

Tityr. *Huc ades ô Thraſybule, pecus iã dormit in umbra,*
Huc ades, & noſtri iudex certaminis eſto.
Nam tua per noſtras clara eſt ſapientia ſyluas.

Thraſ. *Audaces pueri plus quàm pueriliter auſi*
Alternis certare modis, audacia laus eſt
In puero ſi non temeraria, dicite quales
Victor opes referet? quæ pignora ponitis ergo?
Ipſe ego quandoquidem mihi ſtant ad flumina tauri,
Et pecus omne leui feßum requieſcit in umbra,
Iudex ueſter ero, & meritis ſua præmia ſoluam.

Battus. *Hunc tibi lunatum pro pignore ponimus arcum*
Tityre, quem duro teneræ de ſtipite corni
Fecimus his manibus, tornoq; poliuimus acri,

Diſtin-

Diſtinctum neruis bubulis, uiſcoq; tenaci.
Aſpice diductum circum duo cornua funem.
Quàm bonus, Herculeis grauius ferit illa ſagittis,
Hic mihi quot uolucres deiecerit arbore ab alta
Sæpe etiam ex ipſo, dictu res mira, uolatu
Præcipites cœlo lapſas manibusq; prehenſas
Præbuerit, non eſt numero comprendere certo,
Dextro Phyllirides cornu cælatus, ut ille
Spicula cum pharetra puero præmonſtrat Achilli.
Gnoſius ex alto ſerpentem interficit Alcon.
Vt puer illæſus docto ſua tela parenti
Integer, & medio uelut è Phlegethonte reportat:
Sæpius hunc nobis inuidit ſtultus Amyntas.

Munere ſi mecum, Thraſybulo iudice certes *Tityr.*
Vicimus, en iſta quæ pendet fiſtula quercu
Illa tuum certe precio ſupereminet arcum.
Non calamis compacta tribus, rudibusue cicutis,
Non cera connexa leui, quibus improbus olim
Pan deus agreſtes docuit reſonare poetas,
Sed teres è uiridi buxo tornata monaulos.
Quam tamē ipſe uola nequeas includere, quamuis
Longa tibi digitûm pater internodia fecit.
Hanc ego muneribus uenalem grandibus emi,
Vellera bina dedi raptamq; à matre capellam.
Hac ubi perſonui ſcopulo uocalis ab alto
Floruit omne nemus, fragrabant lilia, flores

Fundebat genialis humus, grauis aura quieuit,
Spirabant Zephyri uentusq; ſonantior ibat:
Demulcens leni circum mea tempora flatu,
Illa tuo quantum cælata fidelius arcu
Cernis ut hic fugiat uictorem Marſia Phœbum?
Demens qui diuos uocat in certamina, cernis
Auriculas Phrygio per tempora ſurgere regi?
Hic etiam exceptum Miſenum in littore Triton
Obruit, arrident ſeruantes proxima nymphæ.
Illam Batte tamē tecū deponimus, ergo
Quis prior incipiat tibi ſit Thraſybule relictum.
Thraſ. *Ludite iam pueri, ſatis eſt pro pignore dictum,*
Ludite, ut incipiant motare cacumina ſyluæ,
Blandaq; formoſæ ſalcant ad carmina nymphæ,
Incipe Batte prior, tua carmine dignior ætas.
Batt. *Dicite Pierides certantes dicite Muſæ,*
Quis fuit ante chaos, & prima exordia rerum?
Quis mare? quis terras? quis lucida ſydera fecit?
Vnus in æternum qui contrahit omnia regnum,
Gratia Pierides, uobis ſit gratia Muſæ.
Tit. *Annuite Aonides, Muſæ ſpirate fauentes,*
Virginis intactæ caſtum referemus amorem,
Chriſtophoræ, ſed quæ genialis neſcia lecti
Aedidit arcano conceptum ſemine natum,
Gaudete Aonides, Muſæ exultate fauentes.
Bat. *Quis mouet hanc molē tantū quis tēperat orbē?*

Quis ruti-

Quis rutilum ſiſsis iaculatur nubibus ignem?
Vnus ab æterno mundi ratione creator
Gratia Pierides, uobis ſit gratia Muſæ.
Vidit & incaluit, non uidit & acrius arſit, **Tit.**
Nobilis in ſolo flagrauit nomine uirgo.
Vt calet à Zephyro pingui flos pulcher in horto,
Gaudete Aonides, Muſæ exultate fauentes.
Quis prohibet uentos? qs rauca tonitrua torquet? **Bat.**
Quis nebulam ſpargit? quis nubes denſet in arctum?
Vnus qui rerum ſolus diſcrimina nouit.
Gratia Pierides, uobis ſit gratia Muſæ.
Dum flores in ſerta legit, dum ſola per agros **Tit.**
Errat, ab Eoa perflauit ſpiritus aura,
Quando afflata nouum concipit uirgo tumorem.
Gaudete Aonides, Muſæ exultate fauentes.
Quis nouat has ſegetes? quis campũ pingit ariſta?
Quis fœcundat agros? quis ſyluam frondibus ornat? **Bat.**
Vnus qui propria neſcit uirtute ſecundum.
Gratia Pierides, uobis ſit gratia Muſæ.
Interea dulci tumuit geſtamine uenter, **Tit.**
Addidit in terris ſimilem cœleſtibus ipſis,
Virgineum meruit genetrix ſeruare pudorem.
Gaudete Aonides, Muſæ exultate fauentes.
Quis ueteres Faunos? Satyros qs truſit ad umbras? **Bat.**
Quis Phœbũ & Bacchũ? qs numina cuncta deorum?
Vnus qui ſolus Deus eſt & cuncta gubernat.
Gratia Pierides, uobis ſit gratia Muſæ.

Tit. *O pia cœleſti uirgo prælata coronæ*
Huc ades, & noſtrum fœcunda floribus aruum:
Omnia nanq; potes nati pietate, uolentis
Omnia te propter, miſeris quæcunq; rogâris.
Eia age, ſic nunquam te fiſtula noſtra ſilebit.
Batt. *O pie rex ſolo qui dirigis omnia n[illegible]u*
Huc ades, & noſtri cuſtodi ſepta peculi.
Ne lupus & rapidi turbent armenta latrones:
Omnia nanq; potes propria uirtute, facisq;
Solus, & auxilio tua uis non indiget ullo.
Thraſ. *Sit ſatis, inclinata dies requieſcere ſuadet:*
Claudite uocales pueri iam claudite cannas.
Vit uterq; ipſi ueſtrum uiciſtis utrumq;,
Vos faciunt & forma pares, & carmen & ætas.
Arcus Batte tibi, tibi fiſtula Tityre cædat
Vt prius, & ueſtros concordes paſcite tauros.

IDYLLII V. ARGV.

Colloquuntur hoc Idyllio paſtores duo, quorũ alteri nomẽ Phileremo, quaſi ſolitariæ uitæ cultori dicas, alteri Argo eſt, ut q ſplendidã ac ciuilem uitã cognitã habeat et ſolitariæ præferat. Nec refert q his noĩbus olim cũ hæc ſcriberentur deſignati ſint, quãdo minime neceſſe eſt oĩa ſic nominatim explicare, dũmodo de rebus cõſtet. Diſputant uero de corruptis & uiciatis paſcuis, et quibuſdã ſpectris, q̃ oĩa alter ſimpliciter et ex uulgari opiniõe recenſet, alter ἀλληγορικῶς *accipit & interpretatur. Res agitur in Thuringia in-*

ter Erphurdiam, Iſenacum, & uallem Georgianam.

H. EOB. HESSI BVCOL. IDYLLION V.

Argus Philèremus.

Mōtibus his his mecū quondā Philereme ſolebas Arg.
Paſcere, & alternis noſtras cōcentibus aures
Mulcere, urgentesq; animo depellere curas.
Quæ nunc arua tenent? quod te nemus? aut ubi tandē
Vsq; adeo ſolus tecum Philereme recedis?
O Arge infauſtos quid adhuc non deſeris agros? Phil.
Noxia quid pecori non linquis paſcua? quando
Hæc inculta rubi ſteriles, & triſtis acanthus
Inuiſæq; tenent uepres loca, & omnibus agris
Degeneres pro ſeminibus fœlicibus herbæ
Prouenìunt, pecoriq; obducunt paſcua, nec ſint
Quas poſsint miſeræ frondes roſiſſe capellæ
Nec quisquam in precio labor eſt, ubi nulla beatos
Ocia paſtores faciunt, ſed ſemper egentes
Spe rapiunt facili, ſuſpenſaq; uota morantur.
Gramina ſerpentes habitant, umbroſa lacertæ.
Heu fuge uicine ne dum ſucceſſeris umbræ,
Nudum fòrte pedem calcatus mordeat anguis.
Vera refers, nec teſte opus eſt in rebus apertis, Arg.
Ipſe ego cum pronum ſol declinaret ad axem
Sub uiridi quercu longum, mirabile dictu,
Hac uirga colubrum, qui ſub radice latebat,
Ora exertantem, & ſumma me fauce petentem
Vix repuli, & toto mulctram cum lacte profudi.

Phile. *Credo eqdē, nec quæ memoras, mihi mira uidē'ur,*
Quando etiam hæc uulpes lateant per ouilia, perq;
In. u'loditas ſerpat nepa liuida caulas:
Eſt pecudum commiſſa lupis cuſtodia, cernis
Limina cæde tepent, ſparguntur ſanguine poſtes
Innocuo, nihil eſt cuſtode uoracius i[illegible].

Arg. *Atqui non depaſcere oues ſed paſcere, ueri*
Officium paſtoris erat, ſed longior hæc eſt
Fabula, quàm ſubito quæ poßit carmine dici.
Forſan & inuidiam noſtris motura camœnis,
Quæ nunc arua tenent, quæ te Philereme morantur
Commoda, quæ patrio poßis præponere ruri?

Phile. *Me tenet umbrifero uallis ſecreta receſſu,*
Ad quartum ueſtra lapidem, quam ſeruat ab urbe
Diues lanigeri paſtor gregis, inter & al. as
Syluarum rupes tuta in ſtatione manentes.
Hic ego propter aquas uiridi requietus in antro
Sæpe leues capio ſomnos, ſecura uagantur
Per ſyluas armenta, nihil locus inſidiarū
Ille habet, hæc uita eſt noſtra iucundior æuo.

Per Philere-mū ſane intelligebat olī Herebordū Margaritanū, eruditiōe et nobilitate inſignē iuuenem.

Arg. *Ocia quandoquidem laudas Phileremc fatebor,*
Ipſe ego ſylueſtresq; caſas, & agreſtia tecta
Prætulero urbanis opibus uitæq; forenſi:
Et me cara parens uiridi connixa ſub umbra
Aedidit, & molles circum floralia cunas
Dona tulit, teneraq; ſedens lactauit in herba,

De ſeipſo certe hæc et uere dicit autor.

Aurifer

Aurifer Heßiacos ubi præterit Aedera montes Aedera dy E
Nunc tenet infœlix Erphurdia, cuius, ut inquis, der, flu. auri-
Tot mala destituunt, quondam bona, paſcua, cuius fer ueriß.
Et lupus, & ſerpens, & amantes ſaxa lacerti,
Plenaq; uentroſus graditur per ouilia buſo.
Plus ſatis infœlix Erphurdia, perdita poſtquam, Phil.
Heu male ſeruatos Reſpublica luget honores.
Dum loquimur, tuus in noſtram ſuerit eſſe iuuencã Arg.
Taurus, & à noſtro cornuta fronte repulſus
Aeſtuat, ut grato ſaciari poßit amore:
Cernis ut ecce iterum concurſant duriter ictis
Frõtibus, ô faueas noſtro Pan maxime tauro:
O montana Pales noſtro da cornua tauro:
Mulctram diua Pales, capies Pan magne coronam.
Viciſti bone taure, tua eſt uictoria, frontem
Ergo feres querna redimitam fronde, placere
Sic potes, & niueæ coniunctior eſſe iuuencæ.
Quid tibi de noſtro tauro Philereme uidetur?
Fortior, & leuibus nihil impedientibus armis Phil.
Mole ſua preſſum uicit pecus, ergo corona
Dignus, at ille pedum meus inter cornua durum
Sentiet, ut forti diſcat concurrere, tandem
Tu quoq; fers meritam ſtolidißime taure coronam:
I nunc & pugna pro pulchra ſtulte iuuenca.
Ha miſerum pecus optato dum ludis amori Arg.
Et Venerem & pugnam perdis, fers uerbera tamũ.

Phil. Sol coquit arentes campos, & corpora fuſcat,
Vmbra iuuat, gelidæ quid non ſuccedimus umbræ?
Arg. Gratior hic locus eſt, tilias ubi frigida leues
Aura agit, & ſumma Zephyrus ſub rupe remugit:
Dum tamen hoc ambo uiridi cõſedimus antro,
Lude aliquid Phileremе, leuant & mutua curas
Carmina, nam ſubitis ego reſpondebo camœnis.
Phil. Magna canam, non quæ ſapiant triuialiter Arge
Non quæ quiſq; ſua moduletur arundine paſtor.
Arg. Incipe, nanq; tibi præſens aſpirat Apollo,
Aſſurgitq; tuæ uicinia tota camœnæ.
Phil. Aſpicis aerio ſublatum uertice montem
Qua leuis occidui deflectitur aura Fauoni,
Horriſonum Latio uicinus nomine dicit,
Qui Neſſum bibit undoſum, Verarimq; propinquum
Iſt hoc ante duas meſſes cum ſæpe uenirem
Ignarus nemorum uidi diſcurrere laruas
Saxa per & montes, tanquam nocturna uagantes
Terriculamenta, & pueros terrere pauentes,
Quas lamias dicunt, quibus eſt exemptile lumen
Quas uigiles aiunt extra ſua limina lyncas
Eſſe domi talpas, nec quenquam cernere, nec ſe.
Arg. O Phileremе quis infauſtis maledicere laruis,
Quis lamias poterit ſatis execrare nocentes?
Lyncea qui paſſim circumuertuntq; feruntq;
Lumina, per plateas, per agros, per rura, per urbes,

(Margin note: Vulgo der horſelberg, apud Iſenacũ Thuringiæ. Neſſum flu. Iſenacũ præterfluens. Veraris dy Vuer, qdã Viſurgim putãt.)

Per fora

Per fora, per thermas, per deniq; quicquid ubiq; eſt:
Omnia ſcrutantur, penſant, rimantur, & audent.
Liuor edax animal comitatur, uideris, illi
Miluinos oculos emiſſitiosq; putaris.
Nõ tamẽ urbanas lemures laruasq; forenſes Phil.
Me uidiſſe p[illegible], uerum cum ſæpe reuerſus
Ad montem, pecudes inter, ſub rupe iacerem,
Obſcuram uidi picea fuligine flammam
Surgere, & à ſummo delapſum uertice ſulphur
Sæpe leuis tuguri tenues incendere culmos.
Tum uero aerias ingens ploratus ad auras
Tollitur, & miſeris ululatibus inſonat aer.
Obſtupui, retroq; boues à monte coegi:
Ecce ſed amiſſam quærens in ualle iuuencam
Adfuit Heliades, qui mox ubi conſtitit inquit:
Heu fuge terribiles lucos, loca fœta uenenis Per Heliaden Hermannũ Trebelium I ſenacẽſem poetã intelligit.
Tartareis, nigri, fama eſt, hic ianua Ditis
Panditur, hic furiæ triſtes Acheronta recludunt,
Tolle pecus, ne ſi uiroſi graminis herbam
Attigerit, pingui macrum tibi fiat in aruo.
Nec ubi, quæſitum ſyluam pecus iuit in altam.
Nos etiam multos Dites lamiasq; per urbem Arg.
Vidimus humanas, fracta ſtipe, mandare carnes.
Dum fugio, raptis mecum ſine lege modoq; Phil.
Rebus, in effoſſum cecidit mihi ſubula fontem.
Frigida nox properat, tauros includere paſtos Arg.

Tempus, & errantes inducere ouilibus agnas.

VI. IDYLLII ARGV.

Hoc Idyllion Epitaphium, id eſt, funebre carmen Iolæ inſcribitur, qualia apud Theocritum quoq; quædam ſunt ut Bionis & Adonidis, & apud Vergilium Iulij Cæſaris ſub perſona Daphnidis. Hic uero per Iolam laudatiſſimus princeps Heſſorum Guilielmus, huius noſtri fortiſſimi principis Philippi pater, intelligitur, nam & huius Philippi genethliacon, hoc eſt, natalicium carmẽ & laus à materno genere inſeruntur, cum eo tempore quo hæc primum ſcribebantur, ille ad modũ adhuc eſſet puer, quæ omnia diligens lector facilius agnoſcet quàm hic, ut in argumento, indicari debeant. De perſonis colloquentibus liberũ eſto cuiq; iudicium. Res agitur in Heſſia.

H. EOBANI HESSI BVCOLICORVM IDYLLION VI. EPITAPHIVM IOLAE.

Meleterus Daphnis.

Melet. *NVnquid adhuc ardes formoſã Daphni Calipſo*
Dic pecor, an dulces liquiſti fortiter igneſ?
Quos tamen ante duas potuiſti linquere meſſes
Si muros hederæ poſſunt, ſi flumina piſces.
Aut qua nam premeris confectus mole laborum
Quidue doles? tuus hic uultus lugubria præfert.
Daph. *O Meletere nihil turpes in fortia flammæ*
Pectora iuris habent, iamdudum abſceſſimus iſtis.

Deliramen-

Deliramentis puerilibus, & mea tandem
Aetas undecimum poſtquàm bis uenit ad annum,
Diſplicet omnis muliebris, & improbus error.
Eſt alius qui corda dolor premit, altaq́; curis
Pectora corrodit mordacibus, heu ubi cantus
Feſtiuiq́; illeni calami, nunc omnia mœrent
Læta prius, nunc omnis ager ſyluæq́; comantes
Triſtantur, fracto montes plangore reſultant.

Qui fletus? quæ fata gemis tam triſtia Daphni, Mel.
Dic precor interea calidus dum ceſſat arator,
Et pecus ilicea dum ruminat omne ſub umbra.

Flete meæ M*uſæ, triſtes lugete camœnæ,* Daph.
Nobilis ante diem fato conceßit I*olas,*
Dicite fatales: crudelia numina, parcæ
Auſuræ uiolare deos, quid tale coegit
Perpetrare nefas? Iuuenis cum funus adempti
Lanificæ ſub rupe procul uidere ſorores
Fleuerunt, uireſq́; ſuas odere, paratæ
Fila humili reparare manu, niſi fata negarent
Vlla relabentes animas in corpora reddi.
Somnus ut extinctum rapuit Lethæus I*olam*
Ferrea nox omnes uiſa eſt deſcendere in agros,
Et lupus, & miles prædator ouilia luſtrans
Debacchatur, agens effuſo ſanguine prædam:
Non paßim, uelut ante, boues per tuta uagantur
Paſcua, clauduntur caulæ, cuſtode tenentur

Limina, certantes lacerant mapalia uenti.
Cernis ut obſcuro turbatus flumine Fulda
Labitur, increpitans ſaxa indignantia motu.
Hunc iuxta quando licuit conſueuit Iolas
Paſcere oues, illi quoq; cum paſtoribus ipſis
Paruit omne nemus, quod uitreus Aedera paßim
Fulda rapax, Rhenusq; uident, & cœrula Lani
Flumina, Palladiam qui prælerlabitur urbem
Et quod nauigeri uada mercibus inclyta Mœni
Quodq; uident usquam loca nota per Heßida terram
Illum omnis nouit mundus, nam ſæpe ſuperbos
Vicerat agreſti iuuenes certamine, ab illo
Languet Rhenani caſtrata potentia Niſi.
Illum omnes timuere feræ, furesq; doloſi,
Illius ad uocem Pœni ſtupuere leones.
E ſyluis fugere lupi, nec tempore noſtro
Alter erat paſtor ſublimi maior Iola.
Nunc iacet heu tantum decus, & iam fortior ætas
Te tulit infœlix puer, ergo ne peßima fata
Inuidere tibi, iam fortibus utilis annis
Longius, & plures potuiſti uiuere meſſes.
Fleuerunt te Naiades, triſtesq; Napææ.
Et caua flumineo ſonuerunt littora planctu
Tam dilectus eras, tam te grex omnis amauit.
Nunc te defunctum tumulo damus, hic ubi tardis
Flexibus Heßiacos Lanus tuus alluit agros.

Martiburgũ dicit ab Schola nuper ibidẽ inſtituta, et sũt hi uerſus quoque nuper adiecti.

Martiburgi e[...]im ſepultus

Spargite

Spargite odoratos, tumulo date, ſpargite flores — *ad diuā Elizabetam.*
Narciſſos, uiolas, & odoriferos hiacynthos
Balſama, Corticiumq́; crocum, myrrhamq́; comātem
Spargite, & in uiridi iuxta ſic ſcribite fago:
Gloria ſyluarum ſitus eſt hic paſtor Iolas
Quo non a[illegible]r erat fœlicior omnibus oris.

Iam nec amore doles preſſus, nec mole laborum, — *Mel.*
Non aliud quodcunq; gemis ſed iuſta doloris
Cauſſa tui eſt, tali magnus deflendus Iolas
Nempe fuit calamo, non ſic extinctus Iolas
Extinctus mihi, ſed potius ſupereſſe uidetur.

Cum fleret niueis coniux complexa lacertis — *Daph.*
Corpus inane uiri, coniux pulcherrima, dixit
Vrite ſubiectam flammis, comitabor Iolam
Mortua ad Elyſium, iacet heu iacet ille pudoris
Primus & egregius noſtri uiolator Iolas.
Sic ait, & niuea rupit de fronte coronam
Illa puellarum pulcherrima ruricolarum
Quam Galatea parens ſeptem compreſſa trioni
Oceano peperit, formoſior omnibus illa eſt.

Dignus erat qui Nympharum frueretur Iolas — *Mel.*
Connubio, nunc ille breui requieſcit in urna.
Illa domo uidua perturbatos Hymenæos
Plorat & heu niueos laniat formoſa capillos,
Digna ducum thalamis, ipſo Ioue digna marito.

Nobis ille tamen moriens duo pignora liquit — *Daph.*

Spem generis,puerumq; marem,teneramq; puellam.
Aſpice quàm patrios referunt ad ouilia uultus
Formoſum ille patrem,formoſam filia matrem.

Mel. Viuite,& in patriam pueri coaleſcite ſortem,
Tu nobis,tu uiue puer clariſſime ſanguis,
Vltime nate patris,tu magni tuta parentis
Paſcua reſtitues,ô miſſe fauentibus aſtris
Tecum nata ſalus noſtris promittitur agris,
Indolis egregiæ,& uirtutis certa futuræ
Signa in te,uultuq; iubes ſperare ſereno
Optima quæq; puer,nec enim ſine numine quodam
Illa nitet facies Phœbææ lampadis inſtar.
Claude oculos,quis tam radios ferat ignipotenteis?
Sed neq; claude,aperi potius,da gaudia rebus,
Protinus effugient fures ab ouilibus omnes,
Raptoresq;,lupiq; truces,& frigidus anguis,
Atq; colorati ſqualentia terga dracones.
Si quis erit forte in noſtra baſiliſcus arena
Occidet,& paruus ſed dente nocentior aſpis.
Omnia ſecuros præſtabunt pabula fœtus.
Spargite humum nymphæ precioſis floribus,in qua
Preſſerit ille puer teneræ ueſtigia plantæ.
Vos quoq; paſtores,genialia tecta,periti
Thure uaporifero circumluſtrate quotannis:
Et carmen facite,& lætantes dicite carmen.
Salue ſemidei proles inſignis Iolæ,

Philippi principis genethliacon.

Nymphæ

Nympharum genus, à magno uelut æthere miſſum,
Et nos & pecudes, & rus defende paternum.

Ergo beata illa eſt fœlici pondere mater, Daph.
Quæ ſubiecta uidens inter dumeta capellas
Altiuagas errare, ab ſummi culmine montis.
Tam clarum uiridi eſt enixa ſub arbore fœtum.

Fœlix ille etiam puer eſt qui talia ſuxit Mel.
Vbera, quæ magnis moueant ſuſpiria diuis.
Et nunc Oceano propior ſol, plura canemus
Olim cum puerum matremq; uidebimus ipſam.

VII. IDYLLII ARGV.

Huius carminis argumentum totum, excepta tantum parte prima, eſt amatorium. Introducuntur colloquentes tres, Menalcas ſenior primum de fortunis ſuis & ratione uiuendi, deinde duo iuuenes Philotas & Narciſſus de amoribus ſuis conqueruntur. In quorum nominibus altero ad eius affectus naturã eſt alluſio, altero ad fabulam uel ex Ouidiano carmine notam reſpectus, uis & natura amoris deſcribitur.

H. EOB. HES. BVCOL. IDYLLION VII.

AMOR PHILOTAE & NARCISSI

Philotas. Menalcas. Narciſſus.

QVò ſenior, quò uertis iter? quæ cauſa Menalca Phil.
Tam procul à proprijs te cogit ouilibus, ede?
Cernis ab uberibus raptũ lactẽtibus hœdũ, Men.
Quem porto his humeris uenum laturus in urbem,

Exemi modici partem gregis, unde repenſo
Commoda pignoribus miſeris alimenta reportem.

Phil. Ah miſerum ſi te tam friuola cogit egeſtas,
Vt niſi de gregibus non ſint alimenta Menalcæ.

Men. Vnde aliás? uel quæ ſit honeſtior inter agreſtes
Viuendi ratio? uel quo tibi cura peculi
De quo uel nequeas, uel nolis eſſe Philota?

Phil. De grege uiuo equidem, ſed non ita ſemper egentē
Deprendit fortuna, ut opus ſit uendere, uerum
Congero quod totum poſsit ſatis eſſe per annum:
Caſeolos butyrumq́; boni duo maxima lactis
Commoda, quod nullo deſit mihi tempore, non cum
Aut æſtas uenit, Autumnuſue, aut bruma niualis.

Men. Vos quibus innumeræ tondent uirgulta capellæ
Longaq́; ſectilibus paſcunt armenta uiretis
Talia forte decent, & talia forte poteſtis:
Nos inopes, pecorumq́; & multi ruris egeni
Quæ curis careant omnes uiuemus in horas.

Phil. Quid ſi forte cibum fallax fortuna negârit?

Men. Nos quoq; q ſteriles paſcit pecus omne per agros.

Phil. Vera quidem, ſed magna nimis, uel tale uolebam,
Quale ſonare ſolent pullatæ ſæpe cathedræ.
Longa alia eſt ratio, longe maiora uolebam
Dicere, ſi poſito ſimul hic adſederis hœdo.

Men. Ergo quid ambages nectis? quid in iſta Menalcam
Nolentem trahis? & cœpto deludis inani?

Quin

Quin mihi quod dicturus eras ab origine prima
Hinc aperis, cupidumq; animi non fallis amicū.
Accipe daq; fidem, nam te ſapientior ætas Phil.
Induit aſperſis albentem tempora canis,
Quod loquor hæſurum tacito ſub corde, nec unquā
Venturum [illegible]atulas populi fallacis ad aures
Pone metum, neq; diſſimula, ſed pectore toto Men.
Prome animum, feret hæc aliquam tibi forte ſalutem
Fabula, nanq; animo, ne lanam finge, laboras.
Et niſi me fallunt uitæ ſpacia acta prioris,
Et tua conueniens ludis iuuenilibus ætas,
Morbus, quo langues, amor eſt, hac febre laboras.
Quandoquidem ſentis, nec me tibi uera fateri Phil.
Nec pudet his multo peiores ædere flammas.
Ergo cura eadem paſtores conficit omnes, Men.
Verum age ſolifugæ poſtquam ſucceſſimus umbræ
Quis tandem ignis habet? quæ te nam cura Philota?
Quis te paſtor adhuc peioribus ignibus arſit?
Solus eram baculoq; gregem connixus acerno Phil.
Seruabam, uiridis paſcentem in margine ripæ.
Iamq; adeo nemus intraram, quod cernis opacis
Vmbroſis arboribus iuxta, dumq; omnia uiſu
Perluſtro, notiq; ſequor ueſtigia fontis:
Ecce tibi, haud magnum dictu, miſerabile uiſu,
Ad fontem longos noſter Narciſſus amores
Deflebat, niueam quibus ille Philantida nuper

Faſtibus, ardentem miſere, deſpexerit, & nunc
Quam male deſpectos in ſe conuerterit ignes
Dum rogo mœroris cauſſam, nihil ille, ſed amens
Centenam loquitur, ſolamq; Philantida clamat.
Hinc mea Callirhoe ſubijt mihi, me quoq; tali
Fixit amor iaculo, nec tu me læta uidebis
Amplius arguta meditari carmina buxo,
Aut teretes calamos, aut molles nectere iuncos,
Ni detur quod amo, lætam ſperare ſenectam
Non erit, inſano, ſatis eſt, ſeruimus amori.

Men. Ambo ætate pares pueri ſtudioq; canendi,
Quò uos fata trahunt? quid te Narciſſe Philantis?
Quid te Callirhoe blando leuis ore Philota
Mortis ad exitium uiuum rapit? ergone tandem
Vna homini totos occludit fœmina ſenſus?

Phil. Quin potius notum mecum deſcendis ad amnem,
Et iam ſol medium cœli tranſcendit, & axem
Fert medio temone, gregem ducemus aquatum.

Men. Perge, ſequar, ſitit hic etiam quem ducimus hœdũ.

Phil. Ite meæ pecudes liquidum potabitis amnem,
Me coquit interea ſitis altera, qualis ab unda
Non queat extingui ſi totum Nerea potem.
Eheu quàm fortes urunt mea pectora flammæ.

Men. Siſte pedem, niſi me nutantia lumina fallunt,
Nec fallunt, ſedet ecce ſedet Narciſſus in umbra
Aeriæ Platani noti tibi fontis ad undam:

O ſalue

O ſalue Narciſſe quid hæc tam ſola frequentas
Auia? conuictusq́; fugis commertia noſtri?
Et tu ſæpe meos caſus miſerate Menalca Narc.
Aeternum ſalue, ante alios mihi care Philota,
Quis mihi uos caſus? uel quis deus obtulit, iſtis
Vallibus erranti, & crudelia fata gementi?
Quæ nam fata gemis? quis te malus abijcit error? Men.
Nec patitur meminiſſe dolor, nec uulnera poſſunt Narc.
Hæc mea curari, ſed nouit & ipſe Philotas.
Indigno certum finem ſtatuiſſe dolori.
Dic tamen ô paribus nobiſcum exercite curis. Phil.
Fert etiam miſeris quædam ſolatia luctus
Vulnera cognouit iamdudum noſtra Menalcas.
Donec eram fœlix, nec me formoſior alter Narc.
Paſtor erat, nec qui mecum contendere uellet
Cantando, mea ſæpe hilares connubia nymphæ
Optabant, ego formoſas maleſanus amantes
Spreui Leucippen, Crocalen, nigramq́; Meliſſam,
Atq́; alias, quas una inter formoſa Philantis
Tota in me, uelut in fortem laſciua iuuencum
Vacca ferebatur, totos inſana per agros
Errabat, clamans Narciſſum, & nomine tantum
Quô potuit longum conſolabatur amorem:
Non illam duri poterant prohibere parentes,
Non commiſſa gregum cuſtodia, ſola per omnes
Quin ſyluas ſequeretur, & hac me ſæpe ſub umbra

Cum uidiſset, ego in nemora & luſtra inuia fugi,
Et quamuis cuperem, tamẽ illa ut peius amaret
Friuola crudeli feci præludia flammæ.
Heu heu qui nimium formæ confidit inani,
Et ſe poſſe miſer nunquam non credit amari.
Pene ſed indigno mulier conſumpta furore
Semianimis cum ſe iam deſperaret amari,
Ad patrias iterum caulas auerſa receſsit.
Occului tacitum nondum confeſſus amorem
Et tamẽ illa mihi uiſa eſt res dulcis, ut eſſem
Formoſus, didici uultum componere, crinem
Comere, ſed plenum nondum intellexerat ignem
Mens mea, iamq; magis cupiebam ſemper amare:
Dulce uidebatur ſi quis me paſtor amantem
Diceret, interea totum Venus ignea, totum
Exurunt corpus flammæ, tum deniq; uulnus
Faſſus opem petij ſuperos ipſamq; puellam.
Heu heu quàm leuibus conſtantia nulla puellis.
Interea illa ſuos in Amyntam tranſtulit ignes
Illum qui toties nobis furatus & hœdos
Et teretes calamos, timet hæc in rura uenire.
Men. Infœlix puer, ô ſortem Narciſſe dolendam:
Retia quæ tendis miſer incidis, atq; ita forſan
Iuſſerit alma Venus, faſtum quæ uindicat omnem:
Quàm uelles dominæ, liceat, ſeruire puellæ.
Et nunc imperio parêre & ferre labores:

Quisquis

Quiſquis amat tacet, & preſſo fert uincula collo.
Hoc quoq; me docuit, iam non mea, credere uerum **Phil.**
Callirhoe, ô utinam uerum experiatur & ipſa.
Ipſe Palepaphia percuſſus arundine ſolus **Narc.**
Per ſyluas, & rura queror, mea ſæpe uidentes
Vulnera, fleuerunt, ſylueſtria numina nymphæ
Nymphæ Naiädes, Dryades, molleſq; Napææ.
Vt magnos ipſæ pecudes uidere dolores
Gramina non carpunt, nec dulcia flumina põtant.
Sæpius hæc mecum tamen: ô formoſa Philantis
Quos fugis, exclamo, mea flamma reuertere, non eſt
Quem fugias, miſerere, ſed impacienter amantis.
Huc ades ô mea lux, quem tãtum nuper amaſti
Te uocat ille tuus Narciſſus, ſcilicet illum
Nunc fugis? an potius miſerum ſpe ludis inani?
Dũ queror impediũt lachrymæ, pròh lumen & auras
Nil mihi uobiſcum, uitæ ſatis ante peractum eſt.
Hic ego uos inter placida iam morte quieſcam,
Lanigeræ pecudes, uos ad mea funera mœſtæ
Nec ſalices capræ, nec oues captate myricas.
Vos mea paſtores meritæ date membra quieti,
Floreq; ſignatam cognomine ſpargite terram,
Et deflete meos ignes, æuoq; futuro
Si quis amator erit male, quod legat addite carmen:
Cum miſer indignos Narciſſus amore periret,
Exemplo ne quis contemnat amare reliquit.

VIII. IDYLLII ARGV.

Chunratus Mutianus Rufus ex nobili Mutiorum, uel ut ipſe dicebat ſcribebatq́;, Mutianorum familia, patriam habuit Hohemburgum in Heßis, uir Græcis & Latinis literis iuxta eruditus, & philoſophus inſignis, cum reuertens ex Italia receptus fuiſſet in aulam principis Heſſorum, cuius tum Cancellarius erat ipſius Mutiani frater germanus, offenſus illo uitæ genere, quo liberius operam ſtudijs philoſophiæ & humanitatis, ad quæ natus erat, dare poßet, ſeceßit in Thuringiam, & auxilio alterius fratris, qui tum res Pontificis Moguncíacenſis Erphurdiæ adminiſtrabat, canonicatũ, ut tum ferebãt tempora, Gothæ adeptus, totum ſe quieti & ſtudioſæ tranquillitati dedit, contentus annuo redditu uix ſexaginta aureorum, relicto cognatis & affinibus toto patrimonio, niſi quòd liberalitate principum præcipue electorum Saxoniæ ſæpe adiutus ac ſubleuatus eſt. Hic fuit omnium ſtudioſorum unicus patronus & hoſpes. Supra fores ædium ſuarum, quas Gothæ habuit ſatis elegantes, hũc titulum fixit: Beata tranquillitas, & paulo poſt in atrio: Bonis cuncta pateant. Huic cum eſſet Eobanus præter alios unice familiaris, hoc ipſum carmine celebrat, ad ipſum beatæ tranqllitatis encomion ſcribẽs. Huius uiri uitam moresq́; longius deſcribere non fert nunc inſtitutæ breuitatis ratio, & uix magno etiã cõmentario comprehenderentur.

H. EOB. HES. BVCOL. IDYLLION VIII. AD DOCTIS. VIRVM C. MVTIANVM RVfum Beatæ Tranquillitatis Encomium.

Q Vàm nihil Andino canimus ſpectabile uerſu,
Tam primi Latias in Teutona paſcua Muſas
Ducimus, & ueniam præfati ſacra ſubimus
Antra patris Fauni, & magni penetralia Panos.
O ſaltem liceat ſyluas intrare patentes
Iuglandes ſi grande, nuces captare colurnas
Non ueter, arbuſta atq; humiles cantare myricas
Eſt animus, non magna ſequi, leuia iſta profeſſo
Ludicra, nunc etiam noſtræ ſua carmina ſyluæ
Incipient reſonare, auſis ignoſcite Muſæ
Mintiades, nec tu, quo ſe mea ruſtica tantum
Iactat Muſa, tuo quantum te Tityre Varo:
Ne tu difficiles mihi dedignabere montes
Et ualles habitare ſacras, lucosq; ſilentes,
Rufe per Aonios colles notiſsime, qui nunc
Socratico dulcem trutinas examine uitam.
Ingredere & mecum ſyluis aſſueſce iugoſis:
En tibi detectum frondet nemus, omnia pleno
Fundit aperta ſinu tellus, tibi germinat omnis
Arbor, odoratos nunc primum lilia montes
Incipiunt habitare, nouo uernantia luxu:
Nunc gelidi fontes manant, & rupibus altis
Frigida milleno labuntur flumina lapſu.

Per uirides ripas, & amœna ſilentia, poſtquam
Te noſtri accipiunt ſaltus, fugit omnibus omnis
Graminibus ſerpens, fragrant ſuauißima tempe:
Quale apibus dicunt Siculam ſtipantibus hyblam.
Sub pedibus laſciuit humus, tua ſcilicet ipſæ
Accipiunt lætis ueſtigia motibus herbæ.
Aſpice quàm niteat toto formoſior anno
Phœbus, & inſolito mundum ſplendore ſerenet.
Hoc erat, hoc adeo noſtros quod ſæpe per agros
Optabam, hoc mecũ nemora omnia, & ipſa petebant
Saxa ſalebroſas ſubter ſqualentia rupes.
Sæpe graues pratis dum paſco uirentibus agnas:
Quem canerem aßiduo reſonantem carmine Ruſum
Quærebant ſocij, cum ſic ego forte canebam:
Dum nemora & ſyluæ ſtabunt, dum flumina currunt,
Ruſe meis, & ſi rudibus, dicere camœnis.
Ipſa tuas etiam laudes armenta feræq;
Syluestres, auidiq; lupi ſæuiq; leones:
Tigrides & lynces, & in ipſis partubus urſæ
Auribus accipient ſtupidis, dumq; omnis ad auras
Carmina noſtra canet paſtor, te montibus altis
Aeriæ rupes, & concaua ſaxa ſonabunt:
O tantum ne turpe feras hæc ſordida circum
Incolere, & dulcem captare ſub arbore ſomnum
Vmbrifera, uiuoq; ſitim reſtinguere fonte:
Et cantu mulcere auras, hic ſubter opacas

Quercus, fagineumq́; nemus, pinusq́; decoras:
Et uirides alnos, pulchram ſine nomine uitam
Ducere, & urbanum poteris uitare tribunal.
Hic tibi uirgineæ laurus, & frigida ſurgit
Graminibus lactuca pijs, tibi tonſile buxum
Et natiua humiles texunt topiaria corni.
Lecta corona tibi eſt caſtos quæ plurima crines
Contegat, en diuæ dicunt bona uerba camœnæ,
Vernantes in flore tegi patiare capillos:
Quem tibi non ullæ Veneres meditantur honorem
Nulla Dryas, neq; Naiädes, non mollis Oreas:
Nulla tibi aßiſtet Phyllis, non ulla Lycoris:
Nam tibi mollicie nihil eſt inuiſius iſta.
Non ita fraxineæ inuiſæ ſerpentibus umbræ,
Non ſic agna lupos, non ſic fugit aëra talpa:
Vt tu quicquid habet perfectæ incommoda uitæ,
Quicquid Acidalio generoſam caumate mentem
Inficit, extinguitq́; animos melioribus aptos.
Tu fugis ut pulchris aconita latentia gemmis.
O uitæ tranquilla quies & ſumma beatæ:
Sic mihi præteritos olim deus exuat annos.
Talem ſera dies uideat me, ſeu mihi longos
Inuideant mea fata dies, ſeu frigidus annis
Ante diem preſſo moriatur corpore ſanguis,
Non mihi poſt cineres potioris cura ſepulchri:
Dum modo corporea defunctus mole feratur

Spiritus ante deum, cedat caro putris in æſcam
Vermibus, aut uolucres paſcat per inane uolantes
Cura eadem, ſtultus qui fœda cadauera in auro
Collocat, & uanis infundit balſama membris
Demens, & fruſtra miſeros amplectitur artus.
Qui faciunt ſimulachra uirûm, defunctaq́ ſeruant
Corpora, dij ſuperi quàm delirare uidentur.
Ergo uel ignotus moriar, uel ſi qua poetis
Gloria debetur dulcis poſt ædita uitæ
Munera, ſub quacunq; licet tellure quieſcam,
Tu modo ſeu magno meditaris iubila Chriſto,
Nocturnis inhians ſacris citharamq́; nouenis
Percurris fidibus reſonantem carmina regis,
Vatis Ieſſæi, ſeu diuite bibliotheca
Confuſus libros mille inter ſolis ad ortum
Leniter afflantem tua pectora ſuſcipis Eurum:
Tu modo, nanq; olim tibi noſtra fidelius ibunt
Carmina, liberiusq́; canam tua nomina Rufe,
Ad rus & montana ueni, maiora uolebam
Pangere, ni paſtorem humilis decuiſſet arundo,
Et rudis auerſo ſubijſſet Apolline Faunus.

IX. IDYLLII ARGV.

Introducuntur duo colloquentes paſtores, alter o uiũ Melinus, quaſi dicas ouinus, nã inter alia μῆλον *Græcis etiam ouem ſignificat. Alter caprarum nempe Aepolus quem Latini caprarium uocant. Hi amice inter ſe*

inter ſe de ouibus et capris diſputãt, utræ alteris præſtent, quisq; ſui generis gregem laudantes, & ridicula quædam argumento plane paſtorali, & nulla ex parte allegorico immiſcent.

H. EOBANI HESSI BVCOLICORVM IDYLLION IX.

Tertius Oceani iam Lucifer exit ab undis, Mel.
Altera nox abijt, poſtquàm mihi perditus iſtis
Quæritur in ſyluis aries, ubi plurima denſent
Vmbroſum uirgulta nemus, dic Aepole nunquid
Forſan aberrantem uidiſti, nam nihil unquam
Nocius hoc uno, niger eſt, caret aure ſiniſtra,
Cornua pene oculos tangunt redeuntia toruos
Ah pecus infœlix, non te tua cornua tutum Aep.
Non torui fecere oculi, Meline fatebor
Omnia uera tibi, uix poſt ientacula mane
Hæc auium dulces dum quæro per auia nidos
Ecce ſitu ſqualens exeſæ rupis ad antrum
Exceptum pecus ipſe lupus iam dente comedit
Sanguineo, frendens in me, niſi forte fuiſſem
A cane defenſus, mea mordicus ora petiſcet,
Ne doleas quod fata iubent, quod ferre neceſſe eſt.
Hei mihi nunc tandem euenit quod ſæpe timebam, Mel.
Hei miſerande aries, quòd eras audacior æquo,
Stulticiæ meritas perſoluis ſanguine pœnas.
Inter oues puduit uiridi te ceſpite veſci,

Tu cythiſum, tiliasq́; leues, dulcen q́; ciperum
Sulte ſequebare. & ſemper mihi ſolus abibas
Ergo nunc auidi rodent tua uiſcera corui:
Qui nimis eſt audax ſæpe infœliciter audet.
Aep. *Eſt ut ais, pecoris uerum obliuiſcere adempti,*
Qua potes hanc alia iacturam ſorte repe[illegible]de,
Et mecum uiridi lætus ſuccede ſalicto:
Hic ubi tauriginæ uolucres apiaria circum,
Et uarios pleno ſtrident examine flores:
Ecce ſed, ô nymphæ, quanto res digna cachinno
Quam ſaliunt petulanter oues in tramite plano.
Mel. *Quàm rudis es, necdũ diuturno exercitus uſu*
Sed quia te natura ouium fugit Aepole dicam:
Vicina ruber eſt delapſus ab arbore cortex
Cauſſa noui ſaltus, nam talia cuncta uerentur.
Et neq; uere roſas, neq; rubra papauera mandunt.
Aep. *Tale quid in noſtris etiam admiranda capellis*
Ridiculum natura dedit, nam uincula cruri.
Feceris è ſcirpo, uel uimine, ſiue geniſta,
Siue alio quocunq;, per omnes claudicat agros:
Quod cum uidiſſet ſceleratus riſit Amyntas.
Mel. *Hoc leue naturæ ſpecimen mirabilis aiunt*
Id graue populeis ſi ſueta canalia uirgis
Corticibus demptis ſpargas, tum frondibus albis
Intentæ meditantur oues gliſcente colorem
In coitu niueum, quæ cum conceperit albam

Aedit

Acdit ouem, ſic ſe magnus didiciſſe Philægon
Dixit, & in paruo monſtrabat codice ſcriptum.
Sic etiam ex alba niger hircus ſæpe capella Aep.
Diuerſam generat prolem, uarijq́; coloris
Idq́; ego dum capio teneri incrementa peculi
Non ſemel expertus longo ſum doctus ab uſu.
Verum age confer oues noſtris Meline capellis:
Quod prius effectum uoluiſti, perge fateri.
Hic neq; certandi locus eſt, nec talia tecum Mel.
Aepole contulerim dubiæ certamina palmæ.
Eſſe bonos ſiquidem pacem decet inter amicos
Ni iucunda magis quàm ſint mordacia dicta:
Si libet ergo iocos, non ſeria ſæua, canemus.
Incipe, flammiuomus cœlo dum Sirius ardet, Aep.
Dum iuuat umbra pecus, dum flumina grata capellis:
Hic melius riui præterlabentis ad undam
Sub uiridi plàtano in molli reſidebimus herba
Incipe, ſic faciles habeas Meline camœnas.
Caprarum grex atq; ouium mihi mixtus amatur, Mel.
Sed tamen ante pilos caprarum lana bidentum
Nobilis, & plures accommoda ſeruit ad uſus.
Et mihi ſunt ouibus mixtæ per paſcua capræ: Aep.
Grex tamen hirta placet, tantoq́; eſt gratior illa,
Quanto eſt utilius lana lac ſemper edenti.
Lana homines ueſtit, lanam cum diuite pauper Mel.
Geſtat emitq́; libens, & murice tingit & oſtro:

Frigora propellit, corpus tutatur ab æſtu.

Aep. Lac homines nutrit, tanto eſt nutritio maius,
Veſtitu, quàm uita neci fœlicior atra,
Caſeolos, butyrum lac dat duo maxima dona.

Mel. Non equidē infitior, ſed habent etiam ubera plena
Lactis oues, ſeroq; ad mulctram ueſper[illegible] ductæ
Omnia diſtentis implent mulctralia mammis.

Aep. Vno ſola die capra plus quàm quattuor agnæ
Lactis agit, paſtuq; domum compulſa reportat:
Bisq; omnes una mulgentur luce capellæ.

Mel. Ridiculum quod ais, plus tu rideberis ergo,
Perge tamen, faciles etiam riſere camœnæ.

Aep. Capra polos adijt, ſolo eſt ſpectabile cornu
Sydus Amalthæum, docto ſi credis Iarbæ,
Iupiter Oleniæ ſuxit deus ubera capræ.

Mel. Lucida Phryxæum pecus inter ſydera fulget,
Cui fuluum rutilo uellus diſtinguitur auro,
Sic ego me puero didici, uix nanq; recordor.

Aep. Nec rurale ſonant, nec ſunt paſtoria quæ nunc
Verba iocos inter ſurgunt, uix talia pauci
Vrbani ſapiunt, & neſcio quale Lycæum.

Mel. Vera mones, & nos paremus uera monenti,
Iſtaq; deſerimus plura & meliora canemus,
Craſtina Phœbæos ubi lux reparauerit ignes.

X. IDYLLII ARGV.

Et hoc amatorium carmen eſt, quo alter interlo-

quen

quentiũ amorẽ ſuum fatetur, & uinci ſe ab iſto affectu nõ diſsimulat, alter deteſtatur & diſſuadet. Cuius aũt & quem hic amorem deſcribat & notet non admodũ opus eſſe ut quæratur exiſtimo, cum hæc inſania generalis ſit nec ad unum aliquem pertineat.

H. EOB. HESSI BVCOL. IDYLLION X.

AMOR EVRYTI.

Eurytus Thyrſis.

Tempus erat medio iam ſol altiſsimus æſtu
Vſsitagros pepulitq́; leues pecus oẽ ſub umbras
Paſtores duo conueniunt de montibus, actis
In uallem gregibus, uicini fontis ad undam,
Eurytus & Thyrſis, quorum florentior æuo
Eurytus adſtantem ſic eſt affatus amicum:
Thyrſi decus nemorũ quãdo mihi proximus annis, Eur.
Et forma prior, & me maior es arte canendi,
Canta aliquid, longo noſtris tua tempore ſyluis
Fiſtula conticuit, nec dulces deflet amores,
Nec quibus ante duas formoſam Chlorida meſſes;
Ignibus ardebas contemptæ iactat amicæ.
Euryte, nec forma, nec ſum tibi proximus annis, Thyr.
Artis & ingenij ſi quid mihi fauit Apollo,
Hoc ipſi ſupereſſe uelim caſtisq́; camœnis,
Non Veneri: ſatis inſanitum eſt mollibus annis:
Nunc ſapere, & meliora ſequi prouectior ætas
Admonet, ipſe potes nugis pueribus iſtis

Oblectare animum, quando libet & tua noſtros
Non ita multo poſt ætas continget ad annos.

Eur. Vsq; adeo ne Venus liquit tua pectora Thyrſi
Quæ te plus alijs, memini & peioribus uſſit
Ignibus: ô quanti eſt talis curatio morbi?

Thyr. Ipſe mihi medeor, nec pareo talibus ultra
Illecebris, quæ ſic improuida pectora fallunt:
Vt ſubiecta ſolent lentæ per ſtramina flammæ
Serpere & arreptis incendia ſpargere tectis:
At tu cui teretes calami, cui carmen & ætas
Lude decent annos, & mollia carmina molles.

Eur. Pan faueas, noſtroq; adſis precor æquus amori
Sic olim tibi dilectam Syringa canemus
Naiada quam canna texit Venus alma paluſtri
Vt noſtros etiam nemus omne intelligat ignes:
En uenit, & nobis Canace uenit obuia, cernis
Vt niueæ molli ſinuentur flamine ueſtes;
Vt uirga in manibus uarias diſcriminet agnas,
Quas nunc illa domo potum compellit ad undas?
O ſalue facies mihi dilectiſſima, ſalue
Nympharũ decus ante omnes formoſa puellas
Iam dudum cupio tecum mihi mutua dentur
Colloquia, heu quanto miſerum me conficis æſtu:
Nulla mihi ſine te requies datur, omnia curis
Plena, dies uotis totos conſumimus iſtis:
Longa quieſcendas turbant inſomnia noctes.

Huc ades

Huc ades, & noſtros Canace formoſa dolores
Aſpice, tum requies nobis erit una ſub umbra
Faginea, ad fontem latices ubi dulcia uiui
Murmura per frondesq; cient tremulumq́; ſuſurrant:
Hic tibi caſtaneæ ſumentur & allia mecum,
Et pyra quæ f[illegible]tes uicinis montibus Heſſi
Mittunt, & niuei matura coagula lactis:
Huc ades ô Canace, miſeri cape munus amantis
Hunc leporem, turdosq; duos, caſtumq́; palumbum
Munera quæ luſtris tibi ſum uenatus in altis.
Vror ut in ſtipulas ignis proiectus agreſtes
Sole ſub ardenti campum depaſcit, & omnes
Herbarum ſuccos, ſic me dolor ille fatigat:
Qui mea neſcio quis traiecit corda ſagitta.
O ſi reſpiciat Canace mea uulnera ſero:
Vt quondam cum prima malum Venus egit in artus,
Dulciſona lætos modularer arundine uerſus
Inter oues, cantu ſyluæ & nemus omne ſonaret.
Heu crudelis amor quantum mortalia mutas
Pectora, nulla tibi par eſt ſub ſole poteſtas:
Sic me ſic poſito uitæ melioris honore
Cogis, & ante diem facis hanc languere iuuentam
Florida ceu ſubitis flacceſcunt arua pruinis.
Hoc tamen omne tibi patimur ſine nomine uulnus.
O Canace maiora pati tormenta parati
Te propter, tu ſola mei medicina furoris

Huc olim properans fido dabis oſcula amanti:
Qualia Luna ſuo quondam dedit Endymioni,
Qualibus Oenone Pariden complexa lacertis:
Seruantem Phrygiæ pecudes ſub uallibus Idæ:
Huc olim properans tu nos complexa iuuabis:
Flate leues Euri, ſpira genitiue Fauoni:
Ferte meam Canacen, ad nos huc ferte puellam.
Lingua ſtupet, rubor in uultum conceſsit anhelus:
Mēbra tremūt, ſaliunt præcordia, namq; propinquat
Quæ mea corda ſui clauſit ſub pectoris antro
Quo fugiam? quo non abeam? potiusne manebo?
An fugiam? quid Thyrſi loquar? pudor obſtat amori.

Thyr. Ergo ſagittifero dum ſic aſſueſcis amori,
Vix tu de gregibus mecum cantare uolebas,
Mirabar quid nanq; modos, & noſtra peroſus
Carmina deſerta ſolus ſub rupe iaceres
Mœſtior, & ſolito uultum ſqualentior uſu.
Scilicet ergo ſuam Pani Syringa canemus
Naiada, quam canna texit Venus alma paluſtri:
Non ita, nos alio iuuenes ardore fruemur.
Quem meus hæc olim cecinit per rura Philetas:
Exoſum Veneremq; ipſam, natumq; potentem
Stulte quid inſtabilis tabes in imagine formæ:
Vt roſa mane rubens, quæ ueſpere tacta recumbit:
Quàm cito bulla perit, tam flos cadit ille iuuentæ:
Deſipit omnis amans, moriturq; in corpore uiuo:

aprarum docuit paſtor,ſic ille monebat.

Vt nequit extingui Neræis fluctibus Aetna: Eur.
: grauis ille ardor,qui me mihi ſuſtulit,omnes
ontemnit monitus,neſcit Venus improba flecti.
eu quibus immergor curis,quibus ignibus uror?

Interea Oceano pluuias ſol attrahit undas, Thyr.
Lybs & Boreas luctantur & humidus Auſter
empeſtas oritur,paſtu diſcedere tempus.

IDYLLII XI. ARGV

Per Philondam hoc Idyllio Richardum Sbrulium
uendam Delmatam, ineptiſsimis eo tempore poema
is paſsim per Germaniam ineptientem, cuius arro=
antiam & faſtum non ferens,ſeipſum,aut quemuis a
ũ poetã Germanũ ſub Corydonis nomine deſignat.

H. EOB. HES. BVCOL. IDYLLION XI.

Philondas. Corydon.

IN uallem Corydon & eandem forte Philondas
Compulerant,boues hic,ille capellas:
Ille procul patriæ fugiens incommoda terræ,
Ducebat profugos peregrina in paſcua tauros:
Hic patrios circum ſaltus,& nota tenebat
lumina,non paſtas aliena fronde capellas:
t quia paſcentes communia ſæpe ſubibant
rata,breui coijt noua conſuetudo,fuitq;
Mutua,donec erat ſtudiorum innoxia utriq;
Gloria,parq; decus,quod ubi decreuit,& auxit.

Alterius famam, non æqua mente Philondas
Illa ſtrens, ſaxo ſic eſt auditus ab alto:

Phil. *Qui ſyluas & rura colũt, qui culmina & agros*
Paſtores habitant, qui ſunt à flumine Rheno
Ad Scythicum Tanaim, qui ſunt uel ab Alpibus usq;
Ad mare Balthiacum, qui uel didicere cicutis
Vel quodcunq; leui diffundere carmen auena
Multiforem buxum, aut dulcem ſufflare monaulon
Pignoribus poſitis & ſi pro munere uitæ
Certantes ego tam ſupero quàm cedrus acanthum:
Quàm roſa ſeptiuagum ſuperat pæſtana liguſtrum.
Nam neq; præſtantes tam barbara rura poetas
Præſtiterint, neq; in his Muſæ regionibus ullæ
Confideant, ergo noſtrates plaudite, quando
Audeat hic nemo mecum contendere paſtor.
Hæc ubi perſonuit ſcopulo uocalis ab alto
Famæ damna ſtrens non æqua mente Philondas:
Tum Corydon, nam excitus erat iam uoce canentis.

Cor. *Pulſe procul patria noſtrum fugitiue ſub orbem*
Pauperie monſtrante uiam, pannoſus & exul
Veniſti, quis neſcit in hæc tam læta receptus
Paſcua, grex poſtquàm noſtris collectior errat
Montibus, & niuei ceßit tibi copia lactis
Poſtquàm uix libros didiciſti inflare colurnos
Confuſumq; breui murmur blaterare cicuta
Tolleris, & faſtu turges immanius ipſo

Tanquam nemo tibi par ſit,nec ſe tibi quiſquam
Audeat è noſtris componere ſtulte poeta:
Qui tua cum noſtris deliramenta camœnis
Ceu tenebras cum luce,nihil conferre uereris
Hos inter nemorum ſaltus,hæc culmina circum
Leniſluos ar[illegible]es iuxta fonteſq́; beatos
Floribus & multis circumflorentibus herbis:
Hæc propter dumeta canens,incondita iactas
Carmina,quæ nemo,te præter,laudet ametq́;:
Nemo miretur,niſi qui te laudet ametq;.
Tu tamen illa canens laudas,miraris amasq;
Inter tot ſumma paſtores laude canentes:
Vt quæ cum uolucrum ſit deſpectiſsima,certet
Vincere cantando morientes noctua cygnos.
Vnaue turpe ſonans ſi tentet Aëdonas omnes
Vincere,& in limo placeat ſibi rana paluſtri.
Veſtras ergo iube Muſas gaudere Philonda:
Quòd te lucifugam ſuperare in carmine uatem
Noſtrates pueri iam primo in puluere poſſunt.
Vade per infauſtas iterum in tua paſcua rupes
Inter olorinos quid ineptis noctua cantus.

Si tibi tam facilis uenus eſt in carmine,ſi te Phil.
Tam fœlici anima ridens afflauit Apollo.
Hac mecum Corydon ſi non requieueris umbra
Non eris Aoniæ quicquam de ſorte coronæ.

Ergo ſi tecum requiero,quid inde Philonda Cor.

Phil. *Experiar, quid enim potes improbe, qualia iactes*
Carmina, qui tantum potuiſti ſpernere uatem:
Huc igitur concede, tenent loca tuta capellæ:
Grataq; iam ſaturæ ſubeunt umbracula uaccæ
Certemus, cauſſam certaminis ipſe dediſti:
Non tibi cum puero certandum impulſ[...]re, uerum
Prouida cui molles ætas iam finiat annos
Cui natiua genas iam ueſtiat umbra uiriles:
Nec facile hanc nobis barbam attrectaueris, audax
Sis licet, & nulli paſtorum robore cedas.
Cor. *Eſt aliquid magno barbam attrectare prophetæ:*
Dicere ſed uolui, lapſa eſt mihi lingua, poetæ.
Phil. *Errat ſponte ſua quoties uult improba lingua*
Non ſum adeo ignarus, tibi ſcommate rideor iſto.
Cor. *Quis ridere queat rugoſi tubera naſi*
Labraq; continuo ſcabros nudantia dentes:
Sic fugat intrantes, canis hic, ſata proxima tauros.
Phil. *Verba probant animũ, niſi uanus & improbus eſſes*
Crimina difficilis naturæ nulla notares:
Non facies hominem, ſed mens formoſa uenuſtat.
Cor. *Inuidia eſt facie quæ te facit eſſe canina*
Lumina nempe in me torques obliqua Philonda
Vt cum Zelotypus riualem taurus abhorret
Indicat iram oculis & plagam fronte minatur:
Phil. *Quis tam mordaces ferat æqua mente cauillos?*
Cor. *Omnia fert ſapiens, niſi ſtultus & inſcius eſſes*

Ridentem

Ridentem ſimili poſſes ridere cauillo:
Allatrata canis rellatrat, morſa remordet.
Scimus, & hoc uerſu non multum diſtat ab iſto: Phil.
Concaua carminibus uallis percuſſa remugit.
Verum nemo negat, ſub idem ſed conſonat illud: Cor.
Omnia procul re reſpondent iubila ſyluæ.
Liniger & ſacra dum clamat in æde ſacerdos: Phil.
Sub tota uariæ reſonant teſtudine uoces.
Garrula limoſa dum rana palude coaxat: Cor.
Vociferæ magnis reſonant clangoribus undæ.
Si bona cantâris reddunt bona carmina ſyluæ, Phil.
Si mala per ualles cantes, mala redditur Echo.
Verum, qui bonus eſt loquitur bene, ni malus eſſes Cor.
Non uelles conferre bonis mala carmina, nec te,
Eſto etiam magnum, præferres omnibus unum.
Si bonus es fronti teſtem præſcribe tabellam: Phil.
Vt qui te uideat qui ſis cognoſcere poßit.
Mille trahit ſecum recti mens conſcia teſtes Cor.
Si neſcis, titulo uirtus non indiget ullo.
Hora fugit cupidæ nectis ludibria menti Phil.
Callidus, & multo præcludis ſeria ludo.
Cœpta ſequi decuit, nihil hac ambage mouemur:
Si bonus es, ſi te uerus perflauit Apollo,
Profer inaudaces pulchra in certamina Muſas.
Vt maiora bonam redimat per uulnera famam Cor.
Saucius inſtaurat, quam liquit, athleta palæſtram

Victus es, interea, ne plus uincare, quieſce.

Phil. Deſinet ante manu plenas mulgere capellas
Caſeolos paſtor uenum laturus in urbem:
Dulcia mellis apes fugient lita, ſalſa capellæ.
Quàm tibi tantillo tradam certamine palmam
Quod neq; luctator ſalius, pugilue [illegible]uentus,
Sed pulchro faciles claudent examine Muſæ.

Cor. Nomina quis docuit noſtrũ tam magna Philondã?

Phil. Cum mater mea me primum duxiſſet in urbem
Vidi luctantes, ſaltantes, belligerantes,
Currentes, diſcum torquentes, tempore ab illo
Nemo me ſaltu toto eſt præſtantior agro.

Cor. Paſtorem curare greges, armenta tueri
Arma palæſtriten, nautam tractare rudentes,
Sutorem crepidas, ſua quemq; agere ocia oportet.
Florigeros, i perge, tuum pecus intrat in hortos:
I reuoca, dominus, non eſt puer, illius horti
Incautum occidet, ſi uenerit ipſe, iuuencum.

Phil. Taurus adeſt uicina boues uiridaria paſcunt
Si uir es, & duris animum qui obſiſtere rebus
Poßit habes, uerſu mecum certabis agreſti.

Cor. Qui tecum certare uolet, quo teſte Philonda.

Phil. Debita iuditio ſtabit uictoria [illegible]
O Corydon, quia teſte opus eſt & iudice Phœbo.

Cor. Sæpe ſolet uinci temere qui prouocat hoſtem:
Iuſta laceßito ſemper uictoria ceßit.

Vt lupus imbellem timet inſatiabilis agnum:
Vt leporem canis, ut captum Iouis armiger anguem
Teq; tuasq; minas metuo, ſed amice monendus
Quando immane tumes, quid ſi te ruperis, olim
Rupta perit dum rana boui par eſſe laborat:
Et nunc Adriacæ dum ſufflant uiſcera ranæ
Et ſinuoſa uago diſtendunt brachia ponto
Non contenta undis animalia friuola, uerum
Dum terras habitant, lauretaq; proxima fœdant:
Reginæq; auium præcelſa cubilia nidos
Inſiluiſſe parant, diuis factura pudorem,
Si ſe deijciant cœlo, tum Iupiter autor
Fulminis, emiſit uolucres ſua tela ferentes:
Quæ roſtris feriant, & curuis unguibus ipſas
Abreptas pelago referant, undiſq; reponant.
Grandia mox aquilæ uibrantes fulmina, ranas
Quas non omne prius cœpit mare, rurſus in unam
Antiquamq; coëgerunt remeare paludem:
Nunc miſeræ ſolitis ranæ paſcuntur in undis.
Turgida flacceſcunt, nunc pinguia uiſcera marcent,
Vt breuiter dicam, quando uoluere gigantes
Eſſe brues ranæ cœperunt eſſe cicadæ.
Diſcite paſtores menti dare frena ſuperbæ
Altius erectum grauius cadit, omne ſuperbum
Inuiſum ſuperis, pietas gratiſſima cœlo
Aſpicis annoſas conuelli turbine pinus:

Flexilis ut nullos uentos horreſcat arundo:
Fulmina non humiles tangunt crepitantia ualles:
Semper ſumma petunt, & cœlo proxima turbant:
Te quoq; ne ſupra mortalem efferre labores
Ne graue poſt triſtem doleas cecidiſſe ruinam.
Si bonus es patiare parem, tam nemo beatus
Quem nemo æquiparet, non dat Deus omnia ſoli:
Corde ſit iſta tibi ſententia fixa ſub imo.

Phil. *Sæpe ſub immundo lucente puluere gemmæ:*
Sæpe latet fuluum duris ſub cotibus aurum,
Nunc primum experior quales hæc rura poetas
Extulerint, quales habitent per inhoſpita Muſæ
Auia, ab his certe non eſt auerſus Apollo
Vepribus, huc etiam diuæ uenêre ſorores:
Nympharum dominæ Charites, quis credere poſſit
Sydera cuncta prius cœlo caſura putabam:
Nerea paſſurum flamma, quàm talia poſſent
Carmina cantari ueſtris, dij qualia, ſyluis.
Inuideo Muſas uobis ô rura Latinas
Barbara, iam nullo tecum contendere uellem
Carmine, ſic iterum patrios inglorius agros
Aſpiciam, ite mei, mecum fugite, ite iuuenci:
Non libate undas, non carpite gramina, donec
O dulces mecum patriæ ueniatis ad agros:
Barbara rura, pares non poſſum ferre, ualete.

Cor. *Iam poteris tumidas imitari liuide ranas*

Aedi

Aedite ranarum de ſemine, uade per æſtum,
Per iuga, per ualles, per mille pericula ſolus.
Obuia nuda ſilex obducat paſcua, ſæuus
In media uicina ſiti ſol flumina ſiccet.
Sæuiat omne tibi ſtellati numen olympi:
Vt cauſſa inuitas nobis meliore Latinas
Pieridas, i bardiaco ſignande cucullo.

XII. IDYLLII ARGV.

Somnium ſe per quietem uidiſſe fingit de corona poetica, ad quam conſequendam ea ætate qua hæc ſcribebat cum ab alijs accenderetur, tum ipſe per ſe iuuenili quadam cupiditate ferebatur, uerum ætate iã prouectior cum & iudicium acceſſiſſet, uideretq́; id honoris indignis paſſim & indoctiſſimis quibusq; & ſine delectu deferri, indignatus eam rem ſemper deinceps magnifice contempſit. Seipſum igitur per Polyphemum, per Agauum Io. Crotum Rubianum, quo tũ ut nunc quoq́; amico familiariſſime utebatur, per Heliadem Hermannum Trebellium, cuius & Idyllio quinto meminit, qui forte eo tempore ab Electore principe Saxoniæ Friderico laurea donatus erat, intelligit.

H. EOB. HES. BVCOL. IDYLLION XII.

Agauus. Polyphemus. Heliades.

Surgit ab Oceano tenebris aurora fugatis Aga.
Mane fit, & pulſa reſerantur paſcua nocte:
Omne pecus paſſim patulis immittitur aruis:

Et matutinæ cantant ad mulctra puellæ
Solus adhuc dulci ſtertis Polypheme ſub antro:
Vt ſomnolenti glires, uituliq; marini:
Non tibi mille auium uoces potuere ſoporem
Tam longum excutere, aut durorum ruricolarum
Sed uigila iam ſol extat plus quattuor ulnis
Altus ab Oceano, & terras ſupereminet omnes:
Et uacuæ clauſis balant in ouilibus agnæ:

Poly. Improbe quàm dulci ſomno me excludis Agaue.
Non hoc me leuius memini dormire bimeſtri:
Sed tamen heu miſeræ pecudes, iam montibus altis
Vt uideo, ſparſum iubar omnem illuminat orbem:
Nulla tamen noſtrum lucis pars uenit ad antrum
Tam clauſo poſthac nolim dormire cubili.

A ga. Vt primum radijs Phœbus pat. fecerit orbem
Euigilo, & plumis caput exero dulcibus, ergo
Lanigeris ouibus campos, dumeta capellis
Orto ſole damus, gaudent in rore iuuenci.

Poly. Plenius hæc alio repetemus tempore, quando
Nunc animum potiora mouent, res digna relatu
Quæ mihi turbârint excẽſam inſomnia noctem.
Dij ſuperi, quàm certa fides, oracula dicas,
Sic uiua præſens eluſit imagine Morpheus.

Aga. Dic igitur, dic formiſtram Polypheme quietem
Quas facies, quæ mira nouis ſimulachra figuris
Videris, interea pecus hæc uiridaria circum

Paſcetur,

Paſcetur, decimam dum ſol aſcendat in horam:
Et nos hanc ſubter corylum recubabimus, unde
Poſſimus, uelut è ſpecula, pecus omne uidere.
Paſcite gramen oues, ſalices nudate capellæ: Poly.
Donec monſtriferæ referantur ſomnia noctis.
Tempus erat ſacros nox cæca redúxerat ignes:
Quo grauidos iam ſumma quies obrepit in artus:
Cum ſyluæ pecudesq; tacent pictæq; uolucres
Totaq; tartareo circundata numine tellus
In requiem conuerſa ſilet, me ſomnus habebat
Altior, & clauſo recubabam ſolus in antro.
Propterea ſuper herboſis errare uidebar
Aggeribus frondesq; manu reſecare capellis
Lætus, & arguta modulari dulcia canna
Carmina, dum calidi cœlo fremit ira leonis
Cum mihi, neſcio quo, ſuccenſo pectus amore
Muſarum Phœboq; ſacræ Permeſſidos undæ
Culmine ab aerio, ſummoq; à uertice Muſæ
Deſuper oſtentant lauri de fronde coronam
Conſpicuam, ductrixq; chori regina uerendi
Tale fere ſumma cecinit mihi carmen ab arce:
Qui nunc graminea pecudes in ualle coërces
Digne ouium cuſtos, his digne uirentibus aruis
Quæ rigat allabens Hieræ uicinior Vnſter
Huc propera. ſeruata tuæ fer præmia fronti.
Cinge comas hedera uiridi tege tempora bacca

Vnſter fluui. Thuringiæ q Hierã nõ ita lõge infra Erphurdiam recipit, uulgo dy Vnſtrut.

En ultro porrecta tibi Polypheme corona eſt,
Accipe cum dixiſſet ego in ſublime ferebar
Vi rapida, ſolitoq; magis uelocior, ac ſi
Vmbra leuis, uel pluma forem, pernicior Euro:
Iamq; adeo prope limen eram uenerabilis antri,
Vnde prius noſtras peruenit carmen ad aures
Cum mihi forte uenit curſu Meliſæus anhelo
Obuius, & multis circumuenientibus ipſum:
Qui comitabantur, paßis mea colla lacertis
Complexus, quo dixit abis: iuuenilibus ergo
Frena cupidinibus non ponis? & iſta ſequutus
Mollia Muſarum ludibria, quæris honorem
Qui tibi præripiat ſero maiora uolenti
Præmia; namq; leues pueri florentibus annis
Quando coronatæ cœpere inſignia frontis
Deſpiciunt, quicunq; canunt ſine fronde, poetas,
Tanquam donatæ faciant bona carmina lauri
Et pecus, & ſyluas, & oues, & ouilia damnant:
Laudantur, celebrantur, & omnia ſcire putantur
Cum pulchro faciles uernant in flore capilli,
In ſublime tument, cœlum uertice pulſant
Non inter pueros, non amplius inter agreſtes
Verſantur, quærunt urbes, primatibus hærent,
Præclaris inhiant titulis, ſeq; omnibus ipſos
Cum iam prætulerint pudor eſt deſcendere, & inter
Paſtores uerſari, & famam ambire minorem,

Quis hic Meliſæus ſit, in argumento primi Idyllij dictum eſt.

Paſcere

Paſcere oues iterum, dominisq; ſubeſſe recuſant:
Ferre iugum graue, ſeruitio ſibi quærere uictum.
Aut ubi damnoſæ confiſi munere lauri,
(Vt ſolet iſtorum longe pars maxima) nullis
Artibus inſtructi melioribus, omnia ſolo
Muſarum ſterili ſtrepitu fora, & omnia complent
Atria præter aquas Heliconis nulla loquuntur
Commoda, & indoctis tumefacti pectora nugis,
Pauperie extremam miſera clauſere ſenectam:
Ergo age ſiſte gradum, iuuenili obſtare furori
Eſt opus, & melius uitam inſtituiſſe futuram.
Nos te Palladio ſudantem in puluere, totis
Viribus inuictas ueræ uirtutis ad arces
Ducemus, pinguiq; caput redimemus oliua
Quam complexa pia defendat populus umbra:
Fortis ut Herculeos, poſſis æquare labores,
Sub doctis paſtoribus, hæc tum prima probatæ
Vitæ ſigna refert, & libertatis honorem.
Hanc ſuperimpoſitæ lauri meliore uireſcent
Germine, tantum effatus erat, cum tu mihi ſomnum
Excutis importunus, agens me uerbere uirga:
Hæc ſunt per longam quæ uidi inſomnia noctem
Mira refers, & quæ uideantur claudere quædam, Age
Quæ non uulgaris doceat myſteria paſtor:
Ecce ſed Aonia redimitus tempora lauro

Aduenit Heliades, tibi quid Polypheme uidetur
Nunquid Apollineæ quota pars erat iſte coronæ?

Hel. Saluete æternum ſocij feſtiuaq; mecum
Gaudia lætitiamq; nouam celebrate fauentes
Nunc calamos inflate leues, dum rura poetam
Veſtra nouum meruere, ſonent nemora omnia cantu.

Poly. Quis te digne puer tanto dignatus honore
Extulit, & ſacra cinxit tibi fronde capillos:
Dic age, dic, aliquis ſuperumne? an paſtor agreſtis?

Hel. Dum luſtra amiſſum quæro per inhoſpita taurum
Monte ſub obſcuro, ramis ubi plurima ſacros
Arbor obumbrat aquas, raptum ſuper ardua montis
Diuæ Pierides uatem fecere, quod olim
Contigit Aſcræis paſcenti in uallibus agnas
Vidi præſentes afflatus numine Muſas.

Aga. Præſentem uidiſſe puto te dæmona, namq;
Quid ſunt Pierides niſi blanda inſomnia Muſæ?

Poly. Longa deas olim cōmenta eſt fabula Muſas
Non fruſtra tamen, & ratio eſt qua dicere poſſis
Vatibus inſpirare ſuas ſua carmina Muſas.
Verum præſentis non eſt res iſta negoci.

Hel. Nunqd ad hanc etiam aſpiras Polypheme coronā?

Poly. Neſcio, ſed tamen his aliâs de rebus egemus:
Fuſcina nō facit unca coquum, monachumue cucullus:
Nec laurus uatem, ſua quemq; profeſſio monſtrat.

Sit ſatis

Sit ſatis hæc ueſtrum, me iudice, præſtat uterq;: Ag.
Sed tamen eſſe bonum, res eſt diuina, poetam
Atq; adeo noſtris non enarrabile pagis:
Ite ualete ſuas iam paſcite quisq; capellas.

FINEM HIC HABENT EA QVAE PRIMA *æditio continebat, quæ ex undecim eclo gis in duodecim Idyllia dige ſta ſunt.*

HELIVS EOBANVS HESSVS LECTORI S.

HActenus agreſti iuuenilia carmina plectro
Pinximus, & ſyluas quæ decuiſſe queant:
Quæ qcunq; leges nec paßim lecta probabis,
Aetati ueniam, quam decet, eſſe ſine:
Ruſtica nam primum quo tempore carmina luſi,
Vix ierant uitæ bis duo luſtra meæ:
Quæ nunc his adiecta uides, ea ſerior ætas
Protulit octauæ proxima olympiadi.
Quæ niſi commendant tibi ſe ſatis ipſa, putato
Talia quæue premas carmina, quæue legas.
At tu qui iuuenem noſtri ſtudioſe probabas,
Spero equidem melius poſſe probare uirum:
Quòd ſi temporibus non hoc ſatis adſequor iſtis,
Fiet poſteritas æquior ipſa mihi.

Noribergæ M. D. XXVII.
Menſe Auguſto.

SEQVVNTVR IDYLLIA QVINQVE POſteriori æditione adiecta, quorum primum, quod ordine decimumtertium eſt, continet Encomion, hoc eſt laudem Illuſtris & Magnanimi Herois Philippi Heſſorum Principis.

MIntiades Muſæ ueſtri mihi fontis ab ortu
In paulo maiora nouas date carmina uires,
Si ueſtrum decuit teneras ſpreuiſſe Myricas
Tityron, & ceciniſſe ſuas in Conſule ſyluas,
Me quoq; per noſtros uix iam ſylueſtria ſaltus
Digna ſed urbanæ deceat deducere plebi
Carmina, ſic animo calor incidit, hic ubi pulchras
Caſſellas pulchro celer influit agmine Fulda:
Quem nunc ille ſuis Princeps animoſior annis
Accolit, & patria ſtabilit uirtute Philippus
Regna, per & Rheni, per & oſtia nota Viſurgis,
Tam late Heßiaci ſunt brachia tenſa Leonis.
Tu nunc ſiue paras lectas in bella cohortes:
Quod nolim, quod oliuifera tua dignior ætas
Pace fuit, ſeu compoſitis te libera rebus
Ocia ſuſcipiunt, iſtis abſcede parumper
Conſilijs, & ad has, tantum non ludicra, nugas
Ingentem demitte animum, curisq; reſolue
Magna patris magni ſoboles generoſe Philippe
Non indigna leges te carmina, ni mea forſan

Sordeat, & nullum mereatur Muſa fauorem:
Sed neq; ſordeat inculto quia ruſtica uultu
Audeat ex ipſis prodire in mœnia ſyluis:
Audijt ipſe ſuas cantantem ſæpe capellas
Tityron, & Latiam produxit Cæſar in aulam:
Audijt & tenuem Siculi paſtoris auenam.
Ipſe tulitq; ſuas Ptolemæus dicere laudes,
Te quoq; ne pudeat, iuuenum fortiſſime, uerſu
Cantari tenero, donec te ſerior ætas
Præclaris auctum meritis in carmina mittat
Heroa reſonanda tuba, nunc mollibus annis
Sic tibi, ſic patriæ decuit præludere famæ.
His & acerba tui defleuimus ante parentis
Funera, ut extinctum falſo ſub nomine Iolam
Diximus, & patria ſolum te morte relictum
Spem generis gentisq; tuæ, ſed & iſta per omnes
Iam dudum uulgata manus triuere legentum.
Hæc nunc adijcimus, poſtquam te quattuor actis
Luſtris, quinta uidet creſcentis olympias æui
Connubijs auctum regalibus, inde futurum
Fata fauere uelint, te digna prole parentem:
O fœlix ætate bona, quem cuncta benigno
Sydera proſpiciunt uultu, modo pacis amorem
Dij faueant, modo non iterum te abiecta reponat
Iuſtus in arma furor, ſatis eſt iuuenilibus annis,
Spectatum, quàm conſilijs quàm pectore præſtes,

Quantus

Quantus in arma ruas, quanta te mole ruentem
Senſerit ille tui nuper ferus accola Rheni
Ille tui populator agri, qui iura fidemq́;
Nullius erubuit, donec modo uindice pœnas
Sanguine perſoluit proprio, prædamq́; coactam
Exuit, & Stygias abijt non ſolus ad umbras.
Senſit & ille tui pars ſanguinis, inclitus armis
Et florens opibus, quem Vuirtemberga receptum
Gaudet habere domus patrem, te uindice tanto
Quantus in arma alius quisquam ueniſſe putatur.
Magna Teutonidos bello regionis in ora.
Senſit & Arctoi reparata potentia Dani
Conſilijs dux magne tuis, te Saxonis ora
Fraternis, duce, pene armis ruitura quieuit
Senſit & ipſe iterum ſedes cui nuper auitas
Reddideras, æquis placatus legibus Vlmæ.
Salue igitur proauis à Regibus orte Philippe.
Qui reges in regna locas, qui mutua pacis
Fœdera concilias, qui tam bella horrida tollis:
Quam potes aut inferre, aut uincere, ſi tibi quiſquam
Inferat, hanc ſubiti Thuringa per arua tumultus
Virtutem ſenſere tuam, ſed ne omnia dicam,
Multi alij ſenſere, ſed hæc nec pagina tantis
Molibus eſt oneranda, nec audent talia Muſæ
Syluicolæ, quamuis paulo maiora profeſſæ
Ergo erit illa dies qua te, quemcunq; per orbem

Me ſupereſſe uolent ſuperi, maiora camœna
Et tua facta canam, nec enim tibi pauca ſuperſunt
Facta gerenda, ipſos diuum æquatura triumphos,
Qui poſtquàm uix iam iuuenis tam multa paterno
Adijcis imperio, qualem uentura uidebunt
Sæcula? digne tuis annis, digniſſime longa
Annorum ſerie tranſcendere Neſtoris æuum.
Tu modo, tu totis amplectere uiribus iſtas
Virtutes quæ te magnis Heroibus æquent:
Atq; adeo nullam primis patiantur ab annis
Deperijſſe tui partem, nec laudis egenum
Eſſe ſinent, uerum ſupra conuexa locabunt
Aſtra poli, terræ tractus tua fama per omnes
Viuet inextinctumq; manebit in omnia nomen
Secula, nam pereunt quæcunq; potentia mundus
Gaudia diues habet, ſemper manet inclyta uirtus:
Geſtarumq; inſignis honos, & gloria rerum,
Præcipue ſi facta ſuis illuſtria uates
Carminibus celebrent, lucemq; informibus addant:
Hi faciunt ut uiuat opus quodcunq; per orbem
Aut laudem meruit, famaue laborat iniqua.
Sic ferus Aeacides, ſic ærumnoſus Vlyſſes,
Sic pius Aeneas, ſic Amphitrione creatus
Sic Thebæ, ſic Troia manent, licet hauſerit illas
Iamdudum, in cineremq; redegerit hoſticus ignis.
Quid reges Macedum? quid rerum culmina Romæ?

Quid

Quid gentes alias referam? ſi rebus agendum
Exemplisq; fuit, quo ruſtica uerba? quid autem
Paſtorum oblitus reges meditaris Apollo?
Talia conanti decuit te protinus aurem
Vellere, & admonuiſſe ouium, non grandia Muſæ
Facta canunt humiles, nec templa ſed arua colentes,
Ergo age Guilielmi digna propago,
Hec quoq; pulchra tuis uirtutibus adde Philippe,
Et dum digna facis Muſis, & uindice Phœbo,
Hos illumq; colas, & ames utrumq; colentes,
Tu mihi dignus eris, quem Muſa & Phœbus ab omni
Vindicet interitu, famaq; loquacibus annis
Efferat, æternoq; locet tua nomina cedro:
Id facis, & te ſponte tua melioribus offers
Ingenijs, nec enim tam nobilis indole læta,
Spiritus ille in te quicquam à uirtute paterna
Degenerare poteſt, nec honeſtæ laudis amorem
Ponere, perge igitur dignum te laude fateri,
Ingenies qui laude uehant ſuper aſtra, tuumq;
Genus illuſtrent, & Martia facta loquentur,
Nec tibi quærendi per regna aliena Marones,
Unde ſonaturi, qui te fœlicibus æquent
Laudeis, aliquos tibi dant tua regna poetas:
Non Virgilios, quales tamen Heſſia terras
Et uirginibus plenas non ultima Muſas

Ferre poteſt, tu perge uia, nec deſere cœpta
Quod facis, & tanti menſuram nominis imple.

HOC PRAECEDENS ENCOMION
ſcriptum eſt Noribergæ M. D. XXVI.

H. EOBANI HESSI IDYLLION XIIII. AD Doctiſſ. Virum Philippum Melanthonem de contemptu ſtudiorũ noſtri temporis.

MVſarũ Phœbiq; potẽs et amice Melanthon,
Cui mea præcipuam debent Idyllia famam
Dic age quæ ratio triſtes hoc tẽpore Muſas
Opprimit, & ſtudijs adimit, quem debet, honorem?
An quia bellipotens circumſonat undiq; Mauors
Funeſtisq; replet confuſum cladibus orbem?
An quia nulla datur librorum copia, & omnes
Ditia præcipuas includunt ſcrinia chartas?
Haud quaquam, nec enim quantumuis ſæuiat armis
Orbis, & inſano concurrant regna tumultu,
Illa bonis unquam ſtudijs infligere clades
Vulnera tanta poteſt, quantis nunc illa laborant,
Quin facile emergant iterum, preſſæq; reſurgant
Pierides, referantq; caput, lucemq; reuiſant,
Nam neq; ſcripta aliò captiua feruntur, ut olim
Barbara cum Latium ſæuirent arma per orbem:
Nec quamuis diffuſa per omnes bibliothecas,
Hoſtica multiplices paſcant incendia chartas,

Vel minimum nocuiſſe queant, tot ubiq; premendi
Arte, ſuperſtitibus quaſi prior uſa fuiſſet,
Noſtra etiam libris frueretur pluribus ætas
Quos male nunc petimus uotoq; optamus inani.
Nunc uero poſtquàm quæ de tot milibus extant
Copia proſti.. it, uileſcunt optima, ſicut
Semper abundantes pariunt faſtidia menſæ.
Præcipue poſtquam quo ſunt peiora, fauorem
Maiorem inuenere, nec utile creditur eſſe
Quicquid præcipuum eſt, & eo contemptior omnis
Muſarum chorus, & linguarum gloria, poſtquàm
Omnia uulgares implerunt ſcrinia chartæ
Et, niſi, ſcripta fere, uernacula, nulla leguntur,
Proh ſuperi, potuit ne tibi Germania maius
Dedecus inferri? potuit ne atrocior hoſtis
Graſſari, finesq; tuos incurrere? & ultra
Perdere? cum ſatis hac infœlix perdita clade
Concideris? neq; tu credes nunc uera monenti.
Tempus erit quo ſtulticiæ te ignobilis huius
Pœniteat pudeatq;, ſed hoc, ut cætera ſero
Agnoſces, cum iam tua friuola facta dolebis:
Quàm uelles habuiſſe animum nullius egentem
..cis, ubi in tenebris merſam te ſtulta uidebis.
..d mihi nec ratio fuit iſtius ulla querelæ
..cepta, & fruſtra nebulas contundere plagis.
..iacet interea frigetq; inueſtis Apollo,

Longaq; proſcriptæ peragunt ieiunia Muſæ,
Quæ ratio, q̃ cauſa ſubeſt? age docte Melanchthon,
Expediam, propiusq; ſequar ueſtigia tanti
Erroris, quo non fuit unquàm fœdior ullus
Quàm fuerat melius, uel non mouiße prophano,
Bella ſophiſtarum populo, uel mota ſi[illegible] æqua
Compoſuiſſe bonaq; futura in fœdera pace,
Arbitrio uictoris, ut in ſua barbara uictis
Regna relegatis, ſtudiorum uictor in arce,
Regnaret populus, ſicut iam cœperat omni
Conditione, ſed in partes ubi turba recepta eſt:
Nil præter patrium ſapiens, atq; iſtius expers
Militiæ, confuſa retro uictoria ceßit.
Amiſſumq; decus, partum prius hoſte ſubacto
Ignaui ſiquidem cum uincere poſſe docentur,
Ipſos uictores etiam contemnere diſcunt,
Nos tamen obſcuris poſitis manifeſta loquamur:
Quis neſcit patribus noſtris quam nulla bonorum
Conſtiterit ratio ſtudiorum, uilibus autem
Omnia plena ſcholis, ignobilis anxia uitæ,
Tempora perdiderint iuuenumq; ſenumq;, nec ulli
E noſtris curæ fuerit meliora ſequendi,
Verum eadem ſtabili longo iam tempore ab uſu
Peſtis ut inualuit, ſic nuper decidit omni
Victa modo, niſi nos uti uictricibus armis,
Non uoluiſſemus. Nam ſic rediere Latinæ,

t Graiæ ſplendore nouo ſua tempore Muſæ,
uſtrantes, ut iam doctas ſpes eſſet Athenas:
uc migraturas, & magnæ nomina Romæ
rgilioſq; uiderentur, magnoſq; daturæ
eonidas, Demoſthenas, & claros Ciceronas:
nq; fere toto fatis oriente relicto:
nit ad occiduas ſtudiorum gloria partes,
lipotens ut non tantum Germania, uerum &
llia & occiduo ſummota Britannia ponto:
noſtrum quæcunq; habitat gens ſparſa per æquor
bariem exuerent, & cultæ munera linguæ
tatim peterent & lætarentur adeptis:
n ſubito quo non alius uel inertior hoſtis,
crudelior emerſit, Muſiſq; renatis
puit redeuntem animam retroq; fugauit,
per inaudaces turba indoctiſſima bardi
laces uero poſtquam nihil eſſe laborem
udijs inſumere opus, fruſtraq; per ipſas
uarum ambages duci iuueneſq; ſeneſq;:
ſacras per ſcripta dari uernacula uulgo
rea uanum ac fallax opus eſſe ſcholarum:
aſere animis rudibus, tum deniq; faſtu
uiſſe nouo uideas, dum cœpta ſequuntur,
rſu facili ex animo ſentencia cedit,
nus immodicis reſonant clamoribus omnes,
unc inuidiæ famulantia templa cathedræ

Parcite deceptæ per tot iam ſecula mentes
Perdere communis dulciſsima pignora lecti
Artibus inſanis, & amara ſorde ſcholarum,
Quandoquidem neq; proficiunt, neq; lucra reportāt
Vlla, ſibi quibus aut uobis ſuccurrere poßint,
Si ſic res ferat, ac ut iam lucrentur, & ipſos
Perſarum reges gazis immanibus æquent:
Præcipitant animas & in infima tartara mergunt
Quæ neq; diuitijs, neq; maieſtate, nec ulla
Quantumuis magna poterant mercede rependi.
Vt multum ſapiant omnis ſapientia mundi
Exoſa eſt ſuperis, uanas deus imputat artes,
Ingratis, & ſe contemni dedignatur.
Quo neq; ſimplicius quicquam nec amantius usquā
Puræ ruſticitatis, ut exemplo ipſe reliquit,
Qui tales ſibi tamq; rudes elegit amicos.
Quare agite ô animæ ludibria plurima paſſæ,
Talibus artificum nugis, uos, ueſtra uorantum
Commoda, deceptasq; aures præcludere tandem
Diſcite, quin potius ueſtros ſi forſan amatis
Et natos natasq; manu ſibi quærere uictum
Aſſueſcant facite, & connubia mutua diſcant,
Hæc Deus inſtituit, ſuper hæc quæ ſunt, hominū ſunt
Inſtrumenta, doli, fraudes, artesq; malorum.
Hæc & plura ſolent iſti, per rura, per urbes,
Per fora, per delubra, quibus quia plurima falſis

Vera ferunt, interq́; ferunt, multo ante paratam
Inuenere fidem, miſeræ nam talia plebi
Perſuaſiſſe adeo facile eſt, de quaibus ipſi
Ingenuit natura odium, ſed praua & aberrans:
Namq; nec eſt ſtudijs maior nec iniquior hoſtis,
Quàm qui u[illegible] nequijt, uel diſcere noluit artes,
Ingenuis tantum permiſſas mentibus olim,
Non cuius, ut nunc, aſinorum de grege ſeci.
Qui cum propter inertem animũ geniumq́; malignũ
Naturamq́; ſatis firmæ rationis egentem,
pſi uicturæ poſsint nihil addere lucis,
Nec ſua uel minimæ committere nomina laudi,
nuidia ardentes tenebras inducere certant,
Atq; adeo euincunt, ut poſtquàm myſtica nuper
Dogmata ſimplicibus tradi ſunt cœpta loquelis.
anctaq́; abuſuro myſteria prodita uulgo,
mq́; doceretur cœlo gratiſsima tantum
uſtica ſimplicitas popularis flamma fauoris
ſſerati tempusq́; ſuum prædamq́; paratam
uaſere bonas artes caſtumq́; nitorem
onidum nebulis obſcurauere nefandis,
eue latere queant tanquam mala nomina, paſsim
xpandunt ceu ſigna ſui uictricia Martis,
domitiq́; fremunt, orbiq́; extrema minantur,
i ſapiat, meritumq́; decus uictoribus addat.
aliter inflati monſtra ignauiſsima, paulo

Ante breues ranæ cœperunt eſſe Gigantes,
Ipſum exciſuro uel ab irato Ioue cœlum.
Sed lutei, ſtrepituq́; animati pectora uano
Si quis in aduerſos Alcides cornua ſumat,
Expediatq́; manum, ſicut iam dura minantur
Iſtis excidia, & miſeras fata ultima clades,
Quem ſi forte diem nobis ſperare relictum eſt
Et uotis optare licet quod pectore toto
Quisq́; bonus petit, hæc æqua mala mente feramus:
Interea, & lucris præſentia damna futuris,
Solemur, ueniamq́; malis pacemq́; precemur
A ſuperis, etenim niſi me præſagia fallunt,
Apparensq́; animum ueri deluſit imago,
Iamdudum pulſæ uictricia Palladis arma:
Rurſus honorato ſpectabimus ire triumpho,
Ignauæq́; duces captiuos militiei
Concutere edomitis hærentia uincula collis.

H. EOBANI HESSI IDYLLION XV. QVOD INSCRIBITVR EVRYTVS, EX CYCLO *pe Theocriti factus, ad Clariſs. D. Georgium Sturtiaden, Medicum Erphurdienſem.*

Cum tua Sturtiade medicantes pectora Muſæ,
Pierides habitent, & te magis omnibus unũ
Diligat, atq́; ſuas artes tibi monſtret Apollo
Dic age quo durum poßis depellere amorem:

Antidoto, ſpargas ne manu, num cautus inungas
Qualia tam duræ medeantur pharmaca peſti:
An quæ Pierides adhibent ſolatia, tantum
Virium habent, non ſuaue quidem mortalibus illud
nuentu haud quaquã facile eſt, ſed & hoc tibi notũ
Credidero N[illegible]ſis Medico uehementer amato
Cuiq; ſuas artes fauet haud inuitus Apollo.
ic miſer inſano cum nuper amore periret
urytus urgentes potuit compeſcere flammas,
Quas neq; inutilium captus dulcedine rerum
ombiberat leuibusq; roſis pomis ue pyris ue.
ed ualida totas ui depaſcente medullas
ixdum prima genas illi cum barba notaret
mnia poſthabuit ceu friuola præter amorem,
ormoſam qui tabeſcens ardebat Iolem
octes atq; dies, non illum aurora renaſcens
on ſol occiduas requietum pronus in undas
dit ab infixo ſub mollia pectora telo
magna Venere & uictore Cupidinis arcu:
d tamen hoc contra plusquam letale uenenum
pperit antidotum, ſcopulo nam triſtis ab alto
ſcua proſpiciens late ſubiecta, ſub ipſas
lia cantabat reſonantia carmina ualles
uó formoſa fugis? quid amantem ſpernis Iole?
ndida caſeolo magis, omni mollior agno
matrem uitulo fugiente ſuperbior, uua

Durior omphacyna, quid enim crudelis amantem
Ludis? & inſidias captas rude pectus ad iſtas?
Nam mea cum placidæ demiſi membra quieti,
Huc formoſa uenis, ſomno fugiente recedis,
Et fugis, haud aliter quàm quæ conſpexerit altis
Agna lupum fugiens in montibus ore [illegible]nendum.
Verum ne dubites unde hic amor, aut ego fallor
Aut ego te certe quo primum tempore uidi
Montibus in noſtris dulci cum matre legentem
Purpureos flores, & odoriferos hiacynthos
Hauſtis incautum flammis in pectus amaui
Et tua præcedens mea per ueſtigia duxi
Oſtendiq; locos, & ſuaues floribus hortos.
Deniq; ut in uiridi reſidentem gramine feſſam
Aſpexi, & tenero delapſam à corpore pallam
Tempore ab hoc pereo, nec tu miſerata dolentem
Reſpicis, aut ſaltem ſpe conſolaris inani.
Quod faceres utinam, nam ſi ſit nulla potiri
Poſſe tuo formoſa ſinu conceſſa facultas,
Finge uoluntatem. Spe conſolamur amantes:
At cur me fugias? quid enim uel forma uel ætas,
Vel quicquid natura boni congeſſit in unum
Deliquiſſe poteſt in me? mihi paſcua florent
Mille ouibus, quibus emulſis datur optima lactis
Copia, quæ nullo deſit mihi tempore, non cum
Aut æſtas uenit Autumnus ue, aut bruma niualis.

Nec me carminibus quisquam præſtantior uno
Paſcit in his nemorum luſtris, aut mollibus herbis,
In quibus aßidue dum te mea ſola uoluptas
Dulce meum lumen canto, iam fallere noctes
Inſomnes didici. Sed nunc tibi munera apud me
Sunt duo formoſi cerua de matre creati
Hinulei fœtus & onuſtæ uentribus agnæ
Bis totidem, tres capreoli, quin utere mecum
Huc ad me ueniens, ſine curet ouilia mater,
Colligat interea gratos ſoror unica flores
Nam potes hoc melius mecum requieſcere in antro.
Hic lauri uirides hic ſunt graciles Cypariſsi
Nigrantes umbrant hederæ, nec Bacchica uitis
Nec gelidum ſpirantis aquæ gratißima deſunt
Flumina, ſiue ſacri per amœna ſilentia fontes
Queis mihi nec uinum neq; nectar dulcius ullum eſt
Quod ſi ruſticitas tibi diſplicet hæc mea, debes
Syluanis & te meminiſſe parentibus ortam
Talem tamq; deis ſimilem, ne dura ſuperbi.
Si pergis tamen & rides mea uulnera, quæſo
Extremum huc formoſa ueni, da munus amāti
Hoc ſaltem, ſunt ligna mihi ſunt robora, quercus
Sunt fagi, fomenta futuro protinus igni,
Subijce me flammis, feruentibus ure caminis
Vt facis, hanc uitam te propter, & omnia ponam
Cara prius, dum crudelis tua dextera perdat

Me miſerum, uita mors gratior illa futura eſt.
Hei mihi quòd uolucrem me non genuere parentes
O utinam ſubitas addat mihi Iuppiter alas
Protinus ad te abeam ſublimis, & oſcula ferrem
O ſaltem manibus, ſi nolis cætera tangi,
Collectisq; ſinum, qui me mihi ſuſtulit, ipſum
Floribus implerem uiolisq; roſisq; thimoq;
Et, quæ mille meis ſuperant in montibus, herbis
Lilia præcipue ferrem rubrumq; papauer
Nec tibi forte dari poſſent ſimul omnia namq;
Horum quædam æſtas, quædam fert bruma niualis
Nunc tamen o formoſa ueni, quin ſurgis Iole
Ad me profectura, domumq; oblita reuerti
Ipſe ego quod facio iamdudum, hæc ſaxa frequentãs
Quod ſupereſt mecum traducis molliter æui
Paſcere oues uero non dedignabere noſtras
Nec pudeat niueos mulgere ex ubere lactes
Caſeolosq; manu componere, ſola tamen me
Dura parens offendit, ut autem conqueror illi
Vulnera quæ patior ſemper tacet, & nihil unquam
Dulce tibi de me loquitur, ſed ut illa uiciſsim
Se maceret, dum me ſine ſucco, & ſanguine, toto
Corpore defectum uidet, hic ego fingere cauſam
Et uero falſum ſoleo prætendere morbo
Namq; ægrum doleo caput, & pede labor utroq;
Et nihil eſt, inquam, quod me leuet, illa profecto
His

His male torquetur, namq́; & male torqueor ipſe
Stulte ſed ô nimium quid nam furis Eurytę? *quis nam*
Te deus euertit? quæ mentem turbat Erinnys?
Quàm fuerat melius calathos contexere; & alios
Lanigeris ouibus, quos rodant ſternere ramos
Hanc mulge interea, quid enim fugientia captas
Gaudia, forte aliam quæ ſit formoſior illa
Inuenies, quin pergis, amarūnt me quoq́; multæ
Et mecum longa cupierunt nocte puellæ
Ludere, dulce omnes & ſuaui uoce canentes
Non adeo paßim contemnor, & ipſe aliquis ſum
Sic bonus ille canens compeſcuit Eurytus *ignem*
Ipſe ſuum curans, diuino carmine uulnus
Quod non herbarum potuiſſet uiribus ullis
Aut empta precijs ingentibus arte leuare.

H. EOBANI IDYLLION DECIMVMSEXTVM ENCOMION VRBIS NORIBRGAE

ad eruditiſs. & magnificum D. Hieronymum *Baumgartnerum, eius urbis uirum patricium, &* Conſularem.

HIc quoq́; ſylueſtres paulum ſecedite Muſæ
Aſſuetæ ſalices mecum canere inter opacas
Naiadū *chorus omnis* Hamadryadesq́; *puellæ*
ylvarum dominæ Dryades, *florumq́;* Napææ
uæq́; uagæ ſummas habitatis Oreades *arces*
te agedum nemora, & ueſtri colite auia regni

Interea, & Satyris leuibusq; aſſueſcite Faunis
Nos maiora uocant reduces in carmina Muſæ
Muſæ non tantum caulas cantare ſuetæ
Verum etiam clarasq; domos, & culta potentum
Quantumuis timido pede limina tangere regum
Oblitæ ſyluarum inopisq; per auia ui[illegible].
Huc ades erga mei pars non iniuſta laboris
Qui patrium cultis ducis cognomen ab hortis
Pieridum ſacris Hieronyme docte ſub umbris
Ocia ciuiles non deſtituentia curas,
Quem fautrix gremio fotum fortuna benigno
Extulit, & merito uirtus in honore locauit.
Huc ades & mecum ruralia uerba peroſus
Ad deſueta redi ciuilis carmina famæ
Dum canimus claris præſtantem dotibus urbem
Vrbibus, ingenti quascunq; in Teutonis ora
Sol uidet, Europæ media in regione locatum.
Hic ubi flauentes pulcher Pegneſus arenas
Voluit & eximiam piſcoſis flexibus urbem
Per medium ſecat, & fluuio perfundit amœno
Solue amnis uicture diu, ſi forte Camœnas
Vlla manet noſtras uenturæ gloria famæ
Qui rapidus recto Phœbi naſcentis ab ortu
Norica lenifluo percurris mœnia lapſu
Fœlix ante alias urbes urbs Norica berge
Digna tuæ qua uoce feram præconia laudis

Nulla reponendæ ſat erunt Idyllia famæ
Et referenda olim memores tua facta ſub annos.
Fortunam domina ſiquidem uirtute gubernas
Diues opum, fœcunda uiris, pulcherrima culta
Legitimæ ſtudijs aſperrima militiei
Nobilibus cl[illegible]a ingenijs, quaſcunq; per artes
Ire libet, ſeu naturæ ſecreta latentis
Seu te multiplicis Zonas & climata mundi
Aſtrorum ue iuuat caſus cognoſcere & ortus,
Nuſquam culta magis floret diuina Matheſis,
Seu numeris opus eſt, ſeu menſi partibus orbis
Seu ratione operum uideas certantia mille
Ingenia artificum, parat hic ductura ſub altum
Aethera præruptas ærata uolumina moles.
lle mathematico certas in puluere metas
eſtinat, & radio nunquam fallente gubernat.
uid rupti tormenta ſonos imitantia cœli,
uid ſtatuas Polycletæa non arte minores?
ætera quid memorem non hic accommoda Muſis
rduiora quidem ſyluis non iſta profeßis
randia, & Heroo tollenda ad ſidera cantu.
unc uelut gelida tecum ſpaciatus in umbra
ure ſuburbano patrias Hieronyme laudes
ſe tibi calamo pingam non ſemper agreſti
acte animo noſtris iuuenum gratißime Muſis
igne tuis annis patria dignißime tali

Quam tibi ſi patriam contingere fata negaſſent
Eſſe uelis patriam, poſtquam nunc dotibus iſtis
Innumeris, quibus ante alias ſic eminet urbes
Vt Sol ante alios aſtrorum prominet ignes,
Adijcit ingenuas, cumulat, fouet, erigit artes.
Nam uelut exilio pulſis hoc tempore Muſis
Hoſpitium dedit, profugis patefecit aſylum
Primaq; tot gentes inter per Teutona regna
Luminibus captas animi, ſua commoda uidit
Et bona cognouit ſua, quæ nec paſſa perire eſt
Sed tenuit ſtabiliq; locauit in arce retenta.
Fœlicem populum, qui tam florere beatis
Ingenijs uoluit, quàm multa pollet opum ui
Hoc erat Attidibus præreptum nomen Athenis
Inuexiſſe ſuis per honeſtas mœnibus artes
Sic æquanda fuit florentis gloria Romæ
Parte aliqua, quis enim totam petat improbus? ergo
Nate bonis auibus patriæ gratare potenti
Quæ te nunc alacris uernantem in flore iuuentæ
Florens ipſa ſuis dignatur honoribus auctum
Præter opes etiam fortunatis Hymenæis.
Sed quis in eximijs præſtanti laudibus urbe
Non etiam priuatus amet latuiſſe? ſocosq;
Exiguos colat, & tacitis agat ocia curis?
Iuſticiamq; patrum miretur? & omnibus æquas
Quis credat, populi per tot diſcrimina leges?

Fortunatæ

Fortunata tuis meritis Reſpublica, *cuius*
Iura regit ſapiens tranquilla in pace ſenatus,
Sic paci fidens, ne munera militiei
Negligat, & poſitis ignauiter incubet armis
Nec luxu uacuam corrumpi deſide plebem
Permittat, ne illecebris ignaua iuuentæ
Ocia inutilibus foueat, non ulla uoluptas
Præualeat, non hic turpi locus ebrietati.
Nulla hic infames uulgata libido popinas
…ficit, aut uires melioribus eripit annis,
…ppreſſas multa uiciorum aſpergine, uerum
… qua dies requiem curis ciuilibus affert:
…aſſim exerceri uideas, iuuenesq́; ſenesq́;
…rtibus armorum, & ueri præludia belli,
…artiaq́; urbanos meditari caſtra togatos.
…hc aliijs ſtudium celeres torquere ſagittas
…efixamq́; leui contingere arundine metam.
…mina componunt alij properata, docentq́;
…ra ſequi, denſant cuneos, hi cornua ducunt,
…enduntq́; aciem, firmantq́; ſequacibus alis.
… ita, ſi qua tulit ratio, nec ſemper aguntur,
… tantum his ſtudijs adoleſcit Norica *pubes*
…um etiam quibus & mores animiq́; uigorem
…diant, nec enim naturæ ſponte diſertis
…a deeſt ſtudio facundæ copia linguæ.
…ce quenq́; ſuo conſcriptos ordine patres,

Nemo erit ex illis quem linguæ dona latinæ
Deſtituant, quoſdam Graia mirere loquentes
Doctus honorata tam regnat in urbe Senatus,
Legibus hinc firmata ſuis Reſpublica, nullos
Fortunæ inſultus metuit, ſic uiribus omnes
In caſus firmata ſuis, ſibi ſola ſuperq́ue
Eſt ſatis, hinc quoq; priuatis acceſsio rebus
Hinc fouet unanimes ſtabilis concordia ciues
Prætereo ſanctos in publica commoda mores
Impoſitos, uitæq; datas communis habenas,
Præſcriptoq́; pudicitiam ſe fine tenentem
Legitimi uetitam temerare cubilia lecti,
Chriſticolas animos, & relligionis amorem
Cultaq́; præcipue diuini oracula uerbi
Ipſa tacere uolet, nec enim ſibi laudibus iſtis
Vrbs placet, aut ullos iſtis ex rebus honores
Arrogat, ipſa ſui teſtis ſibi proxima ſenſus:
Ipſe ego Hiericola nuper digreſſus ab urbe,
Per nemora Hercinij, iam non incognita, ſaltus,
Nomina Pegneſi ſtabam miratus & undas
Theſſala ceu pulchrum peragrantem Penea tempe,
Dij quales arces, dij qualia mœnia uidi?
Qualibus urbanas extructas mœnibus ædes
Qualia marmoreis ſurgentia tecta columnis
Marmore, quale ſolet producere Norica tellus
Arcibus æternis haud quaquam uile locandis
Naturæ

Naturæ ingenio quodam, quo nanq; reciſum eſt
Tempore molle fuit, facile & tractabile ferro
Poſtquam auras tetigit ſuperas, mirabile dictu,
Dureſcit magis atq; magis, roburq; manendo
Concipit, & ſenio ſuperat durante iuuentam:
Pluraq; non patrios in ſecula prorogat annos,
Hoc lapide aſſurgunt ciuilia tecta per omnes
(Aequatis certo regionibus ordine) partes
Supra priuatos quàm poßis credere ſumptus
Sufficere, & tantas potuiſſe attollere moles,
Magnorum dicas æquare Palatia regum.
Publica quid memorem longis opera ædita ab annis?
Quid noua ſemper adhuc ſurgentia? qualibus autem
Et quibus aerias templorum culmina turres?
Murorum impoſitas foßis ingentibus arces:
Horrea, phana, lacus, fontes, tot ſuſcipiendis
Hoſpitibus loca, tot ſumptus in publica, egenis,
Aegrotis alimenta, domos, medicamina, curas:
Et ſunt hæc alio nobis maiore libello
Aedita, quo per cuncta tuas urbs Norica laudes
Diximus, & meritas tibi iuſto in carmine grates.
Quid tibi marmoreis coniunctum pontibus amnem
Proſequar exemplis? quibus exequar omnia uerbis?
Quo ruis imprudens ſyluarum oblita tuiq;
Muſa? quid urbanas affectas ruſtica laudes
Dicere, uix humilem bene ſufflatura monaulon?

Hæc tibi ſunt alia præconia uoce canenda,
Tunc ubi grandiſono dignum pede nacta cothurnum
Liberiore manu ſublimia plectra mouebis,
Nunc pede te decuit proprio conſiſtere menſam
Limite præſcripto, nec parui ſepta peculi
Tranſiliiſſe, licet ueniam præfata, relictis
Me duce, ultinam, ſyluis, intraueris urbem,
Non tamen usq; adeo uerbis ciuilibus uſam
Efferri decuit. Quin tu quoq; laudibus iſtis
Iamdudum uacuas Hieronyme ſubtrahis aures,
Et meliora uacaturas in carmina ſeruas.
Vt tamen hæc (ſi non intempeſtiua fuerunt)
Conſuluiſſe uelis æquiq; boniq; rogamus,
Carmina deinde tibi meliora canemus, & urbi
Poſtquàm hæc quæ dedimus non diſplicuiſſe ſciemus

Scriptum Noribergæ M.D.XXVI.

H. EOBANI HESSI IDYLLION XVII. ER*phurdia, de collapſo Scholæ et Reip. ſtatu, col loquũtur Eryſiptolis Nympha, & Hie ras fluuius.*

Eryſ. *Parue, ſed Herciniæ de quodam uertice rupis*
Aedite, Thuringum qui flumine proluis agrum
Irriguo, & riuis ſitientes mitibus agros
Sole ſub ardenti potas, ubi copia aquarum
Cœleſtum uis nulla datur, qui flumine ſecto
Diuidis ipſe tuam millenis flexibus urbem,

Dic age

Dic age Naiadum puriſsime frater Hiera:
Cur ſolito frontem demiſsior inter & alnos,
Inter & agnatas ſalices labare decorum,
Pene cruentata confuſus arundine crinem?
Nympharum decus ô Eryſiptoli, numen & urbis Hier.
Et patriæ, tam damna queri quàm quærere tempus
Noſtra uetat miſerum, quo nos præſentibus urgent
Fata inimica malis, nec te latet unde cruentæ
Hæ mihi contingant maculæ, nec honoris adempti
Ignoras cauſſam, quando communibus urbem
Hanc ſtudijs colimus, cuius nunc fata profuſis
Defleo tot lachrymis, qui me nunc pene dolores
Conficiunt, hinc pene uides mea flumina ſicca,
Quodq́; undæ ſupereſt atrum traxiſſe colorem.
Frater, & Oceano mihi carior amnis, acerbis Ery.
Nunc lachrymis abſiſte, tuoq́; è flumine ſacrum
Attollens caput, has mecum conſidere ſubter
Ipſe uelis corylos, & reſpondere uiciſsim,
Mutua dum grauibus meditemur carmina curis
Si qua leuent, nam forte leuant & carmina curas,
Longaq́; ſæpe breues minuerunt damna querelæ.
Ad deſueta uocas iamdudum munera, nec me Hier.
Rite ſenem iuuenili operi committere tentas
Quando nulla meas circum, nunc carmina, ripas
Ut quondam ſonuere, ſonant, Muſæq́; retrorſum
Conceſſere omnes inimica à gente fugatæ

Quas me poſſe putas in mutua carmina cannas
Sufficere? heu noſtri non eſt ea gratia ſecli.

Ery. Et memini, & meminiſſe dolet, quia nulla ſupſunt
Temporibus noſtris priſcæ ueſtigia laudis,
Vsq; adeo conceſſit amor probitatis & æqui.
Inq; locum ſubiere nefas, dolus, arma, libido:
Inſidiæ, & uictæ expultrix diſcordia pacis.

Hier. Qua tu nunc id in urbe loqui ſis auſa uidendũ eſt
Haud equidem tuta eſt libertas ſæpe loquendi.

Ery. Sola ne pacis egens ruptas Erphurdia leges
Conqueritur? metuitq; affligi ultricibus armis,
An confectæ aliæ pœnis grauioribus urbes
Quas nunc fracta uidet dubijs Germania fatis?

Hier. Quis propiore neget quaſdam nutaſſe ruina,
Nec cecidiſſe tamen, nam quantacunq; labârint
Clade facultatum, facilis reparatio rerum,
Famæ difficilis, uereor ne pœna malorum
Hoc ueniat nobis grauior, quò ſerior inter
Hoc tamen eſt, multum deliqueris, an minus, ut te
Liberet aut uanis, aut ueris conſcia curis
Mens agitet, pacemue queas bellumue paciſci.

Ery. Noſtra quidem nullas bellorũ Erphurdia cauſas
Aut dedit, aut unquam ſalua ratione datura eſt:
Sed quia ſe proprijs defendere legibus auſa eſt.
Et ſua iura ſequi, potuit peccaſſe uideri.

Hier. Cur igitur tot ſigna iacent conuulſa? tot ædes

Deiectæ, æquatæq́; ſolo? cur omnia pulſis
Templa ſacris occluſa ſilent? ceu Chriſtus ab aris
Exulet, & nullos ultra mereatur honores,
Qualibus illa coli maieſtas debet, & olim
Adſueuit, menteſq́; pias placata benigno
Reſpexit uultu, ſeſeq́; uocantibus ultro
Obtulit, infuditq́; animis pacemq́; fidemq́;,
Parta pijs precibus, nunc auerſatur & odit
Degeneres in bella animos, pacemq́; peroſos.
Iuſta quidem ſpreta de relligione querela eſt, Ery.
Verum non paruo cum ſit diſcrimine maior,
Quàm quæ per noſtras tractari poßit arenas,
Pulchrum erat intactam dimittere, parua profeſſos
Non decuit magnis fruſtra ſe immittere rebus.
Deſignis reſponde igitur tabuliſq́; reuulſis, Hier.
Aequatisq; ſolo ſeptis, leuibuſq́; ſalinis.
Viderit hoc cui ſunt urbis commiſſa regendæ Ery.
Munera, nos iſti eſt odioſum inſiſtere curæ,
Forſitan ille ſuo ſe iure tuebitur ordo
Quem non usq; adeo ſtultum puto, friuola uulgi
Conſilia ut laudet, ducatq́; ſequenda per omnes,
Vt poſſunt uarij rerum præuertere, caſus.
Fœlix ante alias & non ignobilis urbes Hier.
Si pulchros in flore tuo decerpere fructus,
Non etiam uelles truncos euellere, & ipſas
Radicum fibras Erphurdia, quàm tua nuper

Gloria plena fuit, quàm floruit inclyta fama
Cum te pacatis pulcherrima rebus agente
Ocia, certatim te, ceu confuſa, bearent
Munera, de toto tibi ſuccreſcentibus orbe,
Diuitijs, ut uix unquam cumulatior ullis
Gentibus extulerit fœcundum copia cornu.
Quàm nũc fracta eadẽ, quàm nunc tua gloria marcet
Quàm nunc illa tibi defloruit inclyta fama.
Poſtquam fracta malis indigna mole laborum
Preſſa iaces, lugesq́; tuis miſerabilis ipſis
Hoſtibus, & ueteres fruſtra iam reſpicis annos

Ery. *Deſine tam triſti nimis indulgere querelæ,*
Care ſenex, fluuijq́; parens mihi multa ferentis
Commoda, non adeo miſeris Erphurdia fatis
Concidit, ut nullis talem emendare ruinam
Auxilijs poßit, modo ſit non tarda uoluntas,
Ipſa aderit modo, non aliquo prohibente, facultas:
Non cecidit male qui bene ſurrexit, ſapit autem
Quisquis dura ſuo didicit cauiſſe periclo.

Hier. *At iacet interea nihilominus, ægraq́; mœret,*
Valde incerta ſui poßit ne reſurgere, & unquam
Ah male ſeruatos iterum contingere honores.

Ery. *Quos male ſeruatos mihi tu depingis honores?*

Hier. *Vt reliquas taceã q̃bus hæc Reſpublica quondã*
Laudibus eminuit, quanti tu Palladis arces
Sedibus euulſas proprijs facis? illa ne totam

Mœnibus

Mœnibus incumbens clades concuſſerit urbem?
Illa ne, dij quantos, hinc deportârit honores?
At Pallas manet ipſa, manent & Palladis arces ERY
Sedibus innixæ proprijs immobile regnum,
Non ego marmoreis ſurgentes molibus arces HIER
Tectaue celſa loquor, ſed ab ipſis arcibus artes
Demiſsas, cœloq; datas mortalibus uſu
Vnde per humanas princeps ſapientia mentes
Fuſa, ſuis regeret confuſum legibus orbem
Humanumq; genus diuis componeret ipſis.
Tam firmum natura nihil produxit, ut eſset ERY.
Semper idem, fortuna uices & tempora mutat
Et nunc ſumma premit, nunc infima tollit in altum.
Floruit hæc fateor ſtudiorum urbs nuper honore
Præripuitq; alijs ſimili in certamine palmam
Quotquot Germani ſunt in regionibus orbis
At nunc caſſa dolet tantæ cognomine laudis
Ipſa ſuis afflicta malis, ſibi noxia ſoli
In poenasq; ſatis, quas non aliumde coactas
Ipſa ſibi inflixit, ſecumq; inuenit, ut eſſet
In ſeipſam fatuæ furioſa licentia plebis.
Nunc uero hoc melius ſapiet, meliorq; reſurget
Quo grauius cecidit, maior poſt ſumpta uoluptas
Damna uenire ſolet, blandi ut poſt nubila ſoles.
Vidi ego Palladias cum præterlaberer arces HIER
Mille greges iuuenum qui tum ſtudia iſta colebant

Has meum uirides ripas & prima legentes
Littora certantes ſecum deducere Muſas.
Has nunc deſertas ubi præterlabimur arces
Muſarum apparent ueſtigia nulla, nec uſquam
Vllius ulla chori certamina, nulla uoluptas,
Carmina nulla ſonant, nullæ per proxima uoces
Compita, ni Lycios cultu hoc dignemur agreſtes
Multa quód in uiridi limo mihi rana coaxet

ERY *Ipſa etiam memini cum me præeunte decoro*
Agmine ſpectandi ſtudio mirata iuuentus
Certatim rueret, totaq́; ex urbe frequentes
Feſta coronatis agerent ſpectacula laruis
Et toto canerent reſonantia iubila cœlo.

HIER *Non apud externas tantum bona nomina gentes*
Huic urbi peperit caſtæ Schola plena iuuentæ
Verum & opes lucrumq́; decens inuexit, & auxit
Commoda tam priuata hominum quàm publica rerũ
Ergo quid ignoras? uel, quod facis, ipſaq́; res eſt,
Diſſimulas tua damna, quibus te ſcilicet æquum
Conſultum uoluiſſe fuit, cui cura tuendæ
Vrbis agebatur, niſi falſo nomine dicta es.

ERY *Vera pater memoras, ſicut ſunt plura, nec ulli*
Quã mihi, nota magis, ſed me pudet urbis, & huius
Nominis ingrati, cuius quia nulla uidetur
Digna ſatis, nimium iuſtæ, excuſatio culpæ,
Quis non auxilij mecum miſeratus, egentem

Defleat

Defleat, & triſti doleat cecidiſſe ruina?
Quàm uereor ne ſera tuæ, nec iuſta querelæ HIER
Cauſa ſit, accifis rebus quæ commoda flendo
Conſequimur? ſed enim prius hæc defleſſe decebat.
Nũc ope, nõ lachrymis opus eſt, nec noſcere prõptũ
Morbi principium, nec quod ſit, dicere tutum eſt.
Inconcuſſa ſuo ueri ſtat pondere uirtus ERY
Dicentem quamuis in mille pericula mittas
Quare age tam grauium cauſas expone malorum
Nam potes, atq; tuæ ſunt omnia nota ſenectæ
Prima mali labes, & tantæ cauſſa ruinæ HIER
Fluxit ab indoctis monachorum bardocucullis
Qua ratiõe precor? nec.n. cognoſcere prõptũ eſt ERY
Complures habeat cum uita monaſtica doctos.
Semper ſalua ſua eſt in quouis ordine doctis HIER
Gloria, at indocti ſemper pars maxima regnant.
Qua ratione igitur tantam inuexere ruinam ERY
(Nam ſolos memoras) monachorum bardocuculli?
Non tamen usq; adeo ſolos, nam plurima uulgo HIER
Turba prophanatis acceßit bardocucullis
Credo equidẽ quia quã memoras ea maxima tur ERY
Sed quia non ſapiẽs nõ hoc potuiſſe putârim. (ba eſt
Inuidiam ſtudijs, ceu peſti relligionis, HIER
Fecerunt, poſtquam mentiri impune receptum eſt
Qua ratione iterum ſtudijs potuere fauorem ERY
Detrahere? indoctis quis credat bardocucullis?

Reſtituat, ſi frena malis iniecta, loquendi
Libertatem adimant, plus quàm mendacia, ne ſit
Quorum priuatis aliena calumnia rebus
Adſtruat, & proprijs damnoſa licentia palpet
Credentem uicijs populum, ſed ſera medendi
Hæc uia ne fuerit uereor, quia ſerpit & ipſos
Obſidet hæc etiam peſtis deterrima reges
Atq; adeo inuoluit, ſeum rapit, obruit, aufert
Omnia quæ meruere prius laudemq; decusq;
Præcipue ſtudia, & Muſarum nobile regnum.
Plura uetant lachrymæ confuſa in uerba cadentes
Nympha uale, tantoq; uolens ne cede dolori:
Quæ mala nunc quereris forſan meliora ſequentur
Me quoq; turbato labentem flumine cernes
Donec forte aliquam melior fortuna ſalutem
Adferat, & ſtudijs reddat, quem debet, honorem
Et tu care uale ſenior, fluuioq; ſereno
Labere, ſic placido Salas te miſceat Albi.
Sic te non proprio uenientem flumine Tethys
Accipiat, totiq; uagum circumferat orbi
Vt ſciat hæc mecum merito ceciniſſe querelam
Cuncta tridentifero circumdata numine tellus. ⁂

Finis tertiæ Idylliorum
editionis.

ERY

HELII EOBANI HESSI HEROIDVM LI-BRI TRES,

IAM NOVISSIME RECOGNITI ET CORRECTI.

AD GENERO
SVM ET MAGNIFICVM DOMI. PAVLVM
BARONEM A SVARTZENBERG &c.
*Herbipolenſis ac Bambergenſis Eccleſia-
rum Canonicum &c. Dominum &
Patronum Colendiſs. ſuum. Helij
Eobani Heſsi, Heroidum
Chriſtianarum De-
dicatio.*

*CVm iaceant triſtes hac tem-
peſtate Camœnæ
Nec ferat optatam triſti-
bus ullus opem
Auſus es afflictis tamen eſſe
fidelis amicus
O decus & gentis glo-
ria Paule tuæ
Et cum te tituli decorent & ſtemmata auorum
Et ſit imaginibus ſplendida tota Domus
Plus tamen hinc quòd amas non ficto pectore Muſas
Crede mihi uere nobilitatis habes
Quæ magis abiectæ quo ſunt & honore carentes
Hoc potior laus eſt has coluiſſe tibi.
Cum uel honoratas ſoleant pars maxima uulgi
Spernere, nec dignas ducere laude ſua,*

Præci-

Præcipue clari quos gloria ſanguinis inflat,
Et quorum ualidæ facta tuentur opes.
Cum tibi ſint & opes, cum ſis & ſanguine clarus,
Nec tamen has partes deſeruiſſe queas.
Dignus eras cui perpetua de fronde coronam
Inciperent noſtræ nectere Pierides.
Et cum nos etiam præconia nulla merentes,
Laudibus immodicis per tua ſcripta uehas.
Cum decores noſtras non tantum laude Camœnas,
Verumetiam immeritis aurea dona feras.
Dignus eras quem cognato ſibi nomine dignum
Inciperent noſtræ ducere Pierides.
ncipiunt, iamq́; æternos meditantur honores,
Quos tibi pro meritis inclyte Paule ferant.
'tq́; tibi quondam faciles iuuenilibus annis
Inque ſinu fotæ ſæpe fuere tuo.
c tibi nunc cupiunt aucto melioribus annis
Non aliquo tantum diſplicuiſſe modo.
uas igitur tecum primis Heroidas annis
Luſimus, has tecum reſtituiſſe libet.
m quia tunc cultus ignorauere decentes,
Et data uix natis forma ſine arte fuit.
go uagas patriam reuocatas nuper ad arcem
Imbutas cultu iuſſimus eſſe nouo.
quemcunq; leues inde egrederentur in orbem
Veſte placere iterum candidiore queant.

Et nimium, quamuis laſciuia ſumpta deceret,
  In forma uicij luxuriante fuit.
Ergo nimis longæ fluitantia ſyrmata ueſti
  Viſum erat artifici præſecuiſſe manu.
Quæq; nimis laxæ uelabant corpora pallæ
  Dempſimus, & longæ pendula tecta ſtolæ.
Reſponſura habiles contraximus omnia ad artus,
  Forma prior caſtis non ſatis apta fuit.
Ordine deinde alio diſcretas ire puellas
  Iuſsimus, & proprium quamq; tenere locum.
Namq; ità confuſe prius & ſine legibus ibant,
  Vt foret incerti gratia nulla chori.
At mea nunc triplici diſcrimine turba puellæ,
  Audaces populo plena theatra petunt.
Prima loco poſitas uulgo ſubſellia præbent.
  Quas Euangelij littera teſtis habet.
Alter habet miſtas uero falſoq; ſorores,
  Tertius (ut fama eſt) omnia falſa locus.
Non ita falſa tamen nequeant ut uera uideri,
  Veráq; ſi quædam dempſeris, eſſe queant.
Nam rudis hiſtoriæ mala ſomnia miſcuit ætas,
  Diraq; pro uero corpore monſtra tulit.
Sic mihi miſta tamen genus hoc ſunt omnia ueris,
  Vt prodeſſe magis quàm nocuiſſe queant.
Qui prius ergo uagi fuerant & in ordine nullo,
  Iam fiunt iſta tres ratione libri.

Prateres

Præterea maculas quas inuexere notantum
Aere nouo, noſtræ ſepoſuere manus.
Nos quoq; natura nimium iuueniliter auſi,
Scripſimus, audaci multa linenda manu.
Quæ tamen ut ueniam, quia ſunt reuocata, merētur,
Sic eadem uiuo non caruiſſe pudet.
Dum tamen ingenui non ſint ea ſigna pudoris
Friuola, me certe depuduiſſe decet.
Iam ſua qui uere poſſunt errata fateri,
Se uenia dignos qualibet eſſe docent.
Has igitur tali reparatas arte puellas,
Virtuti offerimus candide Paule tuæ.
Et qui uirginibus ſemper comes eſſe Camœnis,
Et ſolitus nugas ſis adamare meas.
Et tibi non cultas Muſas Heroides æquent,
Muſarum poßint ſed tamen eſſe loco.
Pieridum ueros coluiſti ſemper honores,
Hæc ſunt Pieridum pignora uera tibi.
Qua colis ergo ſacras & adhuc tua numina Muſas,
Cur non hic habeas Muſica ſcripta fide?
Accipe uicina reduces à morte puellas,
Ingenio luſus conuenit iſte tuo.
Nam quia Muſarum puer enutritus in umbra,
Numina nunc etiam non puer iſta colis?
Quis non immemores, quis non cauſetur iniquas,
Si tibi pro meritis præmia nulla ferant?

Et cum Muſarum cultores ſemper amaris,
Certatim hos æquum te coluiſſe fuit.
Salue ſumme tuæ gen is decor, inclyta cuius
Nomina perpetua laude uirere facis.
Iam tua uenturo uirtus aſſurgit honori,
Amplius haud totam ſe tua fama capit.
Iam tua ſublimis cœlo ſe gloria tollet,
Quà uagus Oceanum Phœbus utrunq; uidet.
Tu modo nobilium ſanguis generoſe parentum,
Adijcias titulis ſigna fac iſta tuis.
Nec te pœniteat noſtras coluiſſe puellas
Quas damus officio gratificante tibi.
Tempus erit quo tu laudabere nominis huius,
Nec tua de Muſis fama iacebit iners.
Atq; aliquis noſtri ſpectans monumenta laboris,
Hoc Paulus, dicet, nomine dignus erat.
Fœlix quem tales potuere adamaſſe puellæ,
Ille eſt perpetua laude ferendus amor.
Dixerit hæc aliquis, nunquám tua fama peribit
Semper & in noſtro carmine uiuus eris.
Quod quanquàm poteras per te præſtare tibi ipſi,
Et tua ſe uirtus teſte ſuperba fuit.
Plus tamen accedet laudis, mihi crede, quòd iſtà
Laude tua dignus uiſus es eſſe mihi.
Accipe nunc igitur notas tibi Paule puellas,
Quamuis nunc niteant uerſicolore toga.

Protinus

Protinus agnoſces tamen ex leuitate ſueta
Ah pereant nimium quas iuuat eſſe graues.
Non tamen hæc leuitas in moribus eſſe putanda eſt,
Carminis eſt leuitas non inhoneſta mei.
Quod ſi nil aliud, color eſt tibi cognitus harum
Et facies certę nota pudica tibi eſt.
Nam nullas Veneres, non ulla Cupidinis arma
Non quicquàm præ ſe quod ſit inane ferunt.
Moribus aſſuetæ caſtis caſtiſsima ſpondent.
Oſcula, quæ roſeo miſta pudore feres.
Ad quem nam potius deſertæ Heroides iſſent
Quàm te qui meritum nominis huius habes?
Nunc igitur merito te talem Heroa petebant,
Tutior ut proprij nominis eſſet honor.
Accipe degeneres Heros generoſe puellas
Degeneres niſi tu ne uideantur agas.
Et Muſis ſacer & Muſarum exercite ſacris
Exiguum uates accipe uatis opus.
Quod niſi me fallant animi præſagia, toto
Pectore lætatus iam mea ſcripta legis.
Vos ita Dij faciles, ita uos concedite Muſæ,
Cauſſa nec eſt uoti plenior ulla mei.

HELII EO-
BANI HESSI HEROIDVM EPI-
ſtolarum Lib. I. qui hiſtoricas continet.

DEVS PATER MARIAE VIRGINI.

Quam legis, æternam rebus paritura ſalutem,
Non eſt mortali littera facta manu.
Pone metus uirgo ſuperis gratiſſima, non eſt
Quẽ tremis, infeſtus nuncius iſte tibi.
Ales ab excelſo iuuenis deſcendit olympo,
Qui tibi non falſo pectore dicit, aue.
Sed tibi quod notæ non uenit epiſtola dextræ,
Forſan & ignotus palmifer ales erat.
Ergo ne te ſuperum cuiquam dubitabis amari,
Mirariq; uoles quale ſit illud opus?
Fiet, & ut lente dubites credasq́; futurum,
Accipe de ſumma nuncia certa fide.
Qui ſuper ingentes regnum tenet ardua mundi,
Cuius id immenſum dextera claudit opus.
Ille ego ſum deus, & rerum ſuprema poteſtas,
Cuius habes manibus nunc data iuſſa tuis.
Pone metus iterum nihil eſt hic uirgo timendum,
Gaudia quin potius quæ mediteris, habes.

Num credis iam turpe nihil tibi poſſe parari,
Cum placeas caſto caſta puella Deo?
Et ne uirgineas longis ambagibus aures
Detineam, de te quod meditemur habe.
Læta tibi gra[illegible]re tua naſcetur ab aluo,
Subq́; tuo uerbum pectore fiet homo.
Verbum quo cœlos terræq́; creauimus orbem,
Quicquid & hæc extra quicquid et intus habet.
At neq; noſter amor tactus patiere uiriles,
Noſtra nec exuta uirgine mater eris.
In te per teneram deſcendet ſpiritus aurem
Noſter, & hæc uteri cauſſa tumentis erit:
Nec dubita, qui cuncta poteſt id poſſe neceſſe eſt,
Et facile eſt naſci uirgine matre Deo.
Vt rata ſint ueterum per te præſagia uatum,
Excipe nos caſto uirgo pudica ſinu.
Eſt amor afflictæ tandem ſuccurrere plebi,
Quam cruciant multos tartara clauſa dies.
Amiſſam miſeris iterum reparare ſalutem,
Atq; hominem nobis conciliare iuuat.
Fecimus hunc primum terræ de parte recentis,
Implerant totum fœmina uirq́; genus.
Inde frequentandos quos nos plantauimus hortos,
Et facili dedimus iuſſa ferenda modo.
Excidit exiguo noſtri reuerentia lapſu,
Eſſe deos nobis ſe uoluere pares.

Hac prius exciderat culpa, cœloſq; reliquit
Qui miſeris noxæ conditor huius erat.
Non tulimus cœli uacuam tot milibus arcem
Quoq; repleretur nec mora factus homo eſt.
Iamq; ab eo cedunt annorum milia quinq;
Tempore, cum paucis quos numerare piget.
Sydera nemo hominum poſtquam ſuper ardua uenit,
Dum ſtupet impoſita ianua noſtra ſera.
Hanc ueteri clauſam delicto uirginis Euæ
Tu facies partu uirgo patere nouo.
Nanq; quid hoc hoim genus in mea regna creatum:
Oppreſſum miſere perfidus hoſtis habet?
Ergo graues dempto patiemur fine querelas?
Ergo ne ſæue anguis ſemper inultus eris?
Flammifer aſsiduis reſonat clamoribus æther
Solue ſalutifera uincula noſtra manu.
Vincimur, & ſupera terras è ſede mouemur
Iamq; ſumus uentris pars quota uirgo tui.
Frigida ſtabit hyems glacialibus alba pruinis,
Illo quo primum tempore mater eris.
Atria nec ſtatues regali ſplendida luxu
Nulla tuo ueniet pompa puerperio.
Vtq; pares animum tibi non ignara futuri
Pauperies ortus maxima noſter erit.
Sic tuus ille orbis dominus ſub paupere tecto
Aeditus, ignauum uagiet ante pecus.

In fœno

In fœno eſt paleis proprio Deus æditus orbi,
Regibus exemplum quod uereantur, erit.
Nec taciti naſcemur, erunt noua gaudia, fient
Omnia natalis lumine plena mei.
Agreſti populo natum cantabit Ieſum
Cœlitus infanti turba miniſtra Deo
Nunquid ut audiſti dici miraris Ieſum?
Hoc illo nobis tempore nomen erit.
Ortus ad auroram noſter procedet, & ipſum
In cunis oriens ſentiet eſſe Deum.
Nam ubi laturos è Perſide munera, meq;
Ducet adorantes præuia ſtella Magos.
Solus & antiquo crudelior angue Tyrannus
Herodes regni nomine triſtis erit.
Namq; canent illo ſapientes tempore naſci
Qui regat Iſraël ſceptra ſuperba domus.
Quæret in Hebræo Iudæum ſanguine regem,
Multus in immiti concidet enſe puer.
Ipſa puerq; tuus uobiſq; miniſter Ioſeph,
Ibitis ignifera proxima regna Pharo.
Nempe latens diuina, ſui nec prodiga uirtus
Præſentem poterit diſſimulare Deum.
Donec ab humana ſoluatur luce Tyrannus,
Natum ex Aegypto tunc reuocabo meum:
Nata Deo, paritura Deum, decus addita diuis
An quia legiſti triſte quid, ægra doles?

Ne doleas, nulli ignorant ſua gaudia luctus,
Prudenter cœlo uindice nemo dolet.
Non tamen ignoro quàm ſis animoſa uirago,
Fortiter in caſus quoslibet ire potes.
Scimus enim ſacris nondum ſatis apta dicari,
Quanta frequentandam feceris ante domum.
Scimus & ad ſacras quàm ſanctè uixeris aras,
O digna immenſum claudere ſola Deum.
Scimus, & ut credas nunquàm te uirgo reliqui,
Me ſine pars uitæ nulla peracta tuæ eſt.
Siue dabas caſtis manibus pia thura miniſtris,
Seu niuea ferres lumina uota manu.
Ipſe aderam præſensq; meo cupiebar amori,
Neſciaq; es uotis ſæpe petita tuis.
Hic meus ardor erit dixi, meus ignis in illa,
Hæc eſt in thalamos digna uenire meos.
Sed neq; nubigeno deſcendam tectus in auro,
Nec mihi mentitus ſuſcipietur olor.
Qualiter imprudens mentita eſt cunq; uetuſtas
Viderit, ingenio nos meliore ſumus.
Noſtrum uirginea uerbum caleſiet in aluo,
Vt ſolet à Zephyris creſcere planta recens.
Sum tecum tecumq; fui puerilibus annis,
Adq; tuos mores officioſus eram.
Nunc quoq; cũ legeres uirgo eſt paritura Tonantẽ,
Optaſti poſſes illius eſſe comes.

Adſtabam

Adſtabam dextraq́; humerum complexus eburnum,
Tu ne comes dixi quæ potes eſſe parens.
Nec mora de ſuperis legatus Gabriel inquit,
Viue parens domino uirgo futura meo.
I nunc & dubita quis nuncius iſte, quis ales,
Quid ſine mortali ſis paritura uiro.
Certa tui, non hoc hominum uulgaueris ulli,
Iſta ſed in tacito gaudia conde ſinu.
Paulatim incipiet grauidus turgeſcere uenter,
Nec uulgo metuas illa uel iſta loqui.
Tunc ubi nos uitæ primum donaueris iſti,
Et populis pacem temporibusq́; feres.
Secula nobiſcum uenient non qualia fama eſt,
Falciferum nato deſeruiſſe ſenem.
Sed quæ cum ſuperis mortalia nomina iungant,
Et ſuperas faciant ſponte patere domos.
Ianua placati reſerabitur aurea cœli,
Claudetur Stygij regia magna Iouis.
Quin etiam ſanctæ renouabitur ordo quietis,
Ceſſabunt curuæ bella ſonare tubæ.
Cærula non aliquæ conſternent æquora claſſes,
Nulla cruentata cæde rubebit humus.
Omnis odoratas populus conuerſus ad aras
Martia ſecuro conteret arma pede.
Scuta uirûm & galeas mordax rubigo peruret,
Abiecto fiet gratior enſe ligo.

Tuta locupletes proſcindent arua coloni
Sponte ſua pinguis luxuriabit humus.
Omnia liberius producet munera tellus,
Quæ uix agricolis ante coacta dabat.
Cætera, quem paries, tecum Deus ipſe loquetur
Scribere nunc ſoli fas erat iſta tibi.
Interea parua pondus geſtabis in aluo,
Quod non angelici ſuſtinuere chori.
Iam quod nemo poteſt niſi nos tribuiſſe roganti,
Accipe quod præſtas omnibus ipſa, Vale.

MARIA VIRGO DEO PATRI.

QVam ſine te non eſt tellus habitura ſalutem,
Vt partam per me poßit habere, ueni.
Littera quod ſparſis non conuenit iſta lituris
Hoc breue mortalis dextera fecit opus.
Dextera quæ calamum uix nunc tenet ægra labantē
Hei miſeram quanti ponderis urget onus.
Auſa humilis magno reſcribere uirgo Tonanti
Quàm ferat, aggredior, mens mea, maius opus.
Quamuis nota ſatis tua ſit clementia nobis
Maieſtas cui non iſta ſtupenda tua eſt?
Nunc tamen unanimi Princeps ter maxime regni,
Da ueniam ſi plus quàm decet, audet amans.
Et facis, & non eſt te uno manſuetior alter,
Audaces uenia cogimur iſta tua.
Tu facis ut precibus ſuffultus nauita iuſtis,
Audeat immenſo credere uela mari.

Martius ipſe tuo confiſus numine miles,
Non timet armatis obuius ire globis.
Deniq; cuncta tua pietate pericula temnit,
Quisquis gentiles non putat eſſe Deos.
ure igitur magni ſeruit tibi fabrica cœli,
Quicquid & hæc extra quicqd & intus habet.
ure capax regnum tibi terminat igneus orbis,
Si poſſet regni terminus eſſe tui.
ure tuum nomen mundus reuerenter adorat,
Te quando includit maius ille nihil.
rgo metus omneis poſui, ſic ipſe iubebas,
Fas homini non eſt ſpernere iuſſa Dei.
c etiam iuuenum pulcherrimus ille monebat,
Qui mihi non falſo pectore dixit, aue.
m ſuper Oceanum madido Sol crine pependit,
Flammiferæ noctis nuncius ortus erat.
la fui thalamumq; ſera cuſtode coegi,
In manibus Solimi carmina uatis erant.
ncipiet natum uirgo paritura, legebam
Docta prius tanti myſtica ſcripta uiri.
ſcere magna parens. fœlix age fulgeat ortus
Afflictis dixi, gentibus affer opem.
ihi ſi liceat quacunq; in ſtirpe futura es,
Aptarem famulas ad tua iuſſa manus.
æ te digna manet genitrix, ô filia maior
Nulla poteſt laudes lingua referre tuas.

O & fœminei; O & ſine labe pudoris
Gloria, ſpes in te noſtra ſalusq; manent.
Tu quòq; mundi opifex imple præſagia uatum,
Pondere te fœlix fiat onuſta parens.
Fama Iouem falſum tot habet latuiſſe figuris,
Et tot ficticios monſtra fuiſſe Deos.
Ante Deos oſtende Deum, de uirgine naſci,
Da populis ſolum te potuiſſe fidem.
Sic ego ſecreto mentis meditata receſſu
Conticui, coràm palmifer ales erat.
Qualis purpureum referens aurora colorem,
Qualis ab Oceana Lucifer exit aqua.
Talis erat niueo iuuenis ueſtitus amictu,
Mortalem credi non potuiſſe liquet.
Aurea cæſaries humeros complexa comantes
Fulſit, & in dextra pacis oliua fuit.
Qui ſimul intrauit tenebrasq; remouit obortas,
Curuato miſſum poplite dixit aue.
Obſtupui, uocem timor abſtulit, unde quòd ales
Mirabar, clauſas tranſijt iſte fores.
Ne timeas Maria ille refert, nam ſpiritus in te,
Et tecum uirtus omnipotentis erit.
Docta uoluntatemq; tuam, meq; ipſa reſumens,
Pareo mandatis orbifer alme tuis.
Labere perq; alti tua regna uoluminis orbes,
Mitibus hæc oculis inferiora uide.

En ia

En iacet, & lachrymis merſus tibi ſupplicat orbis,
Sollicitas audi gloria noſtra preces.
Dum loquor, ecce leui, uelut auctior, ebulit aluus,
Pondere, nec læſi damna pudoris habet.
Ergo ego, quam toto cupiebam corde futuram
Quam c[illegible]lui tantis laudibus, ipſa fui.
Ipſa mihi placui, uotis ignoſce peractis,
Excidit in laudes inſcia lingua ſuas.
Ergo ego digna fui mundo promiſſa iacenti
Soluere, & in terras ducere uirgo Deum.
Digna fui, quis enim poterit te iudice falli?
Digna fui, quia te iudice digna fui.
Te mea uirginitas, tua me clementia mouit,
Non agitur forma Præſule noſter amor:
ulchra tibi mentis facie pulcherrime rerum,
Quod placui, ſed non qualibet arte, iuuat.
ſt aliquid placuiſſe Deo, ſuper omnia matrem
Eſſe Dei, hoc meriti non leue pondus habet.
ribis ut à primis mecum Deus egeris annis,
O pietas terris non habitura locum.
ſa quoq; ardentes ſeu te uenerabar ad aras,
Seu legerem clauſa carmina ſancta domo.
tibi, non oculis hominum geſtamina ſumpſi,
Et nondum ſacris apta miniſtra fui.
mihi tu præſens amor & meditatio dulcis,
Vna tibi ſemper cura placere fuit.

Ah quoties, quærente aliqua quid ſola fuiſſem,
Fingebam fluxo cingula lapſa ſinu.
Cœleſtes adij te contemplata receſſus,
Tu mihi tuta quies, tu mihi ſomnus eras.
Iuſſerat Anna parens, genitor Ioachime monebas,
Legitimo ſummum claudere fine decus.
Scilicet, eſſe uiro fœcundam prole caduca,
Qua non mortali ſemine maius erat.
Quam bene conſtantem iuuiſti in uirgine mentem,
Quod non ſum cupido tradita nupta uiro.
Ille quidem caſte, cui ſum data nupta, ſororem
Maluit, & prior eſt uirginitate mihi.
Ad tua confugi ſupplex altaria, creui
Virgineos inter parua miniſtra choros.
Nunc tribus incipio quartum ſuperaddere luſtrum,
Et mea primæuo flore iuuenta uiret.
Eligor Anna tibi magnum paritura nepotem,
O quanti generi flos erit iſte tuo.
Sed tibi quid refero quæ me prior omnia noſti,
Omne quod eſt usquàm ſcitq; uidetq; Deus.
Cuncta licet uideas, ſemper licet omnia noris,
Sæpe tamen dici te tua facta iuuat.
Nam quid odoratas uotis placaris ad aras?
Et facili iuſtas percipis aure preces?
Clauſa ſub hac lutea noſtræ teſtudine carnis,
Littera præſenti traditur iſta tibi.

Non pre

Non precor ut ualeas ꝑ quē ualet omne quod uſq; eſt,
Illud idem uerum poßit ut eſſe faue.

MARIA MAGDALENA
IESV CHRISTO.

Mitterę quam nequeo largitus es ipſe ſalutē,
Nomē ut à uicta morte redemptor habes.
Regna iacēt certe mortis, te uita perempto,
Vix aliquis tanti qui peteretur erat.
ualis apud manes fueris, quem uiceris hoſtem,
Audet apud ſuperos garrula fama loqui.
iciſti, mors uicta iacet, uictorq; rediſti,
Plurimaq; eſt reditus turba ſequuta tuos.
nq; aliquis longa tecum de morte reuerſus,
Talia barbatos prædicat ante patres.
locus æterna qua rupta uoragine tellus
Panditur, & fœdo ſulfure fumus olet.
ipit hic ſontes animas locus, inq; perhennes
Exercet pœnas perpetuasq; cruces.
ibulum ante patet longo incomplebile tractu,
Non eſt in ſtygia craßior umbra domo.
os ſerie ſeculorum longa uetuſtas
lauſit, & Adami noxa luenda patris.
uo ſecla ierant decies quinq; orbis ab ortu,
ictaq; mortali bis tria luſtra Deo.
ad æternæ noctis loca luminis autor,
bila diuinum diſpulit atra iubar.

Tum noua degeneres lux edita terruit umbras,
Victrices metuit plurima turba manus.
Nec mora disiectis patuerunt atria ualuis,
Vnde uetus Dominum turba ſequuta ſumus.
Pars habet æterno uiridantes germine colles,
Corpora quos ſecum ſurgere iuſsit, habent.
Prædicat hæc aliquis, ſentit contraria uulgus:
Sunt tamen & Solymæ credula turba nurus.
Illæ etiam duræ cum iam loca mortis adires,
Flebant, impoſitam pondus habere crucem.
Iam ſubit illius triſtiſsima lucis imago,
Qua Iudæa tuo eſt ſanguine facta nocens.
Hei mihi, qualis eras? Quantum crudele tuliſti
Supplicium, quod te non meruiſſe liquet?
Qualis erat quæ te propere mœſtiſsima mater,
Et uinctum in medijs hoſtibus auſa ſequi?
Flebat & in terram quoties defecta cadebat,
Vix qui ſemianimem tolleret unus erat.
Vnus Ioannes cuſtos fidiſsimus illi
Semper erat, nullo defuit ille loco.
Tunc ego, ſi qua mori mœrendo fœmina poſſet,
Mortua funeſto fracta dolore fui.
Nanq; quis iſta uidens diræ noua nomina mortis,
Plorantes rigido non ſecet ungue genas?
Territa neglexit leges natura ſuetas,
Morte tua, quando eſt noſtra redempta ſalus.

Sol ru-

Sol rubuit faciemq; atro uelauit amictu.
Informis medio nox erat orta die.
Omnia tunc ſtabili ſtupuerunt ſydera cœlo,
Vix etiam, miſere quaſſa, reſedit humus.
Per ſua demiſſi ceciderunt culmina montes,
Saxa procul querulo diſſiluere ſono.
Multaq; quæ trepidum ſunt uiſa horrenda per orbẽ,
Non tulit imparibus littera noſtra modis.
Condoluit natura tuæ rex optime morti,
Et merito, quia tu conditor huius eras:
Sed mihi quo mœſti ſcripturæ gaudia uerſus,
Triſtia cum fuerint uicta referre iuuat?
Triſtia uiciſti uictorem mundus adorat,
Et ſoluit meritas terra redempta uices:
Non ſatis Eoos Aurora reduxerat ignes,
Vixq; nouum tremulo lumine mane fuit.
obilibus ſumpſi precioſa alabaſtra uenenis,
Exanimes artus unguere cura fuit.
rte duæ mecum, cognominis utraq; noſtra eſt,
Gaudebant Comites illius eſſe uiæ.
nimus ad clauſi nuper loca nota ſepulchri,
Deiectum grandi pondere marmor erat.
e ſed à dextris, dubitantibus omnia nobis,
Ignoti uiſa eſt forma ſtupenda uiri.
ndidior niuibus ueſtis, coma purior auro,
Plurimus in pulchro lumine fulgor erat.

Conſtitimus, ſubitaq; retro formidine lapſas,
Talibus impauidas uocibus eſſe iubet.
Lugentes Mariæ nihil hic timeatis, Ieſum
Quæritis, eſt iſto uiſus abire loco.
Rura prior Galilæa petet, ſic ante monebat,
Dicite ut hæc Petrus diſcipuliq; ſciant.
Hæc ita lætifico de te ſermone locutum
Neſcio, ſed ſtupidas deſeruiſſe puto.
Ipſa quidem nimio confuſa timore reſedi,
Præbuerant mœſtum frigida ſaxa thorum.
Nanq; ut erant longo noua gaudia miſta dolori,
Lætitia hinc lachrymas ædidit, inde dolor.
Certe ibi dum comites fugientes aſſequor, aut te
Vidimus, aut oculos luſit imago tui.
Vidimus at certe, nec enim tetigiſſe, nec ante
Somnus erat, ſacros procubuiſſe pedes.
Gratulor applaudoq; tuæ ſuper omnia palmæ,
At dolor à uultu peior abeſſe tuo eſt.
Dum licuit dulci obſequio te Chriſte colebam,
Vnaq; te requies poſſe uidere fuit.
Teſtis Martha ſoror quàm te conſtanter amarim,
Quo ſe deſertam tempore queſta tibi.
Dicebas, memini, nil te res iſta moretur,
Electa fœlix eſt tua parte ſoror.
Ieſu noſter amor, iam non moriture redemptor,
Iam non mortali carne uidende ueni.

Langue

Langueo ut æſtiuis exuſtum ſolibus aruum,
Areo ut in ſicco quæ ſitit herba ſolo.
Nunc mihi quot ſoles abeunt, tot metior annos,
Menſis habet ſpacium quælibet hora mihi.
Nunc deſyderio, iuſtiſq; doloribus angi
Nunc didici uero quid ſit amore capi.
Ibimus, eſt animus, Galileaq; rura petemus,
Sed tamen hic nobis ante uidendus eras.
Arua patent oculis uigilantibus obuia, cœlum
Metior, at nulla ſpes mea parte uenis.
Iamq; abiere decem, tantum non ſecula, luces,
Quas, quia ſunt, potui dicere penè cruces.
Nec tamen appares, & nos te Chriſte uolentes
Quærere, nemo uiam quæ ſit eunda docet.
Reddita teſtatur mundus tua ſigna renaſcens.
Gaudet & in reditu quicquid ubiq; tuo.
Nunc iterum ſpondent Solymi ſua balſama colles,
Hierichus uernas exhibet alta roſas.
Verna Cupreſſifera prætexunt pallia ſyluæ.
Ornat Idumæum florida palma nemus.
Nubifer æſtiuos aperit Carmelus honores.
Botrifera Ergaddi uites opacat humum.
Cuncta tibi redeunt, tecum ſimul omnia ſurgunt,
Nos ſine lætitia, nos ſine honore ſumus.
Autor ubi es, rerumq; potens reparator Ieſus
In melius uerſi temporis autor ubi es?

Viciſti, mors uicta iacet, uictamq; fatetur,
Iamq; triumphatas porrigit illa manus.
Victor ubi es? nec enim miſeræ te inuenimus uſquàm,
Quæſitus longo tempore uictor ubi es?
Dum queror ac mecum doleant, niſi falſa notaui,
Flexerunt tremulum lilia mœſta caput.
Frigida pendentes commouerat aura capillos,
Reſpicio, nullus poſt mea terga fuit.
Vidi aliquid, ſpecies amor obtulit, inter eundum
Conſtiteram, & mixto læta timore fui.
Aſpicio loca nobiſcum tibi culta frequenter,
Heu loca non oculis dulcia ut ante meis.
Grata tamen quia te referunt, quia grata fuerunt,
Sic etiam ex iſta parte dolere iuuat.
Nunc tua quæ poſſum pro te ueſtigia tango,
Et lachrymas proprior conbibit herba meas.
Aſpicis hæc oculis, ſed non quibus ante ſolebas,
Nec lachrymæ, nec te noſtra querela mouet.
An quia mortalis iam deſinis eſſe, recedis?
Et mihi non ultrà conſpiciendus abes?
An quia peccatrix non ſum te digna uidere?
Heu cur illa timet crimina noſter amor?
Digna licet non ſim, potui tamen eſſe, uideri,
Da ueniam, pietas nunc ubi tanta tua eſt?
Quid meruere alij, ſi te mihi Chriſte negabis?
Quid reliquus mœſta cum genitrice chorus?

Reſtat

Reſtat ut accedat noſtro tua gratia uoto,
Cura aliâs mœſtam nulla leuare poteſt.
Hoc te Martha ſoror, rogat hoc qui lumine caſſus,
Lumina quæ uideat te duce frater habet.
Te genitrix, te noſter amor, duodenaq; turba,
Te bonus hoc anima ſupplice quiſq; rogat.

MARIA IOANNI.

HAec dilecte Deo iuuenis tibi uenit ab illa,
Quæ tibi quo licuit tempore mater erat.
Signa quid aſpiciens gladium mirariſ utrũq;?
Hic mihi cauſa fuit uulneris, ille tibi.
Vidimus his læſi morientis uulnera Chriſti,
Heu quantum miſeros eſt meminiſſe dies.
Nunc tamen hoc peius doleo, quo longius has te
Meq; ſimul terras deſeruiſſe queror.
Pulſus in Aegeam Romano à Cæſare Pathmon,
Incolere ignotam diceris exul humum.
Quæ ſimul ut noſtras fama improba contigit aures,
Senſibus excideram mortua penè meis.
Idq; ego iam dudum uel tale quid ægra timebam,
Docta ſatis caſus poſſe timere graues.
Fortiter hic animus longoq; induruit uſu,
Pectoris hæc non ſunt uulnera prima mei.
Ante per immenſum pelagus iactata malorum,
Ante in curarum gurgite merſa fui.

Tu quoq; noſtrarum comes & pars maxima rerum.
Teſtis es afflictam ſic potuiſſe queri.
Cum qua quicquid erat durum commune tuliſti,
Adnumerans damnis uulnera noſtra tuis.
Qui mihi quod charæ frater ſolet eſſe ſorori,
Cui fueram frater quod ſolet eſſe ſoror.
Deniq; quem primum dilexi ſemper ab illo,
Illo, qui nobis omnia ſolus erat.
Qui moriens matrem tibi me mandauit, ut eſſes
Tu quoq; deſertæ quod fuit ille mihi.
Deſeci, terramq́; genu labente petebam,
A terra manibus ſum releuata tuis.
Hoc pius aſpiciens aliquis miſeratus utrunq; eſt,
Dixerat, ah quoties hæc miſera, ille miſer.
Flebant & Solymæ tanquàm ſua uiſcera matres,
Addidit immites impia turba minas.
Plura uetat meminiſſe dolor, quis cætera fando
Pallentes calido non riget imbre genas?
Omnibus intereras, mecum omnia dura tuliſti,
O nec adhuc aliquo fine quietus agens.
Cur igitur tot paſſæ animo ſubeunte labores,
Non mihi ſollicito pectore flendus eras?
Cur non exciderim tam ſæua exterrita fama?
Cur tua non noſtrum uulnera pectus agant?
Tunc ego uel potui crudelior eſſe uideri,
Quàm quibus eſt propria mamma reſecta manu.

Nata ſe-

Nata feris pauiſſe feras, tygresq́; lupósq́;,
Non potui caſto paſcere lacte Deum.
Duritia potui ſuperare Adamanta uideri.
Si non quæ pateris non meruiſſe querar.
Quæ quamuis placuiſſe queant tibi forte per ipſum,
Qui mala poſtremis deteriora tulit.
Te tamen indigne plecti dolet. O mihi ſaltem
Quis dabit ut pro te triſtia fata feram?
Cui, quòd non penitus cecidi, quòd penè reuixi
Mortua, cui quod ſum debeo, quodq́; fui.
Vt taceam qua me toties pietate leuaris,
Quanta animi fuerim ſarcina ſæpe tui.
Omnia ſolus eras ſoli mihi nanq; relictæ,
Poſtquàm eſt in patriam redditus ille ſuam.
Ille decus noſtrum, noſtræ dator ille ſalutis.
Heu mihi cur nomen dicere triſte fuit.
Neſcia quæ dulcedo meos renouare dolores
Hic ſolet, in dicto nomine uulnus erat.
Maternum examinant dilecta uocabula pectus,
Et tamen eſt quare commeminiſſe iuuet.
Sic quoq́; uicina iam lumina morte grauatus
Matris in indicto nomine mitis erat.
Tam miſeræ, fractæq́; malis, paſſæq́; dolores,
Dixiſſes quiddam blandius interij.
Ecquæ uel potuit grauius uel debuit unquàm
Quod peperit noſtra mater amare fide?

Ecquæ uel maius peperit? cui deinde per omnem
Cum partu uitam uiuere peius erat?
Tempore ab hoc noſtra quo terras uenit ab aluo
Humano ſoboles corpore tecta Dei.
Quot tulerim duros non eſt numerare labores,
Tempore ab hoc paucis læta diebus eram.
Læta fuit tunc cum mihi miſſus ab æthere, dixit
Pectore non falſo nuncius ales, aue.
Tunc quoq; cum tantam peperi ſine crimine prolem,
Cumq; darent illi tres tria dona Magi.
Læta triumphata redeuntem morte uidebam,
Calcantemq; alacri nubila regna pede.
Spiritus à patria lætam quoq; ſede relabens
Vidit, eras noſtri pars quota & ipſe chori.
Cætera dura tulit fortis tenor omnia iniquæ.
Quod iuuet eſt inter milia multa nihil.
Quæ ſi cuncta uelim numero comprehendere certo,
Frondiferas Libani dicere coner opes.
Quot cedros Carmelus alat, quot gignat odoras
Hierichus uernis ſolibus uſta roſas.
Pauca tamen meminiſſe iuuat, quibus ipſe notatis
Tu quoq; pacifico triſtia corde feras.
Frigora pauperiemq; pati res dura uidetur,
At nihil eſt, horum milia multa tuli.
Quem mihi nunc animum credis dilecte fuiſſe,
Carmina uaticinans dum canit iſta ſenex?

Mœror,

Mœror, & anxietas, dolor, inclementia fati,
Mater in hoc puero ſunt obeunda tibi.
Non ſecus obſtupui, quàm ſi nil tale timenti
Hauſiſſent medium tela cruenta latus.
Non dum conualui, nondum dolor ille reſedit,
Ecce noua Herodes monſtra tyrannus agit.
Audijt Hebræa uenturum ab origine Regem,
Qui ſe de tanto pelleret imperio.
Protinus edicto crudeli occidere mandat,
Quisquis adhuc linguæ maſculus eſſet inops.
Hic dolor, hic miſeræ plangunt ſua uiſcera matres,
Sæpius è medio uiſcera rapta ſinu.
Sæuit in innocuo crudelis ſanguine miles,
Flebilius nihil hac cæde fuiſſe poteſt.
Ipſa Deo monita Aegyptum fugitiua petebam,
Duxit Ioſepho nos comitante puer.
Hic aliquot fatis, ſed triſtibus egimus annos,
Præbuit anguſtum lana colusq; cibum.
Vix peregre patriam Galilææq; rura reuerſi,
Inſtabat Solyma feſtus in urbe dies.
Venimus ad typici ſacrum ſolenniter agni,
Dum timeo natum perdere, natus abeſt.
Illum ego quæſitum tris ſoles anxia, tandem
Inuenio ſacros diſſerere ante patres.
Vix iſto annorum duo tempore luſtra peregit,
Et potuit tantos ille docere uiros,

Creuit, & inde puer meliores induit annos,
Me uacuam uidit nulla dolore dies.
Iamq́; uir egreſſus ſexti confinia luſtri
In ſibi præſcripta cœperat ire uia.
Per noua mirantes tenuit miracula turbas
Et nouus in toto gente propheta fuit.
Teſtis es ante alios (nec enim te charior illi
Alter erat) quo ſe geſſerit ille modo.
Quot miſeros, quot mõſtra hoĩm, quot luminecaſſos,
Reddiderit per tot milia nemo rogat.
Scis quibus interea curis gemebunda tenebar,
Certa dolorificum non procul eſſe diem.
Sæpe gemens dixi: cui me moriture relinquis?
Quis dabit heu tecum me quoq; poſſe mori!
Ille quibus potuit uerbis lenire dolorem,
Sæpe tibi dixit ueſtra ſit iſta uide.
Te quoq; ſæpe grauis flenti diſcrimina fati
Non puduit madidas tergere ueſte genas.
Et mea ſæpe tuæ lachrymæ ſuper ora cadebant,
Exciderem manibus cum reſupina tuis.
Et iam tempus erat fatalem ſoluere morſum
Triſtior affulſit quælibet hora mihi.
Aſcendit Solymam palma ſublimis in urbem,
Exceptus ueri regis honore fuit.
Inde ſacra uulgus deturbat ab æde prophanum,
A turba ſaxis pene petitus erat.

Sex modo reſtabant quos uellet uiuere ſoles,
Heu nimis in curas tempora longa meas.
Hic mihi nec luces tacitæ nec tempora noctis
In lachrymas ſpacij ſufficientis erant,
Anxia,ſiue aberat,quærebam ſemper ubi eſſet,
Anxia,ſiue aderat,ne male abiret eram.
Omnia tu melius,mecum tu ſemper agebas
Omnia tu memori mente tenere potes.
Quis feret illius noctis meminiſſe cruentæ,
Quæ cœnam Paſchæ prima ſecuta fuit?
Vos ne Cedroneæ captum potuiſtis oliuæ
Immeritum ſicca fronde uidere Deum?
Ipſe rapax annis lapſas à corpore guttas
Senſit & attonita mollior ibat aqua.
Territa diffugit ſub opacam Cynthia nubem
Penè etiam cœlo nox abitura fuit.
Te ne quieturos poſuiſſe cubilibus artus?
Me ne relaxata mente fuiſſe putas?
Quò libet usq; illum tam longa nocte trahebant.
Hac ego ſum tacitis paßibus auſa ſequi.
Hinc ego per clauſæ rimas ſpectare feneſtræ
Dum cupio,indigne ſæpe repulſa fui.
Vidi ego uel probris luſum,uel uerbere cæſum
Nullus in attonito pectore ſanguis erat.
Quocies,ridente aliquo mea uulnera,fleui
A quoties ſupplex qualibus uſq; fui.

Hic quoq; qua poteras miſeram pietate, iuuabas
Egreſſus diræ limina nota domus.
Quis meminiſſe queat diræ ſcelera omnia noctis?
Non ſatis eſt tantis ulla querela malis.
Quot gelidæ æſtiuis errant in montibus umbræ,
Quot matutino gramina rore madent.
Tot mea preſſerunt lachrymoſi corda dolores;
Illa quæ cladem nox mihi prima tulit.
Nox Acherontæis intempeſtiuior umbris
Nox tamen in curas non ſatis ipſa meas.
Triſtior in noſtras lachrymas ſucceßit Eous,
Et peiora nouum uulnera mane tulit.
Vix caput extulerat trepido ſol territus orbi,
Mœſtus in attonita perſtrepit aure ſonus.
Qui noua credentem populum per ſigna fefellit,
Qui ſe præſentem dixit adeſſe Deum.
Qui ſua prætulerit ſanctæ ludibria legi,
Quem pro lege iubet Præſul uterq; mori.
Rite coronatum Præſes Romanus Ieſum,
Damnat ad extremam iuſtior ipſe crucem:
Parcitis immeritæ pubes Iudæa parenti,
Sic ego ſic ueſtra uoce leuanda fui.
Hoc erat officium matri præſtare relictæ
O etiam ueteri durius angue genus.
Et iam tota cohors portis erumpit apertis
Impoſitam collo baiulat ille crucem.

Qua licet usq; ſequor te ſolo tuta miniſtro
In latebris comitum cætera turba fuit.
Attamen & mecum quædam uenere ſorores
Sed grauis has longe iuſsit abeſſe timor.
Non ſatis ipſe oneri quoties cecidiſſet, amare
Vapulat, infecta ſurgere iuſſus humo.
Tacta rubebat enim, ueſtigiaq; ipſa tenebat
Sanguine quæ fuſo fecit utrunq; genu.
Quid facerem? toties iacui iam frigida, fleui,
Nunc quoq;, ſi quæras: quid facit iſta, fleo.
Quasq; legis toto multas in carmine mendas
De lachrymis factas noueris eſſe meis.
Ventum erat interea mortis loca ad alta, paratæ
Ecce ſudes, clauos, arma, flagella, crucem.
Tunc ego, uel nullos potui ſenſiſſe dolores,
Vel potui humani cordis habere nihil.
Sanguine iam roſeo ligno ſudante pependit,
Tranſijt effoſſum militis haſta latus.
Iam mihi pendentes licuit tetigiſse lacertos
Oſcula iam nigro frigida ab ore tuli.
Dicite prolificæ fœlicia nomina matres
Dicite de uobis talia ſi qua tulit.
Nulla tulit, nulla eſt æuo latura ſequenti,
Curarum hoc preſsit ſarcina tota caput.
Tot mala, tot curas, tot iniquos paſſa dolores
Conqueror extremum longius ire diem.

Quoq; magis doleam ſine te chariſſime cogor
Viuere, qui miſeræ dulce leuamen eras.
Non ego te aſpiciam ueſtri mandata magiſtri
Hiſtorica populis inſinuare fide.
Non mihi ſollicitæ numeranti tœdia uitæ
Artifici falles tempora longa mora.
Nunc quoq; quæ tecum quondam monumenta ſolebã
Viſere, ſtant ſoli ſola uidenda mihi.
Illa ego, diuitibus ſeu lucidus exit ab Indis
Seu niger Heſperiam lucifer intrat aquam,
Flexa genu præſens fletu contemplor amaro
Ille locus noſtri ſigna doloris habet.
Illius apparent ueſtigia mœſta perempti
Illius innocui cæde cruenta uiri.
Hic ſtetit, hic cecidit, ſaxo defecit in illo,
Hoc ego ſtrata loco cum pateretur eram.
Hæc illum crux alta crucem tulit inter utranq;
Mortuus hic munda ſindone tectus erat.
Hic me ſemianimem chariſsimus ille refecit
Ille per Aegeas nunc male pulſus aquas.
Talia dum meditor mecum tua ſemper imago eſt.
Tu procul hinc abſis milia multa licet.
Ipſa quidem Solymis nunquàm exeo corpore ab oris
Mens tamen & cœlos & tua regna ſubit.
Mens ſpacio peregrina breui quocunq; uolebat
Tollitur, & nullo limite clauſa uolat.

Hæc igi

Hæc igitur toties ad te ſpaciatur & errat,
Carceris hæc extra teſtea clauſtra ſui.
Ipſa domo uidua tacito ſecreta receſſu,
In meritas ſi luo dum licet ora preces.
nterdum repeto ueterum præſagia uatum,
In curas olim carmina ſcripta meas.
ara mihi eſt etiam reliqui congreßio uulgi,
Quàm quarum ſatis eſt uita probata mihi.
æ quoq; ſunt noſtræ quod poſſunt eſſe ſenectæ,
Flos prior ætatis decidit ille meæ.
uferor, inq; dies uenientibus opprimor annis,
Plena quater uitæ ſunt tria luſtra meæ.
ec mihi ſcire licet quid agas charißime rerum,
Credentes etiam fallere fama ſolet.
ullaq; quæ poßit de te tot euntibus annis
Littera, uel minimum dicere, uiſa mihi eſt.
c tamen hoc miror, tot enim maria inter utrumq;
Forſitan ingratæ cauſa fuere moræ.
tibi qui noſtro ſæpe eſt in amore miniſter,
Omnia mandatis fert mihi plena tuis.
c licet agnoſcam quid agas, tamen omnia uellem
Plenius, & digitis ſcripta uidere tuis.
rea loquitur pro te tua littera nobis
Orbi, non ſoli littera ſcripta mihi.
era quæ ueſtri teſtatur geſta magiſtri,
ſq; ſub extremum non peritura diem.

Quo ſane mortale nihil meditare libello,
Sydera ſublimi uertice ſumma feris.
Sicut ubi radios uiſu penetrauit acuto,
Prima auium cœlo proxima ſæpe uolat.
Abdita uidiſti diuinæ ſcrinia mentis,
Myſtica quo nobis cœna peracta loco eſt.
Illa utinam nobis non ultima cœna fuiſſet,
Aut eſſet propera morte peracta mihi.
Sed tamen hoc ceſsit melius populoq; redempto,
Et quibus eſt recto tramite cura ſequi.
Differri haud potuit quod opus reſtabat agendum,
Qua bona ſit cauſa noſtra querela caret.
Tu ſi quando potes mœſtam ſolabere matrem,
Cur uacat officio dextera fida ſuo?
Damna fer interea ſortis patienter iniquæ,
Iam patria fœlix diuite ciuis eris.
Nec dubita poſt paulo Epheſum tua templa redibis,
Donec ab his curis uiuus ad aſtra uoles.
Ipſa feram placidæ ſuperantis tædia uitæ
Quam precor ut paucis, qui dedit ille ferat.

LYDIA PAVLO.

DVm tibi ſera uenit metitur epiſtola, quantum
Tybridis à ſacro fonte Caicus abeſt.
Nã tenet euictis nũc pulchra Tyatira curis,
Nunc ego nec fœlix Aematis eſſe uelim.
Tu dubium emenſus Thyrrena per æquora curſum,
Dura ſub infami iura Nerone manes.

Quid tibi cum cæca doctor clariſsime Romæ?
Aſſueſcet monitis nunquid & illa tuis?
Quàm metuo magnum ne quando fatebere Chriſtū,
Ipſa tibi pœnas exitiumq́; paret.
Hoc cecidere modo tot milia temporis huius,
Stultus ut imperium cum Ioue Cæſar habet.
Quàm fuerat melius gentes docuiſſe minores,
In tua plus Aſiæ nomina laudis erant.
Roma potens toti caput eſt & præſidet orbi,
Et nimium propria laude ſuperba tumet.
Tam firmam heu quantus labor eſt impellere molē;
Pondus præcipue cuius & orbis idem?
Ipſa refert patria partos uirtute triumphos,
Et ſe præſentes credit habere Deos.
Ipſe etiam ſuperum ſocius pater urbis habetur;
Cui locat ardentes quælibet ara focos.
Hanc tu poſſe putas tua per documenta moueri;
Quæ ſibi tot diuos quot colit ipſa facit?
Et licet exuperes diuinæ lumine mentis;
Et polyhiſtorico pectore cuncta feras:
Blandaq́; melliflua cedat tibi gratia linguæ,
In labris ſedeat Suada canora tuis.
Saxa prius ſcopulosq́; trabes ſyluasq́; ſequaces;
Antraq́; linquentes per nemus omne feras.
Quàm tu ſemideum poſsis mollire Neronem,
Si modo ſe totum non putat eſſe Deum.

Sed pariunt magnam tam facta inſignia laudem,
Tantiq; ſatis fama laboris erit.
Quis neget hoc magno ſatis eſt uoluiſſe Tonanti,
Res animo non re ponderat ille animos.
Quis neget hæc ipſis Diuis quoq; magna uideri,
Terrarum princeps ſollicitare caput.
An potius fugiens operoſæ tædia uitæ,
Vis tandem placida poſſe quiete frui.
Nanq; diu uaſti iactatam errore profundi,
In portum par eſt applicuiſſe ratem.
Arma per & uarij raptum diſcrimina belli,
Militis emeriti nomen habere decet.
Hoc tibi tu poteras Romam ſperare daturam,
Nil hac deſperes conditione licet.
Flumina ſic retro ſpera reditura, lacusq;
Ignibus arſuros, ſaxa futura feras.
Mortua crede loco pietas eſt omnis in illo,
Cæſar ubi malus eſt, pax ibi nulla bonis.
Pars licet obſeruet populi te multa tuisq;
Audiat, & uerbis credat ineſſe fidem.
Preſſa tamen trucibusq; minis iraq; Tyranni
Dißimulat tacita quem colit arte Deum.
Ergo fuit melius Gentes docuiſſe minores,
Cur tua nunc uirtus languida facta iacet?
Sed tua nec languet uirtus nec gloria marcet,
Da ueniam ſi quid noſter ineptit amor.

Vt tua

Vt tua me miſeram nimijs abſentia curis
Conficit, incauta ſic quoq; mente loquor.
Candida floret adhuc noſtras tua fama per oras,
Gloria nec meriti eſt ulla ſepulta tui.
Poſtquàm clara noua uidit te luce Damaſcus
Percuſſum, leges deſeruiſſe tuas.
Mœnia adhuc illa rima ſtant peruia, per quæ
Diceris occulta cautus abiſſe fuga.
Illa etiam quæ tu nobis aliquando ſolebas
Sæpiùs in patria facta referre tua.
Illa uigent etiam nullis moritura diebus,
O ſine non lachrymis enumeranda meis.
Immeritum pœnis quibus afficere Philippi,
Flumina penè audent mutaq; ſaxa loqui.
Hanc poſt fida tamen tua littera uenit ad urbem,
Quam dederas ueram teſtificata fidem.
Saxa Lycaoniæ ſcelus indignantia Lyſtræ
Penè etiam mortis ſtant monumenta tuæ.
Vicere Cecropios quo fregeris ore magiſtros,
Quam qui nil didicit dicere nemo nequit.
Tua uirtute Epheſiq; minas Solymæq; tumultus
Viceris, & Macedûm Cappadocumq; dolos.
Omnibus his tua ſcripta tamē tranſmiſſa leguntur,
O bona pro meritis dona relata malis.
Præterea Galathas quis neſcit adiſſe feroces,
Teq; tuas Chriſto faſſa Corinthus opes?

O electe Dei preco, decus orbis, ab ipſis
Quem tenebris luci eſt reſtituiſſe tuum.
O ſuperum facunde comes fideiq; magiſter,
Fulmina ſunt linguæ ſingula uerba tuæ.
Fama eſt Iſmarij gelidas ad Strimonis undas,
Omnia Thrēiciam monſtra ſequuta chelin.
Mouerit Amphīon lapides Delphinas Arion.
Ogmius impoſitis traxerit ora iugis.
Tu potes eloquio cœlos aperire potenti,
Tu potes in terras ducere Paule Deum.
Cuncta tibi cedunt diuinæ munera uirgæ,
Tam fluit & linguæ eſt aurea uena tuæ.
Iamq; renaſcentem membris uitalibus orbem,
Totum diuini munere lactis alis.
Qualiter infantem tenui nutricula ſucco
Imbuit, & firmis paßibus ire docet.
An nihil hæc credes? an non ea gloria plena eſt?
Roma precor titulis defuit una tuis?
Patria reſtabant Perſææ mœnia Tharſi,
Heu quantum à ueſtro Tybride Cydnus abeſt.
Quàm fuit hoc nimium grauidæ præſtare ſenectæ,
Romanis Cilicas præpoſuiſſe tuos.
At fuerat ſancta pro relligione cadendum,
Hanc prius hic fas te compoſuiße fuit.
Grata ſeneſcentis quærebas ocia uitæ,
In patria poteras conſenuiſſe tua.

Dulcibus intentus ſtudijs creſcentis Ieſu,
Non quæ priſca tui Gamalielis habes.
Aut certe ad gelidum melius uixiſſe Caicum,
Hic tua præcipuum gloria nomen habet.
Quod uotis niſi ſæua meis fortuna negaſſet,
Improba pars uitæ non foret ulla meæ:
Creſceret inuiſas nullum mihi tempus in horas,
Deijceret nullus pectora mœſta dolor.
Nec me ſæpe cauo gemitus pulmone trahentem,
Triſticiæ cauſam quæreret ulla meæ.
Sæpe meos blanda ſolatur uoce dolores,
Iuncta comes lateri fida Perilla meo.
Ah quoties illa referente quid egeris uſquàm,
Plurima luminibus liquitur unda meis.
Nũc quoq; pfuſum lachrymis premit humida pectus
Faſcia, concepto pondere facta grauis.
Prædita ut illa quidem facundæ eſt munere linguæ,
De te quot uerbis tot mihi tela refert.
Tempora tum ſubeunt uitæ male cauta prioris,
Per quæ quicquid erat uiuere crimen erat.
Non ego nobilium ſata Lydia ſtirpe parentum,
Nupta uiro mœſtas tota ſequebar opes.
Præcipue gemmas Tyrios & auara colores,
Empta leui magno uendere docta fui.
Hos duce te quæſtus, ueriſſima damna, reliqui
Nuda prius, lucro facta beata nouo,

Cuius et obſtantes duce te noua ſigna per hoſtes,
Sumptaq́; pro Chriſto fortiter arma tuli.
Multa quidem uici nec uana pericula rerum,
Quæ poterant ipſis pondus habere uiris.
Quæ,quia nulla meis debetur gloria factis,
Tot mala quot uici muneris omne tui eſt.
Tu potes extremi penetrare uolumina cœli,
Præſentemq́; alta mente uidere Deum.
Ille tibi quæcunq́; uoles largitur & addit
Munera ,ad exiguas non numeranda preces.
Illius exemplo miſeros tibi cura iacentes,
Tollere & ad ſuperas eſt animare domos.
Nec pateris quo tu perijſti penè,perire
Vulnere,ſed certa conditione iuuas.
Nemo quidem melius languenti conſulit unquàm,
Quàm qui pernitiem,quam leuat,ipſe tulit.
Hoc utinam uideat qui ſe putat omnia Cæſar
Cernere,qui nec ſe nec ſua facta uidet:
Terribilisq́; ſacra ſtupefactus imagine uultus
Dicat,& hic tantus non putat eſſe Deos.
Quod non ille putat tantus quis credere poſſit,
Ille quod eſt uerum forte putare poteſt.
Viderit hoc Cæſar,quod non ſperare licebit,
In patriam reditus iam tibi certus erit.
Sed prius,heu metuo,fluuius habitabit Oreas
Multaq́; per montes Oceanitis erit:

Quim ſua deſtituant crudelem monſtra Neronem,
Nominis ô ipſo uox metuenda ſono.
Ergone te miſeris ſine fine carere neceſſe eſt?
Ergo ne non finem noſtra querela feret?
Quin etiam nobis ſperantibus optima, forſan
Adueniet mortis nuncia fama tuæ.
Heu mihi ſi noſtras quicquam tale arguat aures,
Cur ego præterito fortis agone fui?
In talem ſupereſſe diem quid profuit, in quo
Hoc animi reliquum decidet omne mei?
Me timidam infauſtæ faciunt mala nomina Romæ,
Viſa precor celeres ſomnia ferte Noti.
Nunc tu quicquid agis ſeu dura negotia tractas,
Ocia ſeu tuta dulcia mente legis.
Reſpice lugentem ſolita pietate miniſtram,
Quàm ſi uis aliqua parte ualere, Vale.

ELISABET IOANNI BAPTISTAE.

SIc mihi Zachariæ ſera te prole grauatæ,
Dextera pro lingua ſæpe locuta fuit.
Non tamen eſt eadem ratio mihi muneris huius,
Nec mea conſpecto numine lingua ſtupet.
Sæpe manus nobis præſentibus illa loquuta eſt,
Abſenti loquitur dextra noſtra tibi.
Da mihi te præſensq; tui ſic copia nobis,
Quàm cuperem, quæ nunc ſcribimus, iſta loqui.

Accola fluctuagi rapidas ad Iordanis undas,
Inter inhumanas diceris eſſe feras.
Hirſuta pauidi ueſtitus pelle Cameli,
Sylueſtres miſtis mellibus eſſe cibos.
Auia deſertæ poſtquàm colis inter eremi,
Tecta nec ulla hominum nec loca culta ſubis.
Gratulor, & quoniam tibi ſic chariſſime cordi eſt,
Viuere non alia te regione uelim.
Nam mihi in hoc ſterili prodiſti natus ab aluo,
Venturum ut fieres nuncius ante Deum.
Nunc quoq; te fama eſt adeuntibus undiq; turbis,
Taliter ex omni uociferare loco.
O qui præteritæ numeratis crimina uitæ.
O quæ mens ſcelerum conſcia uulnus habet,
Ponite multiplicis commiſſa piacula noxæ,
Ponite quæq; nocent, ſumite quæq; iuuant.
Pœniteat ſcelerum pudeat uixiſſe tot annis,
Non intellectæ ſub regione uiæ,
Vos adaperta manet cœleſtis ianua regni,
Iam tempus ueniæ, ne dubitetis, adeſt.
Talia multa ferunt mirantibus ædere turbis,
Et te præſentem ſignificare Deum.
Inde ſuperfuſis in Iordane tingere lymphis,
Faſſorum ſordes milia multa ſuas.
Heu mihi q; nimium grauibus nunc opprimor annis,
Et uicina meas mors cubat ante fores.

Eſſet ad-

Eſſet adhuc conſtans & crudior iſta ſenectus
Officiumq; agerent frigida membra ſuum.
Non ingrata domi ſubeuntibus ocia curis,
Non tererem uana tempora longa mora.
Protinus his ad te fugerem, mea uita, relictis
Rebus quas aliæ ſæpe morantur anus.
Non me triſtis hyems, non torrida ſolibus æſtas,
Non rigidum ſcopulis me prohiberet iter.
Omnia deſpicerem uulgata pericula rerum,
Atq; annis fierem fortior ipſa meis.
Vt te perpetuæ monſtrantem dona ſalutis,
Conſpicerem populi pars quota facta tui.
Sed uetat has partes & inutilis impedit ætas,
Nec Deus hunc animum, quod cupit, eſſe ſinit.
Et nunc ille iacet per quem ſtetit iſta ſenectus,
Qui fuit ætatis firma columna meæ.
Sola domo uidua paucis obſepta miniſtris,
Deuoueo tardos in mea fata dies.
Quanq̃ quod ſupeſt uitæ, hoc mihi nomine gratũ eſt
Quòd te grata Deo uita ſuperſtes habet.
Siue etenim ſanctis te nuncia fama Prophetis
Inſerit, eſt quare uiuere poſſe uelim.
Siue docet falſi monſtrare pericula mundi,
Adijcitur uitæ, quod uenit inde, meæ.
Deniq; quæcunq; eſt que tu ratione probaris,
Corporis eſt certe certa medela mei.

Idq; ego non aliud cauſſæ mihi credo fuiſſe,
Cur mea ſic fato tardior hora ſuo.
Hora quater denos bis iam numerata per annos,
Migrandum propere nunciat eſſe mihi.
Quàm bene longæuæ numero mala tempora uitæ,
Quòd non ſum uacuo tempore iuſſa mori.
Nam cum difficilis flerem diſpendia lecti,
Viſa diu ſteriles inter habenda nurus.
Reſpexit miſeram tandem Deus ipſe ſenectam,
Et deſperato iuſsit honore frui.
Iam me uita ſenex melioribus exuit annis,
Aeuo debilior iam uir & ipſe fuit.
Thura Sabæa Deo ſanctas incendit ad aras
Zacharias, clauſa ſolus in æde manens.
Adſtitit æthereа delapſus ab arce miniſter
Angelus, & tales ædidit ore ſonos.
Chare Deo, confide placent tua uota, tuiſq;
Ante Deum precibus gratia parta tibi eſt.
Vxor præcipiti tua grandis Eliſabet æuo,
Iam tibi concepto pondere mater erit.
Nomen Ioanni ſtatues inſigne puello,
Hic ſacer, hic fiet maximus ante Deum.
Adferet ille puer toti noua gaudia mundo,
Flamine ſacra Deo pectora plenus erit.
Talibus eſſe fidem, quia nollet credere, dictis,
Egreſſus templi limina mutus erat.

Donec

Donec ad octaui uentum confinia menſis,
A ëris in lucem iam mihi natus eras.
Cumq; propinquorum de nomine turba rogaret,
Nomen Ioanni diximus eſſe tibi.
Omnes ignota turbati uoce negabant,
In noſtra hoc aliquem nomen habere tribu.
Ipſe pater ſumptis ſcripſit pro uoce tabellis,
Nomen Ioannes, quod ferat, huius erit.
Atq; ita cum longo tacuiſſet tempore, tandem
Soluit in hos nuper guttura muta ſonos.
Laudibus Iſraël Deus eſt & honore ferendus,
Vincula qui plebis liberat arcta ſuæ.
Cornua uenturæ qui protulit alta ſalutis,
Gentis Ießidæ ſub ditione ſui.
Ipſius ut ſancti repleti numine uates,
Ante retro lapſos præmonuere dies.
Affore crudeli quo ſeruaremur ab hoſte
Tempus: & amiſſam quod repararet opem.
Vt noſtros miſeratus auos memor eſſet eorum,
Quæ teſtamento condidit ipſe ſuo.
Vt rata uerba forent iurandi præſtita iuris,
Quod tibi iurauit prole beate ſenex.
Ipſius ut poſito faceremus iuſſa timore,
Nec manus hoſtili nos premat ulla iugo.
Ipſius ut ſancti iuſtiq; colamus honorem,
Donec in hoc uiui mortis agone ſumus.

A te ſancte puer ſibi deligit ipſe Prophetam,
Venturi ut poßis nuncius eſſe Dei.
Nec dubiæ fiat per te uia nota ſalutis,
Omnibus, & populo culpa remiſſa cadat.
Ex alto quoniam uenia miſeratus egentes,
Reſpexit uultu terrea regna pio.
Triſtibus ut ſplendor nouus illuceſceret umbris,
Quæ miſero clauſos carcere mortis habent.
Noſtra ut inæternam tendant ueſtigia pacem,
Semita quo noſtros dirigat iſta pedes.
Hæc ita uatidico tacuit pater ore locutus.
Turba nouum populi tota ſtupebat opus.
Hinc tibi quis melior ſtudijs accreuerit ætas:
Penè ſuperuacuum dicere uelle fuit.
Quis tamen ignoret quòd adhuc impubibus annis,
Pectora iam ſacro numine plenus eras.
Improba mentita eſt quondam Ioue fabula natum,
In cunis angues enecuiſſe duos.
Certe nulla meis inſunt mendacia uerbis,
In te plus animi quàm puerilis erat.
Ac ſacra tunc etiam celebrares ſabbata, uix dum
Paſſus es aſſueto munere lactis ali.
Nunc poſitas hauſto tingebas fonte corollas,
Et moto quædam pollice ſigna dabas.
Sæpe uidebaris monſtrare quid indice, tanquam
Neſcio quæ, ſtupida mente futura uidens.

Iam iuuenis iamque utilibus maturior annis,
Iam poteras duri ferre laboris opus.
In loca tranſiſti deſerta ſilentis eremi,
Iamq́; ea non modico tempore regna colis.
Tempora quæ grauibus Chriſto duce uiuis in armis,
Hæc ſunt militiæ ſigna petita tuæ.
Iamq́; ferè tua ter denos excedit in annos,
Vita nouum meritis nuper adepta decus.
Nan tibi agnatum lauiſſe in Iordane Chriſtum
Diceris, & medijs conſtituiſſe uadis.
Quem ſuper ut patria delapſus ab arce quierit,
Spiritus, & caſtam ſe ſimularit auem.
Fama eſt auditam ceu patris ab æthere uocem.
Talia non humili uerba dediſſe ſono.
Hic eſt ille meus dilectus filius, in quo
Sunt animi certa gaudia plena mei.
Nate meæ requies & honor ſupreme ſenectæ,
Nate miniſterio facte beate tuo.
Non temere acceſsit magno tua gratia Chriſto,
Nondum natus adhæc tanta uocatus eras.
Secula fatidici tua prædixere Prophetæ,
E quibus hæc aliquis carmina ſcripta dedit.
En ſacer ante tuos mittetur nuncius ortus,
Qui paret atq; tuas monſtret inire uias.
Ille colet deſerta, & uoce implebit eremum,
Omnis iter Domino turba parate ſuum.

Protinus alta cauas implebunt culmina ualles,
Vertice mons humili collis & omnis erit.
Recta uidebuntur quæcunq; obliqua fuerunt,
Aſpera planities, omnia mollis erunt.
Hora feret miſeris mortalibus illa ſalutem,
Nemo non iſto tempore ſaluus erit.
His tua carminibus prædicta eſt gloria, ſed te
Virtutem, teſtis maior, habere docet.
Nanq; ferunt dixiſſe tuo de nomine Chriſtum,
Maiorem naſci non potuiſſe uirum.
Non potuiſſe uirum naſci uirtute priorem,
Quem pariat ſocium fœmina paſſa marem.
Hæc tam uera meas releuant ſolatia curas,
Tædia nec feſſi corporis eſſe ſinunt.
Et mihi nunc plenæ languentia fila ſenectæ
Rumpere, natura non prohibente, libet.
Poſtquàm clara tuis meritis mihi uita peracta eſt,
Impia cur uetulam fata morentur anum?
Nunc tu, ſiue colis taciturnam ſolus eremum,
Siue tuum populi turba frequentat iter.
Illum nate roga quem tu luſtralibus undis,
Abluis & mundi crimina ferre doces.
Illum nate roga pro me, rogo, noſtra quieto
Tempora, & optato claudere fine uelit.
Sic tibi ſit uiridis quantum uolet ipſe iuuentæ,
Flos ſacer, atq; ſuum non cadat ante diem.

Sic tibi nulla parent ſæui tormenta Tyranni,
Heu quantum eſt rabidas non metuiſſe manus.
Sic, ſi forte uolet, quem tu præcedis in orbem,
Ipſum præcedas in ſua regna, Vale.

HELII EO=
BANI HESSI HEROIDVM
Epiſtolarum Liber Secundus, qui mixtas continet.

HELENA CONSTANTINO.

LIttera quæ ueram ferret tibi nate ſalutem,
Quam merito matris debuit eſſe tuæ.
Cum uideas clauſæ ſignum uenerabile chartæ,
Quid ueræ dubitas eſſe ſalutis opus?
Iſta figura fuit cœlo tibi uiſa ſereno,
Cum tua Maxenti cogeret arma furor:
In qua noſtra ſalus requieſq; & uita pependit,
Per quam mortales libera turba ſumus.
Quæ mundi precium meruit portare redempti,
Cum lux infernum ſolueret una chaos,

Arbor ab Eois longe digniſsima ſyluis,
Nobilis humanæ palma ſalutis opus.
Omnia quæ paſsis ad ſe traxiſſe lacertis
Creditur, immenſo pondere facta grauis.
Perdita Niligenæ plus quàm tria ſecula genti,
Crux opera matris reddita nate tuæ eſt.
Ponimus hoc igitur cerata in fronte ſigillum,
Quod nullum ſigno principe maius erat.
Hoc gentilicijs decuit præponere monſtris,
Vnde recens plena gloria laude uenit.
Et maius meritum potioraq; gaudia mundo,
Tempore in hoc credo non potuiſſe dari.
Maius erat certe tunc cum pateretur in illa,
Cuius crux eadem ſanguine rubra fuit.
Maius erat quando noſtræ ſub imagine carnis
Virgine factus homo eſt parturiente Deus.
Sed tamen abiecto naſci quid profuit orbi,
In cruce ſi natus non obijſſet homo?
Vita magis morti eſt, mors uita dignior illo,
Quòd Phlegethontæas proxima fregit opes.
Autor morte Dei eſt, noſtræ crux alma ſalutis,
Crux mundi precio ſanguine tincta fuit.
Illa fuit putri, dolor eſt meminiſſe, latebra
Clauſa, ſub infami quo ſtetit ante, loco.
Hic ubi ſub Cancro Solymas ſol aſpicit arces,
Vt non ex aliquo penè ſit umbra loco.

Hic locus eſt noſtra dictus Caluaria lingua,
Accola Iudæa Golgatha uoce uocat.
Hoc ſtetit illa rubens morientis ſanguine Chriſti,
Hoc etiam nobis illa reperta loco eſt.
Sed neq;, qua celebres noſtrum uirtute laborem
Gloria, nec mulier, quam ferat iſta, fuit.
Hoc fecit qui cuncta poteſt & ſolus, & idem
Qui tulit, amiſſam reddidit ille crucem:
Magna quidem feci, & longos abitura ſub annos,
Si qua breuis longum gloria nomen habet:
Compreßi hoſtiles & dux & fœmina terras,
Sumq; Paleſtina quantus in urbe timor.
Non tamen hoc auſim noſtris adſcribere factis,
Nec titulum tantæ laudis habere uelim.
Scit Deus hic animus p quẽ facit omne quod audet;
Nullus in hoc unquam pectore faſtus erat.
Ille dedit timidæ certam ſperare ſalutem,
Quamq; dedit, res eſt ipſa ſequuta fidem.
Venimus antiquam notißima tecta Siona,
Qua poſuit Lyrico de duce templa ſatus.
Non populis Regina iugum poſitura ſubactis;
Non aliqua ex tota gente tributa tuli.
Longius haud potui Romanum extendere nomen,
Cui ſol uix etiam finis uterq; fuit.
Nec ſequor aut Tomyrĩ magniſue Semiramin auſis,
Nomina nemo Helenen talia uelle putet.

Si tamen eſt illis decori laus ſanguine parta,
Inſignes titulo nos meliore ſumus.
Regna & opes iſtæ tantum terrena petebant,
Nos alio petimus regna futura loco.
Sordibus his ſequimur cœleſtia ſola relictis,
Da ueniam, timida talia mente loquor.
Illum ego nate ſequor, quem tu quoq; nuper ab iſtis
Egreſſus tenebris, faſſus es eſſe Deum.
Cuius in aduerſos hoſtes ut ſigna mouerem,
Multa tuli terris, multa pericla mari.
Nunc ego ſublimi ſolio Regina ſedebam,
Inuita quatiens ſceptra ſuperba manu.
Contulit huc aliquam Romana potentia partem,
Sub pedibus ſtabant milia multa meis.
Ad mea conuenit populus mandata uocatus,
Quando hæc ſedato pectore uerba dedi.
Dic genus Iſraël, Pharij dic ſemen Ioſeph,
Iudice cui tellus contigit iſta Deo.
Dic ubi? cur lateat? qua crux eſt perdita culpa,
Morte creatoris facta beata tui?
Hoc tibi Romano Cæſar qui præſidet orbi,
Vt facias per nos hoc iubet ipſe Deus.
Ante oculos uitamq; uides mortemq; paratam,
Elige ſiue uoles uiuere ſiue mori.
Cæſaris imperio concuſſum & nomine uulgus,
Quid faceret dubium quidue negaret erat.

Cum tan

Cum tamen ad paucos ea res deducta fuiſſet,
Vix quoq; qui uerum diceret unus erat.
Hic erat à patribus qui ſe referebat Iudas,
Doctum quo lateat crux ueneranda loco.
Sed qui nec precibus uerbisue minacibus eſſet
Ad mea ſperatam uota daturus eram.
Propoſui mortem, mortem contempſit, ab illa
Vidit adhuc clauſum carcere ſexta dies.
Septima lux aderat cum uis famis improba diræ
Iuſsit, quod ſaturo noluit ore, loqui.
Templa Palæpaphio ſtabant celeberrima ſcorto,
Vix locus in terris turpior alter erat.
Quanta Dei noſtri eſt patientia? Scilicet illa
Improba pro Chriſto ſtaret in æde Venus.
Illic ſæpe aliquis magnum ueneratus Ieſum,
Viſus Acidaliæ eſt coluiſſe faces.
Crimine de tanto dederat me uindice pœnas,
Structa deæ nobis diruta templa iacent.
Ne ſcelerata etiam referat ueſtigia, iunctis
Euerſam bobus ſulcat arator humum.
Incultæ uepres iuxta ſentesq; rigebant,
Nobilis eſt multis cædibus iſte locus.
Ecce ſed hic precibus ſuperos ubi rite uocaret,
Qui Solyma Macareus præſul in urbe fuit.
Cumq; diu ſtaret magnum ueneratus Ieſum,
Aura leuis totum eſt uiſa mouere locum.

Fodit & inuenit terra tria ſigna regeſta,
Oſtendit ueram ſcripta tabella crucem.
Præterea eſſe crucem Chriſti maiora probarunt
Signa, quibus certam quis neget eſſe fidem?
Putre ferebatur uicina ex morte cadauer,
Crux tetigit, tacto corpore uita data eſt.
Ille ſtatim ſacro petijt ſe fonte lauari,
Qui ſacra uictoris reddidit arma Dei.
Nomina Cyriaco dedimus meliora renato,
Nunc pia ſacrifici præſulis arma gerit.
Vidit & indoluit doctor uetus ille malorum,
Terribili auditus taliter ore loqui.
Quid facis heu nobis ingrate, nequiſsime Iuda,
Perfide quot mentes non ſinis eſſe meas?
At non, cuius habes ſine rebus nomina, noſter
Talis, & in nobis noluit eſſe nocens.
Arte mea mundo truncus fuit iſte ſepultus,
Quam placuit nobis perdere reddis opem.
At te digna manet pro tali pœna reatu,
Gloria conueniens non erit iſta tibi.
Ille crucem contra tollens bona uerba loquutus,
Ad Stygios hoſtem compulit ire lacus.
Gratia Chriſte tibi, nam tu de morte redemptis
Morte tua, uitæ, de cruce pandis iter.
Tu quoq; reſtituis mundo ſua regna iacenti,
Dux bonus & ſæui conteris hoſtis opes.

Gratia

Gratia nate tibi, nam tu Ioue uera relicto,
Et colis & toto pectore ſacra tuuas.
Macte noua Cæſar nos relligione beatos
Efficis, hac itur non meliore uia.
Roma diu falſos coluit Mauortia diuos,
Et nunc heu plures quos ueneretur habet.
Quod ſupereſt ueteriq; iacet caligine merſum
Vt uideat, luci reddere nate ſtude.
Vt uetus expiret tecum noua Roma reuiuat,
Quid dubitas orbem, quo cadat illa, trahi?
Cæſar ut eſt unus terræ qui præſidet uni,
Sic ſciat hæc unum Cæſaris eſſe Deum.
Fiat ut hoc Deus ecce tibi ſua ſigna remittit,
His prius infernum uicerat ille Iouem.
Nunc tu ſiue bonis pacatum legibus orbem,
Siue regis forti tempora dura manu.
De cruce fac ſola tua gloria pendeat iſta,
Chriſtiferæ cedat laurea uicta cruci.
Nec tibi turpe puta ſignis infamibus uti,
Hinc tua ſi neſcis uita ſalusq; uenit.
Crux ignominiæ quondam nota facta per illum
Qui tulit, eſt noſtræ gloria militiæ.
Ibis in aduerſos cruce munitiſsimus hoſtes,
Chriſtiferam fugiet turba prophana crucem.
Terribilem fecit qui cum pateretur in illa,
Morte ſua rerum terruit omne genus.

Hoſtibus incutiet trepidantibus illa pauorem,
Non aliquo maior miles ab enſe cadet.
Tu quoq; non Aquilis Romana notantibus arma,
Cæſaribus uictor præ tribus unus eras.
Maximianæum cruce te uiciſſe Tyrannum,
Scit Tybris ultricem ducere uiſus aquam.
Qua Licini uirtute iacent ignobilis arma?
Cætera qua finem laude Tyrannis habet?
Heu fatuæ mentes quo nomina ſola deorum,
Mentito numen crux Ioue maius erat.
Fortior & cœlo, terra crux fortior ipſa,
Et cœlum & terras qui tulit ipſa tulit.
Chriſtiferæ ſimilis qua ſit ratione puellæ,
Si dubitas iſta parte uidere potes.
Si libet eſſe puta lignum breue quale uidetur,
Non tamen eſt longum qua ratione neges:
Vertice nam cœlos, radicibus infera pulſat,
Brachia contingunt Solis utranq; domum.
Vera loquor, ſed quæ multis non uera putentur,
Vera tuum Cæſar quo uideantur erit.
Excute Romanas gentilia ſigna uolucres,
Conueniunt caſtris altera ſigna tuis.
Arbor ab Eois longe digniſſima ſyluis,
Vt creſcat cura eſt amplificanda tua.
Floreat & totum ramis uitalibus orbem
Protegat, & uentos arceat atq; niues.

Tu modo

Tu modo ſi qua uolet cedro ſuccreſcere taxus,
  Aemula quæ debes robora falce mete.
Fallor, an hæc paucis ita ſunt uentura diebus,
  O ita cum noſtro Cæſare Chriſte uelis.
Sic te nate precor per nos inuenta ſecundent
  Signa, maniplares non habitura notas.
Seruat Hebræo Romana potentia Chriſto,
  Cætera ſunt uotis inferiora meis.

PAVLA HIERONYMO.

SI pater Hebræos non eſt graue ponere uates,
  Perlege Romana pauca notata manu.
Sed quid & unde legas iamdudum Hieronyme noſti,
  Notaq; uel tacito nomine Paula fui.
Si tamen addubitas per quem tibi littera noſtra
  Reddita, quo data ſit tempore, quoue loco.
Noueris hæc priſci non uenit ab urbe Quirini,
  Vnde uetus ducunt ſtemmata noſtra genus.
Non aliqua de parte data eſt Oenotridos oræ,
  Itala iamdudum terra relicta mihi eſt.
Deniq; non de quacunq; eſt regione profecta,
  Quodquod ab Hebræa quam ſecet æquor humo.
Si quo ſcripta rogas ſit tempore, milia dic quot
  Barbara Chriſtipara diſtet ab urbe Tyrus.
Quò quia non potuit citius pedes ire miniſter,
  A calamo parui temporis egit iter.

Iam puto me ſentis ueſtra in regione morari,
Incertus quare, quo duce, quoue loco.
Accipe, ne teneam doctas ambagibus aures,
Penè etiam puduit ſcribere pauca tibi.
Per mare delatas Cyprium fœlicibus Euris,
Excepit noſtras Sidonis unda rates.
Extat adhuc Tyrio Romana in littore nauis,
Ipſa per exiguum tempus in urbe moror.
Hic ſumus, hunc nullus nos expulit error in orbem,
Cauſſa fuit noſtræ magna decensq; uiæ.
Atq; ea quæ fuerit ſi tu fortaſſe requiris,
Incipis hic certe neſcius eſſe tui.
Venimus, & patriam te propter liquimus, atq;
Quod magis eſt uiduæ pignora chara domus.
At matrem natis de quattuor una ſequuta eſt,
Euſtochium ſcriptis facta animoſa tuis.
Illa tuos ut amat fidei ſtudioſa libellos,
Sic etiam abſentis flagrat amore tui.
O quoties olim chare memor illa ſororis,
Veſtra ſuper triſti funere ſcripta legit.
Atq; ita non leuibus fœlix Bleſilla poetis,
Ore ſed æthereo prodita, uiuis, ait.
Et ſimul undantes in fletus lumina ſoluit,
Quæ mihi res lachrymas ſæpe mouere ſolet.
Atq; ita non flemus tam natam ego, nata ſororem
Quàm querimur memores per tua ſcripta tui.

Nam

Nam quem tanta nihil moueat facundia, natum
Beſſagethas inter Sauromataſq; putem.
Si tamen Odryſij traxerunt carmina uatis,
Monſtra, homines, naues, flumina, ſaxa, feras.
Flectere barbaricas mentes animoſq; feroces,
Eloquij potuit gratia uiua tui.
Teſtis habet de te non unum Roma libellum,
Quem legat & læto prædicet ore ſuum.
Ah quoties aliquem de tot legiſſe iuuabat,
Cum deſyderio mens gemit ægra tui.
Nulla quidem rerum ratio nec temporis unquam
Vnum te nobis eripuiße poteſt.
Quo minus abſentis nobiſcum dulcis imago
Sit tua, & his animis obuia ſemper eat.
Noſtra tibi deuota domus te ſemper adorat,
Acceptum referat quod tibi ſemper habet.
Sicut enim tota bene de pietate mereris,
Illuſtres titulo nos meliore facis.
Nam monumenta licet ueterum numeremus auorum,
Relliquias, faſces, arma, trophæa, duces.
Omnia gentili ſordent ſqualore, nec ullum
Elogium ueræ nobilitatis habent.
Nec tanto nobis decori fuit ille ſubacto
Qui Pœno clarum nomen ab hoſte tulit.
Gloria terrenæ parta eſt mihi laudis ab illo,
Tu facis ætherei nominis eſſe genus.

Sanguine debemus tibi Scipio magne fatemur.
Hinc ſumus ex atauis regibus alta domus.
Altera ſed noſtri pars uni debet Ieſu,
Ille ſuo quiddam corpore maius habet.
Per te nobilior quæ nunc Hieronyme facta
Corporis & uanum deſpicit alta genus.
Et merito cum ſe partem de ſemine cœli
Incluſam lutea ſentiat eſſe domo.
Sentit & ex iſto patrias aſpirat ad arces
Exilio, carnis pondere feſſa ſuæ.
Talia multa tuis quis neſcit ſcripta libellis
Penè fui tecum qualibus auſa loqui:
Omnia tu noſti, nhil eſt te doctius uno
Inter cœliuagi Solis utrunq; larem.
Sæpe quidem cum dulcis adhuc te Roma teneret,
Doctrinæ ædideras plurima ſigna tuæ.
Vt taceam quoties dederis quæ maxima, parui
Vt facias, æquum nos petiiſſe fuit.
Quàm fueris faciles præbere rogantibus aures
Quàm ſolitus nulla pectora mole premi.
Ergo ne nos tanto deuinctos munere credis,
Immemores aliqua parte fuiſſe tui?
Illa tuæ nunquàm nobis pietatis imago
Excidit, Auſonia donec in urbe ſumus.
Nulla tuos noſtro exemit de pectore uultus,
Nulla tuum noſtro nomen ab ore dies.

Aut ego ſola domo uidua tua ſcripta relegi,
Aut ciui reliquas in mea nota nurus.
Ille clauigeri ſeu ſorte ad principis ædem,
Sacrificæ Chriſto pars quota plebis eram.
Seu quæcunq; patent totam delubra per urbem,
Seu tererem lati publica ſtrata fori.
Sæpe uelut denſo ſtipantes agmine circum,
De te quærendi non habuere modum.
Eſt tamen iſta malis probitas ſuſpecta quibuſdam,
Metiri ſolitis facta aliena ſuis.
Tu parui facies animo nec habebis iniquo,
Inuidiæ uirtus optima cauſſa ſubeſt.
Si multis tua fama bonis hic pura relicta eſt,
Non mirum paucis diſplicuiſſe malis.
Quæ tibi dum refero ceu Soli lumina monſtro,
Et medium certæ lucis egere diem.
Me fuerat ſatius præſenti intendere curæ,
Et quæ me nequeant dedecuiſſe loqui.
Ergo ubi certa ſatis ſtabat ſentencia Romam
Linquere, & exilij uertere amore ſolum.
Te procul à nobis tellus longinqua tenebat,
Noſtraq; patre ſuo languit orba domus:
Venerat Antiochi præſul Paulinus ab urbe,
O celebrem quanta relligione uirum.
Et Salamineis Epiphanius alter ab oris,
Conſona qui proprijs nomina rebus habet:

Is Romæ noſtras diuerterat hoſpes in ædes,
　Iunctus amicitia proximiore mihi.
Præſule quo Cyprus Galilæo ſeruit Ieſu,
　Sordibus Idalidos libera facta Deæ.
Horum ita ſumma meum mouit facundia pectus,
　Sic memet uirtus abſtulit iſta mihi.
Vt mihi quàmprimum rebus patriaq; relictis,
　Venerit exilij commodioris amor.
Suffectura uiæ ueſtes atq; æra parabam,
　Iamq; nouus tota rumor in urbe fui.
In luctum conuerſa domus, ſic fleuit ut ipſæ
　Vicinæ cuperent me tenuiſſe nurus.
Præcipue Euſtochium pleno iam nubilis æuo,
　Talia cum lachrymis uerba loquuta mihi eſt.
O quemcunq; parens chariſſima pergis in orbem,
　Exilij comitem me decet eſſe tui.
Te ne ego abire ſinam ſolam? me ne ipſa relinquas?
　Ante meum rumpat de tribus una colum.
His mihi ſæpe genas uerbis madefecit, & ibant
　Cum lachrymis planctus illius atq; mei.
Et iam tempus erat uento dare uela uocanti,
　Vltimaq; in patria lux erat orta mihi.
Egredior comes it iam tum Rufina triluſtis,
　Euſtochiumq; ſoror Toxotiusq; puer.
Hæc mihi tunc aderant clauſi iam pignora uentris,
　Cætera non eadem ſors procul eſſe tulit.

Iamq; egreſſa meis comitata affinibus urbem,
Iam prope conſpecto littore puppis erat.
Tum uelut atra duæ ſubituræ funera natæ
Fleuerunt miſeræ fleuit & ipſe puer.
Indoluiſſe illis ſcopulos & ſaxa querelis,
Audiuiſſe etiam littora ſurda puto.
Et licet Adriaco non ſit manſuetior æſtu,
Strata malis ſolis lenior unda fuit.
Oſcula & amplexus poſtquàm data multa uiciſsim,
Omnibus & ſummo diximus ore Vale.
Grandæuo, nam forte aderat, duo pignora fratri,
Cum tota curæ iuſsimus eſſe domo.
Tum comite Euſtochio non magnã ingreſſa phaſelũ,
Quod bene ſit dixi, nauita ſolue ratem.
Dum loquor & retro fugientia littora ſpecto,
Ni fallor turbam me reuocaſſe puto.
Tam clamoſa manus uerſus mea uela tetendit,
Triſte quid incerto murmure uiſa queri.
Roma uale dixi, fidei domus inclyta ſanctæ,
Iam uerum Petro principe faſſa Deum.
Aeternum patria alta uale patrijq; nepotes,
Terrarum princeps Romula terra uale.
Nunc ego ſuprema uos littora uoce ſaluto,
In quibus eſt patriæ nobilis ora meæ.
At tu Roma precor tibi credita pignora ſerua,
Ipſa colam patriæ dulcius exilium.

Dum loquor aſpectum turresq; & terra relinquunt,
Iamq; patens oculis undiq; pontus erat.
Cætera quæ tulimus ſuperatum uata per æquor,
Ipſa tibi mecum filia teſtis erit.
Quæ nunc neſcio quid calamo quoq; ſcribit anhelo,
Dum rogo quid facias ipſa ne quæris? ait.
Gratulor, ergo tibi reddetur epiſtola duplex
Quàm bene ſic pellex filia matris erit.
Quàm bene nos magni ſaluas clementia Chriſti
Præſtitit, optato conſtituitq; ſolo.
Hic actis aliquot uentos remorante diebus,
Ad Solymas arces pergere reſtat amor.
Omniaq; humano loca ſanctificata tonanti,
Præcipue exangui preſſa ſepulchra Deo:
Caſtidis hinc etiam Sinaia templa puellæ,
Geſtaq; Moſæa ſigna uidere manu.
Inde ubi me uotis dabitur rediſſe potitam,
Et fuerit mentis plena cupido meæ.
Ad Bethleemiacos cœlo loca proxima colles,
Ibimus optato turba puſilla gradu.
Hic ubi tu ſtudijs pulchrum cœleſtibus æuum
Degis, & in terris cum ſuperis habitas.
Hic etenim certo requies mea fine futura eſt,
Nec locus in terris gratior alter erit.
Et merito, quem ſic noſtri reparator honoris,
Natali clarum fecerit eſſe ſuo.

Quæ ſic

Qua ſtetit illa frequẽs & agreſtibus horrida culmis
Quæ caſu naſcentem uidit in orbe Deum.
Huic ego nec ueteris celebrata palatia Romæ
Prætulero, aut Latio templa ſuperba Ioui.
Illa operoſa fuit naſcenti regia Chriſto,
Aula fuit tanto tam ſpecioſa duci.
Illic angelici natum cecinere choraules,
Hic infans geminum uagijt ante pecus.
Hic tria donarũnt ſapientes munera Perſæ,
Regibus aëreum pro duce ſydus erat.
Cœleſti Bethleem domus inclyta pane uocatur,
Omnis ibi ſaturo cedet ab ore fames.
O domus hoſpitium feſſæ dare dulce ſenectæ
Non eſt quæ poſſit te prior ulla mihi.
Te quoq; pertæſum falſi ludibria mundi,
Credibile eſt illic conſtituiſſe mori.
O mihi uel ſaltem placido ſic fine quietæ
Contingat paruæ condere tecta caſæ.
Pauperis ingrediar tuguri ducentia rimas
Limina, & inſanis peruia ſepta Notis.
Scilicet exiguo pudeat me uiuere in antro,
Hic ubi rara ſuum texit arundo Deum?
Quem precor hoc pudeat, cum tu quoq; tantus eodẽ
Quàmuis exiguo legeris eſſe loco.
Non tamen exiguo, nam ſi uirtutibus addas,
Hæc ſpacium cœlo mœnia maius habent.

Nam qui mole ſua captus exceſſerat omnes,
Viderunt clauſum paruula tecta Deum.
Totius hæc igitur domus eſt clariſſima mundi,
Totius hæc ſummum protulit orbis opus.
Non alibi emeritam potuiſti claudere uitam,
Nos quoq; non alibi conſenuiſſe decet.
Ipſe tuæ famulæ redeant fœliciter ora,
Longe aberit, ſi tu faueris, omne malum.
Vtq; facis Chriſto natam trade atq; parentem,
Tempore ut aſpicias lætus utramq; breui.

ANNA IOACHIMO.

ANna uiro coniux Ioachimo mitto ſalutem,
Mitto ſimul fratri ſi libet Anna ſoror.
Illud enim potui nomen meruiſſe uideri,
Non aliquo tecum pignore facta parens.
Legitimi ſolum tuleris commertia lecti,
Iam ſoror ipſa tibi, tu mihi frater eras.
Quinta ferè triuiæ coierunt cornua lunæ,
Dum queror abſentem ſola relicta uirum.
Nam quia ſis ſacris diſcedere iuſſus ab aris,
Fama eſt ignotum conſtituiſſe mori.
Ah nimium uindex accepti pœna pudoris,
Quam premis, eſt tanto culpa dolore minor.
Tu nemora & ſaltus & ſaxa horrentia luſtras,
Et reliquo fœtas cum grege paſcis oues.

Ipſa ge-

Ipſa gemens uiduo iaceo, & ſine luce cubili,
Nox tamen eſt curis non ſatis iſta meis.
An quia te arguerit ſummus de lege ſacerdos,
Abiectum tota relligione putas?
An quia deſperes ſterili de coniuge prolem,
Quod ſupereſt uita cœlibe tempus ages?
Et mihi quod multa magis eſt ratione dolendum,
Spernis in abiectam ſortè redire domum.
Spiritus ante leues precor hic exhalet in auras,
Ne cauſſam ſine te mortis abeſſe querar.
Quid mihi fœcundæ numeroſo ſemine matres?
Quid reliquæ dicent libera turba nurus?
Tota malum certe de me Galilæa loquetur,
Nec ſat erit culpæ Nazareth una meæ.
Ipſa domo uidua perturbatos hymenæos,
Ipſa feram ſterilis damna pudenda thori.
Nec mihi continua lachrymarum mole grauatæ
Fas erat in populum quolibet ire foras.
Scilicet exierim naſutæ fabula plebi;
Sæpe malis uultu ſæpe notanda manu.
Atq; aliquis miſeræ mihi dixerit impius oſor
Vir tuus, ut templis munera ponat, ubi eſt?
Heu mihi quid faciam tam grandibus anxia curis,
Vulnera erunt cordi talia uerba meo.
Tunc cupiã extremos, ſi qua eſt uia, tollar ad Indos,
Aut ubi ſtat uaſto pondere nixus Atlas.

Seu qua Lycaonian uis me iacta ĩ ad Arcton,
Qua ferus ungui pedes Sarmata paſcit equos.
Omnia dura prius quàm duri opprobria uulgi,
Mens ſibi demeriti conſcia ferre poteſt.
Quàmuis innocuum quid te meruiſſe putandum eſt?
Cauſſa nocens pœnæ uindicis ipſa fui.
Ipſa diu thalami uanos ignobilis uſus
Iamdudum culpæ ſuſpicor eſſe meæ.
Atq; ita dum uario curarum ſupprimor æſtu,
Et queror abſenti diſplicuiſſe uiro.
Spes noua de ſuperis noua conſolatio uenit,
O bona, & ex animo ſpes referenda mihi.
Eſſe quid hic reris quod iam peiora querenti,
Tam cita lætitiæ cauſſa fuiſſe queat?
Non ego te longa ſuſpenſum ambage morabor,
Si qua placent laus eſt dicere fine breui.
Pronus anhelabat ſub noctem condere Tytan,
Oceano radijs iam rutilante diem.
Triſtia difficilis fl bam diſpendia lecti,
Non tamen in uanas tota ſoluta preces.
Ecce per illunem iubar effulgere feneſtram,
Totaq; luce noua uiſa nitere domus.
Dũ ſtupeo et tremulos gelidus timor occupat artus,
Ante meos oculos palmifer ales erat.
Candida ueſtis erat tenui pellucida filo,
Fallebant oculos attamen illa meos.

Tales ſe

Tales ſæpe ferunt genios uidiſſe Deum, quas
Aetatum cuſtos littera cantat anus.
Neue putes oculos luſos ab imagine falſa,
Præbuerant certam uerba ſecuta fidem.
Quæ nunc legitimi genius ocia uana pudoris,
Summaq; pro danda numina prole moues.
Accipe ne dubites neuſis ignara futuri,
Ante Deum eſt precibus gratia parta tuis.
Vidit & ex ipſo uiſam exaudiuit olympo,
Aeterni pietas officioſa Dei.
Viſa diu ſterilem mature ingreſſa ſenectam,
Mox noua concepto pondere mater eris.
Atq; ut mirifice clauſa naſcetur ab aluo,
Sic te quam paries filia maior erit.
Nomen erit Mariæ, lucem quia gentibus edet,
Et ſacra & ex utero flamine plena Deo.
Templa colet, ſacras ſtabitq; iuuencula ad aras,
Donec eam naſci qui iubet, ipſe uolet.
Nec dubita tot te ſterilem & ſine prole diebus
Poſſe nouis fieri fœtibus Anna grauem.
Sara nouem decies ſterilis permanſit in annos,
Qua tamen Iſaac editus exit anu.
Iſraëligenis de fratribus orbus Ioſeph,
Eſt infœcunda de genitrice ſatus.
Exijt occluſa Samſon robuſtus ab aluo,
Hoc naſcente parens in Samuele fuit.

Ergo diu remorata ægri ſolatia lecti
Reddita, quo ſigno confitearis habe.
Eſt uia ſurgentem qua porta ſalutat Eoum,
Sola inter Solymis aurea nomen habet.
Illac exteris redeuntem amplexa maritum
Excipies, quo poſt tempore mater eris.
I nunc uirginei florem latura pudoris,
Et plecti ex merito teq; uirumq; puta.
Dixit, & in tenues ſecus haud euanuit auras,
Quàm cita conſumpta fulgura nube ſolent.
Ipſa ego qua potui fugientem uoce ſequebar,
Læticiam lachryma teſtificante nouam.
Quisquis es ô ſuperum comes & facunde miniſter,
Fac rata ſint per te nuncia dicta mihi.
Nunc tu ſiue pari ſolatus numine (nanq;
Credi te nobis plus meruiſſe decet)
Siue manet triſti grauidus ſub pectore mœror,
Vt tandem redeas in tua uota precor.
Ibis in amplexus pariture coniugis olim,
Gaudia quanta tibi? gaudia quanta mihi?
Iam dolor & curæ ualeant animiq; labores,
Membra uoluptificum noſtra grauabit onus.
Illa diu noſtræ requies ſperata ſenectæ,
Hoc ueniet uberior quo mage tarda uenit.
Ecce maritalis quàm plena repenſio damni,
I nunc & ſterilis tædia finge thori.

Quo rogo ſolennes pudefacto nuper ad aras,
Pulchrius amiſſus redditus eſſet honor.
Quanto igitur peius preſſa eſt tua tempore ab illo,
Tanto nunc populis gloria maior erit.
Aſpiciet noſtri quondam obtrectator honoris,
Et miſero forſan quo crucietur erit.
Aſpicient nobis qui condoluere, nec illis
Lætitiæ deerit copia grata nouæ.
Quàm cito uicinas ea fama exibit in urbes,
Quas Iudæa potens & Galilæa tenent.
Tunc ubi nec princeps uolet exprobrare Sacerdos,
Inuida nec ſacras claudere turba fores.
Dulcia inexperto ſuccreſcent pondera uentri,
Donec agat plenam Cynthia nona rotam.
Nanq; quod haud credo, niſi fallit palmifer ales,
Magna erit hæc certe filia quicquid erit.
Nam quid mirifice? quo ſemine? quoue marito?
Quid? cuius lucis gentibus ædat opus?
Quid iam plena Deo? ſacras quid ſtabit ad aras?
Donec, eam naſci qui iubet, ipſe uolet?
Hæc ſunt uirtutis certiſsima ſigna futuræ,
Quæ bonus hic uero nuncius ore docet.
Ergo nec immerito noſtri penetralia uentris,
Clauſa diu magnum parturiere decus.
Charius eſt quodcunq; bonum ſpes lõga moratur eſt,
Semper & in magnis rebus ubiq; mora eſt.

Et uelut ex facili breuis addit gratia parto,
Sic ægre quicquid uenit habere iuuat.
Hinc decuit noſtri remorari gaudia partus,
Maior ut ex tardo conſequeretur honos.
Non fuit ergo aliqua culpa hoc ueniſſe querendum,
Conſilij res hæc omnipotentis erat.
Qui cœlum terrasq́; chao produxit inerti,
Imperium cuius cuncta creata manent.
Quem noſtri prima coluere ab origine patres,
Cum puero genitor, cum genitore nepos.
Qui rubro Pharium confudit in æquore regem,
Atq; hæc Iſraël duxit in arua genus.
Illi pro tanto referamus munere grates,
Donec in hoc uiui corpore uterq; ſumus.
Vt cum fugerimus præſentis tædia uitæ,
Frigidaq́; impoſitus texerit oſſa lapis.
Spiritus æthereis non exulet actus ab oris,
Sed patrij fœlix incolat arua ſoli.

MARTHA MAXIMINO.

PErlege Magdalidos niſi ſordet ep̃la Martha,
Vix bene Iudæa facta Latina manu.
Quo magis erranti debes ignoſcere dextræ,
Hac patrias uſæ ſcripſimus ante notas.
Quæq́; Hebræa prius didicit manus ire retrorſum,
Nunc male directum Romula tentat iter.

Ergo ſua

Ergo ſua diſpar ſi ſtet ſine lege character,
Hæc ruditas ueniam quo mereatur habet.
Aſpicies aliquas etiam fortaſſe lituras,
Hoc flentes oculi ſcribere more ſolent.
Non quibus inceſti lachrymis ſolantur amores,
Non quibus abſentem deflet amica uirum.
Sed quibus ipſa ſuum crudeli in funere natum,
Fleuit in humano ſemine facta parens.
Sic ego longinquæ cultrix, nunc exul, eremi
Multa diu ſyluis & ſine teſte queror.
Hoſpitis ecce ſubit præſentia dulcis Ieſu,
Hic precor in lachrymas non ego tota fluam!
Externas abijt rediuiuus frater in oras,
Nunc populis rectam prædicat ille fidem.
Antra ſoror petijt longo deſerta receſſu,
Longius & forſan quàm decuiſſet abeſt.
Te quoq; ſæua procul nobis fortuna coegit,
Nec requiem paſſa eſt hanc ſupereſſe mihi.
Sola leuat noſtras Marcella Pediſſequa curas,
Exilij cultrix hæc quoq; fida mei.
Ipſa domo uidua, & paruo contenta ſacello,
Pauperiem leuibus præfero diuitijs.
Nam quibus in patria rebus prædiues agebam,
Gratulor hic certe quod caruiſſe licet.
Nam quibus iſta ſemel uenit ſitis æmula Chriſti,
Diuiciæ ſpinas & graue uirus habent.

Libera ab his igitur curis Lernaq; malorum,
Corpus in hoc regnum non ſimulanter ago.
Inter Arelatias & Auinia mœnia turres,
Hic ubi de Braccis Gallia nomen habet.
Venimus æquoreis hunc actæ fluctibus orbem,
Hoc tandem noſtro eſt ancora fixa loco.
Hic ego, quæ uirtus non eſt mea, nota frequentor
Adq; meos ueniunt plebs numeroſa lares.
Grata ſit ô utinam uictori ea gloria Chriſto,
Fumus adhuc animum pertinet iſte nihil.
Quod ſi forte roges unde iſta frequentia? cauſam
Nec didiciſſe tibi eſt nec mihi turpe loqui.
Non tanti Iudæa feris erat aduena Gallis,
Ingenij merces non fuit iſta mei.
Ipſe noua afflictæ fecit ſpectacula genti,
Qui uitam fratri reddidit ante meo.
Eſt locus horrenti denſiſſimus undiq; ſylua,
Rupe ſub umbroſa ſtagnat opaca palus.
Innocuas prius infecit Draco peſtifer undas,
Iamq; omnis iuxta noxius aër erat.
Lurida uicinas inuaſit peſtis in urbes,
Rura nec agricolis tuta fuere ſuis.
Strata iacent paſſim graſſante cadauera morbo,
Iratum populo dixeris eſſe Deum.
Morbida quinetiam medijs animalia ſyluis,
Cum uita catulos deſeruiſſe ferunt.

Sæpeq;

Sæpeq́; tabifico nubem cecidiſſe uolucrum,
  Et uitam cœlo non potuiſſe trahi.
Sæpe latens etiam uicini in fluminis unda,
  Dicitur incautas præcipitaſſe rates.
Interdum inſidijs nactum loca luta uiarum
  Innumeros auida corripuiſſe gula.
Cladibus his igitur triſtis uicinia, tandem
  Fiſa Deo noſtram ſollicitauit opem.
Præbuimus facilem iuſtis hortatibus aurem,
  Ad monſtrata trucis uenimus antra feræ.
Multa timens longo plebs reſtitit interuallo,
  Suſpenſa tacite mente futura manens.
Ipſa ſalutato ſtygij uictore Draconis
  Acceſsi audaci luſtra timenda pede.
Ecce ſed aſſuetis dum pectora munio ſignis,
  Monſtroſum iuxta conſpicor eſſe pecus.
Exuuias hominis lambebat & oſſa perempti,
  Sanguine adhuc calido ſparſa rubebat humus.
Dicere qua fuerit letalis beſtia forma,
  Nulla ſine ingenti lingua tremore poteſt.
Ore tenus uaſto Cadmæo immanior angue,
  Quemq́; pyra uidit uindice Lerna mori.
Qualis erat quem præcipitem de ſede Michaël
  Aetherea, Stygiæ truſit ad antra domus.
Lata ueneniſicis pandebat rictibus ora,
  Vulnificis ingens dentibus ordo fuit.

Vibrabat tardis ingentes motibus alas,
Ore uorax, mordax dentibus, ungue rapax.
Turpiter immundum cauda deſiuit in anguem,
Multiplicem fecit lubrica ſpira rotam.
Hunc tamen immanem uita ſpoliauimus hoſtem,
Hæc etiam uictor gloria Chriſte tua eſt.
Non mea Amazoniam torquebat dextra ſecurim,
Nec Lacedæmonio canduit enſe manus.
Frons mea non galeam thoracaue pectus habebat,
Arma quis in timida uirgine ſumpta probet?
Præbuit arma fides mihi præſentiſsima Chriſti,
Spes rata pro clypeo, crux mihi caſsis erat.
Mens deuota Deo ſtrictum ſeſe obtulit enſem,
In ſuperos haſtam non ſimulatus amor.
His inſtructa armis hoc agmine tuta potensq;,
Compreſsi immanem fœmina nuda feram.
Ille quidem ſolito uenienti blandior, omneis
Sæuitia poſuit iam fugiente minas.
Sicut ubi irato uulpes blandita leoni,
Impreſſo ſupplex pectore reptat humi:
Sicut & imbellis coram tondentibus agnus,
Aut canis ad poſitas officioſa dapes.
Horrida iam uinctum muliebri guttura ceſto,
Fortiter incultum traximus ante nemus.
Obruit hunc populus ſaxis confodit & haſtis,
Carmine teſtatus gaudia ſumma nouo.

Sic cecit

Sic cecidit uictore Deo ferus ille potensq́;,
Nuper Arelatij depopulator agri.
Gratia uictori mox acta eſt debita Chriſto,
Suſcipiunt ſacram milia multa fidem.
Ad noua conueniunt ſtupidæ miracula gentes,
Luſtralesq́; pia uoce precantur aquas.
Chriſmate Apoſtolico uenias precor uncte ſacerdos,
Præcipue ſacrum te decet illud opus.
Credentis populi ueteratas ablue ſordes,
Debitaq́; autori fœnora redde Deo.
Pro pietate uacent Aquitanica templa parumper,
Templa pater meritis facta beata tuis.
Frater in has merito partes quoq; Lazarus iſſet,
Sed procul hinc tellus Maßilienſis abeſt.
Illum cura tenet commiſſæ ſtrēnua plebis,
Tu magis hic certe tutus abeſſe potes.
Tuq́; prior meritis cano & reuerentior æuo,
Præcipue ſacrum te decet illud opus.
Etiam tota tuas decantat Gallia laudes,
Per te de ueteri libera penè chao.
Error adhuc paucis Dryudarum ſpirat in antris,
Cætera uirtute eſt fabula fracta tua.
Nam licet & Mariæ gens debeat illa ſorori,
Quam tibi commiſſam Lazare frater habes.
Plus tamen acceptæ per te ſtat gloria famæ,
Præcipue ſacrum te decet illud opus.

De ſeptem decies Chriſti uiuentis alumnis
  Additus es noſtræ duxq́ comesq; uiæ.
Te duce noſtra data eſt uentis ſine remige nauis,
  Te comite in portum non minus acta ſuam.
Cærula tu fortes turbantes æquora uentos
  Iußiſti celerem carpere ſæpe fugam.
Ad tua conſedit Boreas mandata niualis,
  Occuluit nigrum torua procella caput.
Tu dux tuq́; comes nobis, tu rector, & idem
  Nauita, tuq́; pater tu quoq; frater eras.
Omnia ſicut eras & adhuc ut es omnia nobis,
  Præcipue ſacrum te decet illud opus.
Me lex fœminei ſexus uetat addere cuiquam,
  Quæ niſi de ueſtra non datur unda manu.
Legitimus ſaltem ſi poßit adeſſe miniſter,
  Non aliquam legem quicquid oportet habet.
Quare age ne tardes populi te longa moratur,
  Atq; nouum ſeries diſcit auara Deum.
Officioſa quidem populo documenta miniſtro,
  Qua licet, & quantum uirgo docere poteſt.
Nec male ſic forſan Chriſti ſudamus in agro,
  O utinam pietas grata ſit iſta Deo.
Sæpius utq; meas ire eſt dignatus in ædes,
  Hoſpes dignetur pectoris eſſe mei.
Donec ab humanæ reſolutus carcere uitæ,
  Alta celer ſupra ſpiritus aſtra uolet.

Plura uetant lachrymæ per labra in uerba cadentes,
Quas amor ignauas non ſinit eſſe, Vale.

MONICA AVGVSTINO.

NEc tua Phœniſſæ portu Carthaginis extant,
Nec datur ignotum per mare uela ſequi.
Cauſa duplex animũ rapit in diuerſa dolentẽ
Non hoc debueras nate fuiſſe mihi.
Diceris Iliacam procul hinc concedere Romam,
Cultaq; Martigena Tybridis arua manu.
Ipſe cito ueheris Tyrrhena per æquora curſu,
Me tamen inuitam Punica ſeruat humus.
Nam quis amor patriæ eſt ſine te mihi nate futurus,
Maxima pars tecum ceßit in alta mei.
Quìn uellẽ tumidũ in pelagus noua uela parantem
Intempeſta maris detinuiſſet hyems.
Aut Deus immani luctantes pondere uentos
Aëris aut omnes præcipitaßet aquas.
Non tua de noſtro ſoluiſſet littore puppis,
Nec mater de te forſitan orba forem.
Non pudet ut fugeres curſus celaſſe parentem,
Qua licet inuita quolibet ire tibi.
Scilicet hoc ſeries ſtudiorum immenſa monebat,
Vos penes hoc omnes nomina tanta ſophi.
Turba pares eſtis doctorum ſemper in illo,
Virtutem uobis eſt didiciſſe ſatis.

Ipſi negligitis quod pro mercede docetis,
   Ianua nunc etiam quæſtibus illa patet.
Iſta ſed impugnent ſi quos iuuet eſſe ſeueros,
   Nos humili tantum fœmina mente ſumus.
Carmina lugentes dictent mihi mœſta Camœnæ,
   A tibi contempta digna parente cani.
Illa quidem toto reſonantia littore canto,
   Hic ubi Eliſæam uerberat æquor humum.
Audijt ex alto uicinus nauita ponto,
   Qui ſimul in portu conſtitit iſta refert.
Filius heſterna tuus iſthac luce per æquor
   Venit in Auſoniam uela daturus humum.
Obſtupuit ſubito concretus frigore ſanguis,
   Vix gelidam ancillæ ſuſtinuere duæ.
Tale quid Aureli de te reſtabat, ut eſſem
   Infœlix Pœnas inter & orba nurus?
Ante quidem ſenſi ſed non abijſſe putabam,
   Hic potior noſtri cauſſa doloris erat.
Non tua maternis amplecti membra lacertis,
   Non licuit ſumma uoce dediſſe Vale.
An fuit hoc nimium matri dare? finge fuiſſe
   Nunquid eram curſus impeditura tuos?
Ante ego ſi qua tibi forſan mandata dediſſem,
   Debueras monitis fultus abire meis.
Certe ego non illo ſaltem contempta uiderer,
   Nunc plena ex omni parte querela mea eſt.

Atq; utinam quererer tantum fugiſſe, nec ullo
Hunc præter de te mœſta dolore forem.
Non mea planxiſſem tortis præcordia palmis,
Nec, quo nunc, mordax unguis iturus erat.
Quiq; modo eſt uiuo Phœnix moriturus in igne,
Forſan in hoc animus iam Salamandra foret.
Non ego te uolui Latio prohibere petito,
Ah aliud quod te nate decebat erat.
Doctus ut es ſtudijs heu fruſtra imbute prophanis,
Et factus curis cura moleſta meis.
Aſpicis ut toto cedentibus orbe deorum
Numinibus, Chriſtum pro Ioue quiſq; colit.
Spirat adhuc aliquo uix Cerberus ore trilinguis,
Dum gemit Herculea guttura fracta manu.
Tot diuos tot monſtra Deum iam uicta uidemus,
Quis uicit? uirtus unius alta Dei.
Cur ſtatuæ, cur templa iacent? oracula ceſſant?
Facta creatori deſtituiſſe leue eſt.
Hactenus erratum eſt nec adhuc errore caremus,
Fœlix errorem qui uidet atq; cauet.
Nanq;, ſed heu ſimplex plus quàm uicioſa uetuſtas,
Tam multos fruſtra credidit eſſe Deos.
Cum ſit & illa tuum ſcriptis reprobaſſe Platona,
Cœliuaga quoties mente reliquit humum.
Quando hæc unanimes ita prædixere Sybillæ,
Et legis Hæbreis uatibus iſta cani.

Fraudibus humanas mentes cœpere periti,
Naturæ uarijs legibus ire rotam.
Quæ modo dæmonibus ſublata potentia ab illo eſt,
Qui Deus è uerbo uirgine natus homo eſt.
Qui ſimul ut terras deſcendit ab arce paterna,
Omnia ſunt profugis templa relicta dëis.
Creta Ioui, Delos Phœbo, ſua Roma Quirino,
Vulcano Lemnos, India Bache tibi.
Poſthabuit Cytharea Paphum, Samō improba Iuno,
Et quæ præterea uana referre pudet.
Arua papyriferi tetigit fœlicia Nili,
Orba figura' o numine Memphis erat.
Cætera tu noſti niſi nolis ſcire, poteſq;
Addere in hoc maius quàm mea ſcripta tibi.
Infidam modo pone fidem, ſimul omnia nobis
Reddideris quæ te poſthabuiſſe queror.
Synceram modo ſume fidem, ſopitaq; pande
Lumina, tot noctes auferet una dies.
Ad uitam de morte redi, quid uera relinquens,
Mauis heu nimium perdite falſa ſequi?
Vadis ad interitum uita reuocante, nec audis
Clamantes, quam nunc pergis, iniqua uia eſt.
Floribus illa quidem uarijs peramœna uidetur,
In quibus Alcides forte quis ire uolet.
At cito quæ ſpondent negat interiore receſſu,
Prima roſam ſpirat, ſumma mephitin olet.

Accipit

Accipit incautos ſpecie bonitatis, ut autem
Ceperit, in ſcopulos præcipitanter agit.
Quàm bene per ſcopulos & ſaxa urentia primum
Itur ad æternis cincta uireta roſis.
Arcta eſt ad ſuperos paucis uia trita, ſed ampla eſt
Quæ fert ad Stygios milia multa lacus.
Illa rudis, deſerta, arens, ſuper ardua ducit,
Hæc noua culta uirens, inferiora petit.
Quas ferus Oethalidos raptor cum uidit Ioles,
Arentem uiridi præpoſuiſſe ferunt.
Cuius ut interea hæc, ceu ſomnia uana, refutes,
Exempla è Chriſti dogmate plura feres.
Linque nefas uanamq; fidem, ſunt uana profecto
Dogmata, quæ tecum milia multa tenent.
Aeternum cognoſce Deum ſuper omnia, teq;
Perge creatori conciliare tuo.
Reijce ſordentem caſto de corpore pallam,
Spectandus niueis ueſtibus ire potes.
Talibus ætherea Chriſtus redimitus in aula,
Præcedit niueas ſignifer agnus oues.
Quòd ſi falſa uoles, ut debes uelle, negare
Signa animæ luſtrans abluat unda caput.
Et niſi me præſaga boni mens fallit, ab iſta
Perfidia toto pectore noſter eris.
Hoc tua promittunt pietas mihi mensq; fidesq;,
Præcipue ingenij diuitis altus honor.

Sæpe etiam de te mihi ſomnia longa uidentur,
Succeſſu quorum pauca carere uelim.
Nunc cruce ſignatus rubra mihi ſtare uideris,
Proq́; fide ſtultis gentibus eſſe minax.
Nunc argumentis ueteres conuellere diuos,
Nunc ſacra Chriſtum primus in æde loqui.
Ergo ego uel Chriſtô fidum te nate uidebo,
Vel requies uiuæ non erit ulla mihi.
Vtq; diu, ſuperos quo tu ſaluere precabor,
Noſter amat flecti uoce rogante Deus.
Pectora uindicibus labaſcimus anxia palmis,
Conteret arentes plurima gutta genas.
Multa dies triſtem, lætam me nulla uidebit,
Donec, ut es, miſere perditus eſſe uoles.
Liqueris erroremq́; tuum uerumq́; probaris,
Ex uetula iuuenis facta uidebor anu.
O illum ſuperiq; diem ſperataq́; fata
Ducite, ſic uobis lex bona ſemper eat.
Nunc quoq; quā ſequeris ſpacioſa per æquora Romā
Paulatim Chriſto ſubdere cella ferunt.
Hic aliquis qui te longa de nocte redemptum,
Incipiat luci reddere forſan erit.
Vel tu pſeudologis uictis noua ſigna uidebis,
Et Manij linques dogmata uana tui.
Aut rapere indoctos ſpectans ſine uindice cœlum,
Triſte feres doctos ad Phlegethonta rapi.

Quæſturam peiora ueta, morituráq; ſerua
Pectora, nec matrem deſere nate tuam.
Sic tibi ſint faciles Tyberina ad littora uenti,
Fatáq; ſuccedant ſed meliora, Vale.

ANASTASIA CHRYSOGONO.

Quam dare non potuit, cui debuit ipſa ſalutẽ,
Chryſogono infœlix optat Anaſtaſia.
Hic ubi Tyrrhenes uiridis Palmaria fluctus
Proijcit in portus Romulę Tybri tuos.
Primus ab hoc nuper qui ſoluit littore nauim,
Illi quæ legeres ſcripta ferenda dedi.
Qui nunc oppreſſa uix tutus in urbe moraris,
Exulis oblitus nunquid es an ne memor?
Nanq; nec ulla tuæ uiſa eſt mihi littera dextræ,
Poſtquàm proſcriptam tertia luna uidet.
Et mihi Cæſaribus qui lege fugantur eadem,
Dum rogo num ualeas, dicere poſſe negant.
Ergo ne es ignotus patria uir tantus in urbe?
Quis patres etiam poſſe latere putet?
Nec puto quòd lateas, niſi te quoq; publica falſo
Flebilis edicti crimine iura notent.
Non tamen hac, certum eſt, latebras ratione ſubiſti,
Contemptricem animam tu quoq; mortis habes.
Vidiſti cecidiſſe uiros pro nomine Chriſti,
Queſtus idem toties non licuiſſe tibi.

Nec dubito retineris adhuc uitalibus auris,
Non poſſet tantum fama tacere nefas.
Sed timeo ne tu quoq; forte ubicunq; locorum,
A patrijs longe finibus exul agas.
Hic timor, illa animum ſine fine moleſtia turbat,
Mole ſub hac grauius nocte dieq; premor.
Quod ſi uera animi metus arguit, heu quibus unq̃
Heu quibus inuenient te mea ſcripta locis?
Clauſa breui teneor ſpacio terræq; mariſq;,
Non mihi præſcripto ſoluere ab orbe licet.
Non eſt quo fugiam, clauſit ferus omnia Cæſar,
Imperat hic terris imperat ille mari.
Libera dimittar nec lege coercear ulla,
Iam mihi difficilis nulla futura uia eſt.
Per loca Chryſogonum quæram & ſequar oĩa, donec
Vel tecum uiuam uel ſine te moriar.
Dura nec ignitis prohibebit Solibus æſtas,
Trux licet infeſto ſæuiat ore Canis.
Non rapidus Boreas pluuiusue morabitur Auſter,
Nec niue Riphæa ſparſa tenebit hyems.
Per iuga, per ſaltus, per aquas, per iniqua uiarum,
Impedient teneros aſpera nulla pedes.
Neue quis errantem poſſit nouiſſe puellam,
Ipſa mei cultus forma uirilis erit.
More uirûm tunicaſq; feram latoſq; galeros,
Neglectam dura forfice ſecta comam.

Fœminea

Fœminei facile eſt mutare uocabula ſexus,
Sordebit totum ſyllaba fracta genus.
His ego ſi liceat pro te maiora ſubirem,
Nec meus eſt aliqua parte pudendus amor.
Ille quidem primis ubi me uinciuit ab annis,
Hunc neq; mors rapida finiet atra manu.
E manibus mihi uita tuis dulciſsima uenit,
Ante datum per te mortua lumen eram.
Chriſticola genitor gentilem ex matre creauit,
At meritum de me tu patre maius habes.
Corporis ille artus, animi tu dona dediſti,
Fecit uterq; aliquid, tu magis, ille minus.
Ipſa etiam nunc cana parens ut nomine dicta eſt,
Sic ipſo rerum pondere fauſta fuit.
Illa mihi magno præluſit ad ubera Chriſto,
Cumq; ipſo potui ſugere lacte Deum.
Illa meam ſacros linguam formauit in uſus,
Nullus in innocuo Iupiter ore fuit.
Ne tamen interea durus pater iſta notaret,
Sæpius ingenio dicitur uſa tuo.
Sacra Deis quoties ſimulata penatibus agi,
Ipſa mihi dixit ſacra fac iſta neges.
Atq; ita mentito genitor deceptus honore,
Aetati indulſit libera frena rudi.
Nubilis interea uenit ſed iniquior ætas,
Detectrix animi prima erat illa mei.

Vibrabat tardis ingentes motibus alas,
Ore uorax, mordax dentibus, ungue rapax.
Turpiter immundum cauda deſiuit in anguem,
Multiplicem fecit lubrica ſpira rotam.
Hunc tamen immanem uita ſpoliauimus hoſtem,
Hæc etiam uictor gloria Chriſte tua eſt.
Non mea Amazoniam torquebat dextra ſecurim,
Nec Lacedæmonio canduit enſe manus.
Frons mea non galeam thoracaue pectus habebat,
Arma quis in timida uirgine ſumpta probet?
Præbuit arma fides mihi præſentiſſima Chriſti,
Spes rata pro clypeo, crux mihi caſsis erat.
Mens deuota Deo ſtrictum ſeſe obtulit enſem,
In ſuperos haſtam non ſimulatus amor.
His inſtructa armis hoc agmine tuta potensq́;,
Compreſsi immanem fœmina nuda feram.
Ille quidem ſolito uenienti blandior, omneis
Sæuitia poſuit iam fugiente minas.
Sicut ubi irato uulpes blandita leoni,
Impreſſo ſupplex pectore reptat humi:
Sicut & imbellis coram tondentibus agnus,
Aut canis ad poſitas officioſa dapes.
Horrida iam uinctum muliebri guttura ceſto,
Fortiter incultum traximus ante nemus.
Obruit hunc populus ſaxis confodit & haſtis,
Carmine teſtatus gaudia ſumma nouo.

Sic cecis

Sic cecidit uictore Deo ferus ille potensq́;,
Nuper Arelatij depopulator agri.
Gratia uictori mox acta eſt debita Chriſto,
Suſcipiunt ſacram milia multa fidem.
Ad noua conueniunt ſtupidæ miracula gentes,
Luſtralesq́; pia uoce precantur aquas.
Chriſmate Apoſtolico uenias precor uncte ſacerdos,
Præcipue ſacrum te decet illud opus.
Credentis populi ueteratas ablue ſordes,
Debitaq́; autori fœnora redde Deo.
Pro pietate uacent Aquitanica templa parumper,
Templa pater meritis facta beata tuis.
Frater in has merito partes quoq; Lazarus iſſet,
Sed procul hinc tellus Maßilienſis abeſt.
Illum cura tenet commiſſæ ſtrenua plebis,
Tu magis hic certe tutus abeſſe potes.
Tuq; prior meritis cano & reuerentior æuo,
Præcipue ſacrum te decet illud opus.
Et iam tota tuas decantat Gallia laudes,
Per te de ueteri libera penè chao.
Error adhuc paucis Dryudarum ſpirat in antris,
Cætera uirtute eſt fabula fracta tua.
Nam licet & Mariæ gens debeat illa ſorori,
Quam tibi commiſſam Lazare frater habet.
Plus tamen acceptæ per te ſtat gloria famæ,
Præcipue ſacrum te decet illud opus.

De ſeptem decies Chriſti uiuentis alumnis
Additus es noſtræ duxq́; comesq; uiæ.
Te duce noſtra data eſt uentis ſine remige nauis,
Te comite in portum non minus acta ſuam.
Cærula tu fortes turbantes æquora uentos
Iuſsiſti celerem carpere ſæpe fugam.
Ad tua conſedit Boreas mandata niualis,
Occuluit nigrum torua procella caput.
Tu dux tuq́; comes nobis, tu rector, & idem
Nauita, tuq́; pater tu quoq; frater eras.
Omnia ſicut eras & adhuc ut es omnia nobis,
Præcipue ſacrum te decet illud opus.
Me lex fœminei ſexus uetat addere cuiquam,
Quæ niſi de ueſtra non datur unda manu.
Legitimus ſaltem ſi poßit adeſſe miniſter,
Non aliquam legem quicquid oportet habet.
Quare age ne tardes populi te longa moratur,
Atq; nouum ſeries diſcit auara Deum.
Officioſa quidem populo documenta miniſtro,
Qua licet, & quantum uirgo docere poteſt.
Nec male ſic forſan Chriſti ſudamus in agro,
O utinam pietas grata ſit iſta Deo.
Sæpius utq; meas ire eſt dignatus in ædes,
Hoſpes dignetur pectoris eſſe mei.
Donec ab humanæ reſolutus carcere uitæ,
Alta celer ſupra ſpiritus aſtra uolet.

Plura

Plura uetant lachrymæ per labra in uerba cadentes,
Quas amor ignauas non ſinit eſſe, Vale.

MONICA AVGVSTINO.

NEc tua Phœniſſæ portu Carthaginis extant,
Nec datur ignotum per mare uela ſequi.
Cauſa duplex animũ rapit in diuerſa dolentẽ
Non hoc debueras nate fuiſſe mihi.
Diceris Iliacam procul hinc concedere Romam,
Cultaq; Martigena Tybridis arua manu.
Ipſe cito ueheris Tyrrhena per æquora curſu,
Me tamen inuitam Punica ſeruat humus.
Nam quis amor patriæ eſt ſine te mihi nate futurus,
Maxima pars tecum ceßit in alta mei.
Quàm uellẽ tumidũ in pelagus noua uela parantem
Intempeſta maris detinuiſſet hyems.
Aut Deus immani luctantes pondere uentos
Aëris aut omnes præcipitaßet aquas.
Non tua de noſtro ſoluiſſet littore puppis,
Nec mater de te forſitan orba forem.
Non pudet ut fugeres curſus celaſſe parentem,
Qua licet inuita quolibet ire tibi.
Scilicet hoc ſeries ſtudiorum immenſa monebat,
Vos penes hoc omnes nomina tanta ſophi.
Turba pares eſtis doctorum ſemper in illo,
Virtutem uobis eſt didiciſſe ſatis.

Ipſi negligitis quod pro mercede docetis,
Ianua nunc etiam quæſtibus illa patet.
Iſta ſed impugnent ſi quos iuuet eſſe ſeueros,
Nos humili tantum fœmina mente ſumus.
Carmina lugentes dictent mihi mæſta Camœnæ,
A tibi contempta digna parente cani.
Illa quidem toto reſonantia littore canto,
Hic ubi Eliſæam uerberat æquor humum.
Audijt ex alto uicinus nauita ponto,
Qui ſimul in portu conſtitit iſta refert.
Filius heſterna tuus iſthac luce per æquor
Venit in Auſoniam uela daturus humum.
Obſtupuit ſubito concretus frigore ſanguis,
Vix gelidam ancillæ ſuſtinuere duæ:
Tale quid Aureli de te reſtabat, ut eſſem
Infœlix Pœnas inter & orba nurus?
Ante quidem ſenſi ſed non abijſſe putabam,
Hic potior noſtri cauſſa doloris erat.
Non tua maternis amplecti membra lacertis,
Non licuit ſumma uoce dediſſe Vale.
An fuit hoc nimium matri dare? finge fuiſſe
Nunquid eram curſus impeditura tuos?
Ante ego ſi qua tibi forſan mandata dediſſem,
Debueras monitis fultus abire meis.
Certe ego non illo ſaltem contempta uiderer,
Nunc plena ex omni parte querela mea eſt.

Atq; utinam quererer tantum fugiſſe, nec ullo
Hunc præter de te mœſta dolore forem.
Non mea planxiſſem tortis præcordia palmis,
Nec, quo nunc, mordax unguis iturus erat.
Quiq; modo eſt uiuo Phœnix moriturus in igne,
Forſan in hoc animus iam Salamandra foret.
Non ego te uolui Latio prohibere petito,
Ah aliud quod te nate decebat erat.
Doctus ut es ſtudijs heu fruſtra imbute prophanis,
Et factus curis cura moleſta meis.
Aſpicis ut toto cedentibus orbe deorum
Numinibus, Chriſtum pro Ioue quisq; colit.
Spirat adhuc aliquo uix Cerberus ore trilinguis,
Dum gemit Herculea guttura fracta manu.
Tot diuos tot monſtra Deum iam uicta uidemus,
Quis uicit? uirtus unius alta Dei.
Cur ſtatuæ, cur templa iacent? oracula ceſſant?
Facta creatori deſtituiſſe leue eſt.
Hactenus erratum eſt nec adhuc errore caremus,
Fœlix errorem qui uidet atq; cauet.
Nanq;, ſed heu ſimplex plus quàm uicioſa uetuſtas,
Tam multos fruſtra credidit eſſe Deos.
Cum ſit & illa tuum ſcriptis reprobaſſe Platona,
Cœliuaga quoties mente reliquit humum.
Quando hæc unanimes ita prædixere Sybillæ,
Et legis Hæbreis uatibus iſta cani.

Fraudibus humanas mentes cœpere periti,
Naturæ uarijs legibus ire rotam.
Quæ modo dæmonibus ſublata potentia ab illo eſt,
Qui Deus è uerbo uirgine natus homo eſt.
Qui ſimul ut terras deſcendit ab arce paterna,
Omnia ſunt profugis templa relicta deis.
Creta Ioui, Delos Phœbo, ſua Roma Quirino,
Vulcano Lemnos, India Bache tibi.
Poſthabuit Cytharea Paphum, Samō improba Iuno,
Et quæ præterea uana referre pudet.
Arua papyriferi tetigit fœlicia Nili,
Orba figura'o numine Memphis erat.
Cætera tu noſti niſi nolis ſcire, poteſq;
Addere in hoc maius quàm mea ſcripta tibi.
Infidam modo pone fidem, ſimul omnia nobis
Reddideris quæ te poſthabuiſſe queror.
Synceram modo ſume fidem, ſopitaq; pande
Lumina, tot noctes auferet una dies.
Ad uitam de morte redi, quid uera relinquens,
Mauis heu nimium perdite falſa ſequi?
Vadis ad interitum uita reuocante, nec audis
Clamantes, quam nunc pergis, iniqua uia eſt.
Floribus illa quidem uarijs peramœna uidetur,
In quibus Alcides forte quis ire uolet.
At cito quæ ſpondent negat interiore receſſu,
Prima roſam ſpirat, ſumma mephitin olet.

Accipit

Accipit incautos ſpecie bonitatis, ut autem
Ceperit, in ſcopulos præcipitanter agit.
Quàm bene per ſcopulos & ſaxa urentia primum
Itur ad æternis cincta uireta roſis.
Arcta eſt ad ſuperos paucis uia trita, ſed ampla eſt
Quæ fert ad Stygios milia multa lacus.
Illa rudis, deſerta, arens, ſuper ardua ducit,
Hæc noua culta uirens, inferiora petit.
Quas ferus Oethalidos raptor cum uidit Iolés,
Arentem uiridi præpoſuiſſe ferunt.
Cuius ut interea hæc, ceu ſomnia uana, refutes,
Exempla è Christi dogmate plura feres.
Linque nefas uanamq; fidem, ſunt uana profecto
Dogmata, quæ tecum milia multa tenent.
Aeternum cognoſce Deum ſuper omnia, teq;
Perge creatori conciliare tuo.
Reijce ſordentem caſto de corpore pallam,
Spectandus niueis ueſtibus ire potes.
Talibus æetherea Chriſtus redimitus in aulá,
Præcedit niueas ſignifer agnus oues.
Quòd ſi falſa uoles, ut debes uelle, negare
Signa animæ luſtrans abluat unda caput.
Et niſi me præſaga boni mens fallit, ab iſta
Perfidia toto pectore noſter eris.
Hoc tua promittunt pietas mihi mensq; fidesq;,
Præcipue ingenij diuitis alius honor.

Sæpe etiam de te mihi ſomnia longa uidentur,
Succeſſu quorum pauca carere uelim.
Nunc cruce ſignatus rubra mihi ſtare uideris,
Proq́; fide ſtultis gentibus eſſe minax.
Nunc argumentis ueteres conuellere diuos,
Nunc ſacra Chriſtum primus in æde loqui.
Ergo ego uel Chriſtò fidum te nate uidebo,
Vel requies uiuæ non erit ulla mihi.
Vtq́; diu, ſuperos quo tu ſaluere precabor,
Noſter amat flecti uoce rogante Deus.
Pectora uindicibus labaſcimus anxia palmis,
Conteret arentes plurima gutta genas.
Multa dies triſtem, lætam me nulla uidebit,
Donec, ut es, miſere perditus eſſe uoles.
Liqueris erroremq́; tuum uerumq́; probaris,
Ex uetula iuuenis facta uidebor anu.
O illum ſuperiq́; diem ſperataq́; fata
Ducite, ſic uobis lex bona ſemper eat.
Nunc quoq; quã ſequeris ſpacioſa per æquora Romã
Paulatim Chriſto ſubdere colla ferunt.
Hic aliquis qui te longa de nocte redemptum,
Incipiat luci reddere forſan erit.
Vel tu pſeudologis uictis noua ſigna uidebis,
Et Manij linques dogmata uana tui.
Aut rapere indoctos ſpectans ſine uindice cœlum,
Triſte feres doctos ad Phlegethonta rapi.

Quæſtu

Quæſturam peiora ueta, moriturâq; ſerua
Pectora, nec matrem deſere nate tuam.
Sic tibi ſint faciles Tyberina ad littora uenti,
Fatáq; ſuccedant ſed meliora, Vale.

ANASTASIA CHRYSOGONO.

Quam dare non potuit, cui debuit ipſa ſalutē,
Chryſogono infœlix optat Anaſtaſia.
Hic ubi Tyrrhenes uiridis Palmaria fluctus
Proijcit in portus Romule Tybri tuos.
Primus ab hoc nuper qui ſoluit littore nauim,
Illi quæ legeres ſcripta ferenda dedi.
Qui nunc oppreſſa uix tutus in urbe moraris,
Exulis oblitus nunquid es an ne memor?
Nanq; nec ulla tuæ uiſa eſt mihi littera dextræ,
Poſtquàm proſcriptam tertia luna uidet.
Et mihi Cæſaribus qui lege fugantur eadem,
Dum rogo num ualeas, dicere poſſe negant.
Ergo ne es ignotus patria uir tantus in urbe?
Quis patres etiam poſſe latere putet?
Nec puto quòd lateas, niſi te quoq; publica falſo
Flebilis edicti crimine iura notent.
Non tamen hac, certum eſt, latebras ratione ſubiſti,
Contemptricem animam tu quoq; mortis habes.
Vidiſti cecidiſſe uiros pro nomine Chriſti,
Queſtus idem toties non licuiſſe tibi.

Nec dubito retineris adhuc uitalibus auris,
Non poſſet tantum fama tacere nefas.
Sed timeo ne tu quoq; forte ubicunq; locorum,
A patrijs longe finibus exul agas.
Hic timor, illa animum ſine fine moleſtia turbat,
Mole ſub hac grauius nocte dieq; premor.
Quod ſi uera animi metus arguit, heu quibus unq̃
Heu quibus inuenient te mea ſcripta locis?
Clauſa breui teneor ſpacio terræq; mariſq;,
Non mihi præſcripto ſoluere ab orbe licet.
Non eſt quo fugiam, clauſit ferus omnia Cæſar,
Imperat hic terris imperat ille mari.
Libera dimittar nec lege coercear ulla,
Iam mihi difficilis nulla futura uia eſt.
Per loca Chryſogonum quæram & ſequar oia, donec
Vel tecum uiuam uel ſine te moriar.
Dura nec ignitis prohibebit Solibus æſtas,
Trux licet infeſto ſæuiat ore Canis.
Non rapidus Boreas pluuiuſue morabitur Auſter,
Nec niue Riphæa ſparſa tenebit hyems.
Per iuga per ſaltus, per aquas, per iniqua uiarum,
Impedient teneros aſpera nulla pedes.
Neue quis errantem poſſit nouiſſe puellam,
Ipſa mei cultus forma uirilis erit.
More uirûm tunicaſq; feram latoſq; galeros,
Neglectam dura forfice ſecta comam.

Fœminei facile eſt mutare uocabula ſexus,
Sordebit totum ſyllaba fracta genus.
His ego ſi liceat pro te maiora ſubirem,
Nec meus eſt aliqua parte pudendus amor.
Ille quidem primis ubi me uinciuit ab annis,
Hunc neq; mors rapida finiet atra manu.
E manibus mihi uita tuis dulciſsima uenit,
Ante datum per te mortua lumen eram.
Chriſticola genitor genitam ex matre creauit,
At meritum de me tu patre maius habes.
Corporis ille artus, animi tu dona dediſti,
Fecit uterq; aliquid, tu magis, ille minus.
Ipſa etiam nunc cana parens ut nomine dicta eſt,
Sic ipſo rerum pondere fauſta fuit.
Illa mihi magno præluſit ad ubera Chriſto,
Cumq; ipſo potui ſugere lacte Deum.
Illa meam ſacros linguam formauit in uſus,
Nullus in innocuo Iupiter ore fuit.
Ne tamen interea durus pater iſta notaret,
Sæpius ingenio dicitur uſa tuo.
Sacra Deis quoties ſimulata penatibus agi,
Ipſa mihi dixit ſacra fac iſta neges.
Atq; ita mentito genitor deceptus honore,
Aetati indulſit libera frena rudi.
Nubilis interea uenit ſed iniquior ætas,
Detectrix animi prima erat illa mei.

Cur tamen accuſem? certe non æqua fuiſſet,
Si mea Lethæis cœpta dediſſet aquis.
Sola ego de tanto latuiſſem ingloria uulgo,
Nullaq; erat meriti fama futura mei.
Nec mihi, quem colimus ſperata morte fateri,
Quodq; ſequor tantum non licuiſſet opus.
O illum mihi fata diem ſuperiq; fauete,
Eueniat capiti tanta corona meo.
Sanguine iam rubeo rorantes undiq; uenas
Iam tremulas cerno per mea membra faces.
Iam furit ambuſto flammis pyra feruida palo,
Iam feror angelicos inter & ante choros.
Viderit at de me magni Deus arbiter æui,
Intrepide pœnas quas uolet ille feram.
Ergo nec innocuos ætas mea fleuerit annos,
In lucem uultus protulit illa meos.
Venimus ad thalamum non æqua lege iugalem,
Cui data ſum falſo ſub Ioue miles erat.
Tunc Hymenæa fugax cecinit feralia bubo,
Iunctaq; cum facibus mœſta cupreſſus erat.
Non ultra ſimulare deos, non amplius ullum
Auerſa potui fingere mente Iouem.
Faſſa Deum primis coluiſſe, ut nunc quoq;, ab annis
Quæ colitis dixi, numina crimen habent.
Scilicet erranti uixiſſem nupta marito,
Quem potui rectæ commonuiſſe uiæ?

Ante ego

Ante ego Caucaſea duram ſub rupe uolucrem,
Sæpe renaſcenti paſcere corde uelim.
Ante ego quam memorãt, Cephéidos arcta cathenis
In ſcopulos nunquam diſſoluẽnda mori.
Quàm mea ſic uetito deſumere tempora lecto
Turpiter, & uani crimen habere thori.
Tum me ſi qua ſuam fecïſſent pignora matrem,
Num potui miſero perdita ferre patri?
Florida deformi fœdaſſem tempora luctu,
Veniſſetq; ſuos ante ſenecta dies.
Spiritus aut tenues meus exhalaſſet in auras,
Et potui nimio fracta dolore mori.
Sed melius noſtris conſultum eſt rebus ab illo,
Immenſum patria qui rotat arte globum.
Tuq; dator fideiq; bonæ ueræq; ſalutis,
Maius Anaſtaſia martyre nomen habes.
Nam niſi tu creſcenti igni fomenta dediſſes,
Et tibi ni uirtus noſtra agitata foret.
Forte ego quæ medios uulgaui ſigna per hoſtes,
Percita non contra Cæſaris ira foret.
Forte nec immeritas ſubiiſſem carceris umbras
Vnde data à nobis littera multa tibi eſt.
Sic tamen eſſe iuuat dulciſſima uulnera paſſam
O ſuperet grauior pœna obeunda mihi.
Omnium & excutiant generum tormenta Tyranni,
Vnius hæc noſter non facit aſſis amor.

Eſt leue pro certa mortem contemnere uita,
Vita quidem longa eſt, mors quotacunq; breuis:
Aſpice diſſectum lachrymoſo uulnere Chriſtum,
Et male pro Chriſto tantula ferre nega.
Ipſa ſecurigeros metuam tolerare maniplos,
Huic lanient ſanctam dira flagella cutem?
Iniectam collo mihi ſit graue ferre cathenam?
Immerito uinctus non ſemel ille fuit.
Impia præſentis terrebor ad ora Tyranni,
Iudicium multo triſtius ille tulit.
Ipſa comis dubitem caput exhibuiſſe trahendum,
Ornatus ſertis heu quibus ille fuit?
Ipſe Deus moriens cedro pendebat ab alta,
Hæc anima ingratum tam male corpus amet?
Ipſa ſequi dubitem caſtas animoſa ſorores.
Flamma nocens Agapen ſuſtulit & Chionem.
Tertia ſeruatur uicinæ in carcere morti,
Heu ſoror ætatis crimine uiua tuæ.
Sufficit hoc, etiam læſuros corpus in ignes,
Sunt mihi quæ stricto colla ſub enſe cadant.
Me quoq; quin miſeræ reuocatam redditis urbi
Eſt amor afflicta pro pietate mori.
Quæ mora quæ pietas te nunc Præfecte moratur
O qui dulce nihil, nomina præter, habes?
Adde meis comitem me dure ſororibus, illis
Lædere quas etiam te uoluiſſe pudet.

Fer tamen

Per tamen impuram procul hoc à corpore dextram,
Mens mea præſagit triſtia fata tibi.
Non iterum grauibus luſus cedere flagellis,
Ipſe Deus uindex Cæſare maior erit.
En tibi uirginibus uenio ſtipata ducentis,
Tu modo ut occidas ipſe redire iube.
At te, ſiue lates, ſeu uiuus in urbe moraris
Non pudeat famulæ ſcribere pauca tuæ.
Exercet ne nouas ignaua potentia leges?
Milia quot capitum peſtis acerba fugat?
Quis bonus extrema certauit athleta palæſtra?
Ah ubi cum miſera paruula matre ſoror?
An pretextato ſuboleuit nulla parenti
Gratia? quæ dederam iuſſa uir an ne facit?
Denique quæ rerum ſpecies ſit in urbe nouarum,
Quàm cuperem ſcripto certior eſſe tuo.
Quod petimus ratio non eſt tibi iuſta negandi,
Aduenit è noſtro littore nauta frequens.
Quód mea ſi ſero tibi uenit epiſtola, credes
Difficile exulibus cedere quicquid agunt.
Me ſi forte olim Deus ipſe redire iubebit,
Omnia conſilio proſequar acta tuo.
Si tamen exilium reliquos mihi finiet annos,
Oſſa precor patrios noſtra fer in cineres.

Heliſa

ELISABETHA LVDOVICO.

SI liceat, miſſam uellet perferre ſalutem
Pannonis Heßiaco nupta puella uiro.
Tyrrheno fama eſt uento tua uela morari
Heu nimium in curas uentus & unda meas.
Longa mora eſt poſtquàm Solymas petiturus abiſti,
At mihi, cum fugeres, auſus es iſta loqui:
Nona reformatum cum Cynthia clauſerit orbem
Vir tibi, ſi uiuam, redditus uxor ero.
Altera noctiuagæ coierunt cornua Phœbes,
Nec tua Tyrrheno littore puppis abit.
Illud erat potius mecum tibi tempus agendum,
Sed uetat heu ſciri multa futura Deus.
Cur tamen ut ſpretis regno patriaq; domoq;
Iuſſa paras dubio credere uela mari?
Littora nempe petens ſcopuloſa Typhoidos oræ,
Qua nigra fumantes ructuat Aetna globos.
Inde per Aegæum ſignantes Cycladas æquor
Ibis Amaræi diuia regna Syri.
Quæq; Palæſtini quondam tenuere coloni,
Arua niſi armata uix adeunda manu.
Nunc gentis populata armis & Marte prophanæ,
Hei mihi cur opibus reſtituenda tuis.
Mitteret armipotens opulentos Gallia Reges,
His potius tellus iſta tuenda fuit.

tala uenißent, patria Hungarus arma tuliſſet,
Totaq; uicino Græcia Marte potens.
Solueret Heſperijs pugnax Hiſpanus ab oris,
Noſter in hoc ducat Cæſar iturus opus.
Forte tot ac tanti terrarum culmina Reges
Auxilio poterant non eguiſſe tuo.
Miſiſſes aliquos etiam, ſocia arma tuliſſes,
Quantum erat in patria te ſeruiſſe tua.
Nunc petis æſtiuo flāmantia littora Cancro,
Lactis & ætherei nectare paſta faui.
Inclyta præcipue Iudæo mœnia ſceptro,
Sacra ubi uictoris ſunt monumenta Dei.
Relligio iſta tua eſt & opus laudabile, qualem
In ſuperos animum ſemper habere ſoles.
Quòd ſi certus amor tam certus & ardor eundi eſt,
Et nulla hunc animum res prohibere poteſt.
Non ego te patrias iubeo regnare per urbeis
Quo minus hoc ſanctum perficiatur opus:
In tua te doleo remorari damna, tuisq;
Fortiter aduerſum nauibus eſſe fretum.
Longa uia eſt, pelagiq; immenſa pericula uaſti
Multa feres terra tædia, multa mari.
Idq;, ego cum ſuprema dares mandata, querebar
Arma per & gladios iſta trophæa peti.
Arma per & gladios, utināq; hæc ſola, nec uſquam
Te ueheret medijs penſile robur aquis.

Quid fles diceb as mea dulcis Eliſabeth, ipſa
Ad mea ſemianimis nomina penè fui.
Neſcio quid metuat mea mens præſaga futuri,
O ego ſim reducis cuius euntis eram.
Oſcula & amplexus qui te decuere dediſti
In tua non uenit pectora turpis amor.
Terga meis oculis tua, qua potui uſq; ſequebar,
Quod lachryma durum præpediente fuit.
Iamq; oculis ereptus eras, ſuper æquore dixi,
Sit tibi quem ſequeris portus & aura deus.
Chriſte ſalus rerum uentos da, frange procellas,
Secura poſſit uir meus ire uia.
Obteſtata deos, ut tu Ludouice ualeres,
Deſertæ redij tecta ſub alta domus.
Quid famulæ? uir abeſt, ſolam iuuat eſſe, ſine illo,
Penè fuit uita cœlibe, dulce nihil.
Quid procerũ collecta manus? quid quicquid in aula
Spectatum tanti principis eſſe poteſt?
Ite, cruces animi uos non patientis, honores,
More pij ſolam turturis eſſe iuuat.
Donec abeſt iuuenum flos pectora caſta gerentum,
Illi clauſa mei gaudia cordis erunt.
Scilicet ipſa geram radians in ueſtibus aurum,
Loricam nudis artubus ille feret?
Aſſyrio noſter ſatietur odore capillus,
Illius atq; æſtu flagret & imbre caput.

Ipſa colar princeps tuta ſublimis in aula
Vir meus in medio gurgite ſperet opem.
Tu melius qui ſine cares, ſine origine uiuis,
Tu famulæ uotis annue Chriſte tuæ.
Quas dolor interea longus mihi creſcet in horas,
Dum uir dum coniunx, dum mihi frater abes.
Siue cibum capio, ſeu tradita pocula ſumo,
Pocula te referunt, te cibus ipſe mihi.
Cura eadem ueſper, dolor idem mane renaſcens,
Quamq; die crucias tam mihi nocte ſubis.
Somnia te referunt uarijs nocturna figuris
Et ſibi non unquam conſtat imago tui.
Pallidus interdum occurris, nunc lætior adſtas
Nunc fugis, & uerſo lumine terga refers.
Siue uident aliquæ uerum per ſomnia mentes,
Seu cadit in uanos cura diurna metus.
Præteritæ timidam faciunt ſpectacula noctes,
Irrita cum uentis auferat iſta Deus.
Hic ubi Lanus aquis claram uagus abluit urbem
Friuolaque priſci nomina Martis habet.
Monte ſub aëreo turbam ſpectare uidebar.
Nec mihi de turba cognitus ullus erat.
Et tamen intereram, ſed cum mirarer ubi eſſem
Reſpicio, mecum non erat ulla comes.
Expaui uoluiq; gradu rediiſſe citato
Ecce ſed à longe es uiſus adeſſe mihi.

Frigore conſtiterant artus, ita gaudia mentem
Suſtulerant, mecum non ſatis ipſa fui.
Dum propero ex oculis raptum ſum uiſa maritum
Quærere, rorantes ungue ſecante genas.
Huc illuc retroq; errans, & utroq; cucurri,
Sed quo te uideam non locus ullus erat.
Sic inter Danaos Aeneidos umbra Creuſa
Fertur anhelantem deſeruiſſe uirum.
Tum primum indignos cœpi laniare capillos,
Et uox cum lachrymis triſtibus ægra fuit.
Hinc mihi, neſcio quis, quid fles tua ſomnia? dixit
Eſt aliquid lachryma quòd grauiore fleas.
Plura loquuturum ſomno fugiente reliqui,
Sumq; fatigata reddita nocte mihi.
Frigidus in toto manabat corpore ſudor
Perfuſæ lachrymis immaduere genæ.
Mœſtus anhelabat ſub pectore ſpiritus ægro,
Vis animæ multum feſſa dolentis erat.
Viſa reſumebam triſti perterrita monſtro,
Sed nihil ex illis quod placuiſſet erat.
Heu cur ignotæ mihi uiſus in agmine turbæ
Effugis amplexus labilis umbra meos?
Quid non militibus comitatus ut ante miniſtris
Appares oculis mœſta figura meis?
Quid non uiſa fleam? potius ne ego uera dolebo?
O ſuperi à nobis hoc prohibete malum.

Omnia

Omnia perpetiar duce te durißima Chriſte,
Tutus ope ut poßit uir meus eſſe tua.
Incolumis patriæ redeat patriaq́; ſepultus,
Et non ignota dormiat exul humo.
Hoc te tota rogat ſolennibus Heßia uotis,
Plurimaq́; accenſas accipit ara faces.
Per tua ſancta quibus ſanaſti uulnera mundum,
Et per quam uita eſt noſtra redempta, necem.
Per ſacræ ueneranda crucis myſteria per quæ
Et requies nobis uenit & alma ſalus.
Te precor auxilium noſtro fer Chriſte marito,
Poßit ut hoc regredi quod modo cœpit iter.
At tu, cuius amor caſtus mea pectora mouit,
Vt facis, in ſuperos ſpem cape, ſaluus eris.
Barbaricas etiam fraudes uitare memento,
Neſcio quis miſeræ pendeat inde metus:
Tu quia uir princeps iſto non ſolus abibis,
Virtutis noli prodigus eſſe tuæ.
Pocula non ſumas niſi qui tibi fuderit illa,
Guſtatim uero ter prius ore bibat.
Barbara neue manus quod edas utcunq; miniſtret,
Talia ſed præſens uirus habere puta.
Lurida nobilibus miſcent aconita uenenis,
Crede merum gemma quod datur eſſe nocens.
Victor adire uoles Chriſti loca morte ſacrata,
Forſan & Orebi culmina celſa iugi.

Fida tibi comitum manus eſt & lecta iuuentus,
Eſt aliquid docta fraude quod inde petas.
Ex illis aliquem dominum lege, & eſſe ſaluta,
Teq; fer exiguæ ſortis habere locum.
Non pudeat proprijs dominum ſeruire miniſtris,
Et famulo famulas exhibuiſſe manus.
Fecit idem rerum Deus infinita poteſtas,
Immundos pueris lauerat ille pedes.
Quod Chriſtum decuit quem nõ decet? omnia uincet
Qui ſe fortunæ compoſuiſſe poteſt.
Sæpe facit tempus rationem, ſæpe locorum
Conditio, & cæcum quæ dea lumen habet.
Inuenies aliquem qui, ſi ſic fata iuberent,
Haud dubiam pro te uellet obire necem.
Veſte potes uili loca per non tuta latere,
In corpus ueniat purpura nulla tuum.
Omne quod audebis uellem prius omne timeres,
Conuenit egregia cum ratione timor.
Ipſa deum ſupplex, quamuis mora longa, precabor
Contingas fauſto regna beata pede.
Cum tamen attigeris noſtræ monumenta ſalutis,
Me rogo ne fias immemor eſſe tuam.
Coniugis ô utinam dicas miſerere relictæ,
Qui tua ſaluifico ſanguine membra rubes.
Audiat ex animo licet hic & ubiq; precantes,
Iſta ſit ad nullas ianua clauſa preces.

Par tamen

Par tamen eſt credi quia non ſit mitior ullo,
Quàm quo ſanauit uulnera noſtra, loco.
Tu quoq; non illic quicquam tibi crede negari,
Si dederis faſſo, quas decet, ore preces.
Deſertæ memor eſto domus matriſq́; meiq́;,
Quoq; ego ſum tecum pignore facta parens.
Ipſa tuis etiam releuanda eſt Heßia uotis,
Ante flagellati uulnera rubra Dei.
Per mare ſic habeant uentos tua uela ſecundos,
Dumq́; iter hinc properas, dumq́; redire uoles.
Sic Cypron atq; Rhodon Cretæaq́; littora præter,
Puppis, eò redeas, unde ſoluta tua eſt.
Hoc precor, hæc longo mihi cura eſt unica uoto,
Dij faciant pondus poßit habere, Vale.

HELII EOBANI HESSI HERO. EPIST.

Liber Tertius, qui fabuloſas continet.

CATHARINA CHRISTO.

II.

QVam legis à ſponſa tibi
Coſtide littera uenit,
Si liceat nollet mitte
re, ferre uolet.
Quisquis es ex illo pla
cuiſti tempore nobis,

Quo mihi legitime iunctus es, ipſa tibi.
Signa recognoſcis quæ preßit uincula gemmæ,
Annulus in digitis hæſerat iſte tuis.
Si qua poteſt igitur promiſſis credere amantum,
Pignore firmatam credimus eſſe fidem.
Nec puto tu uelles tua pignora falſa putari,
Sis licet, es certe doctus amare, puer.
Neſcio quæ de te quidam mihi grandia narrat,
Eſſe Deum cœli uirgine matre ſatum.
Si Deus es miſeræ quantum mihi reſtat, ut idem
Et Deus & ſponſus concilere mihi?
Vel mihi fallaces dictaſtis inania ſomni,
Vel Deus indignam Coſtida ſummus amat.
Gratulor, at quoniam non ſum de plebe lauata,
Incertam uiſis ſuſpicor eſſe fidem.
Tu mihi Chriſte, ferunt Chriſto tibi nomen Ieſu,
Præſtare antiquos diceris ante deos.
Idq; ego dum ſtudeo cognoſcere clariús, alter
Fluxit, & in curſu tertius annus erat.
Interea Coſtus genitor fatalia ſoluit
Munera, defuncto regna parente uocant.
Vrbis Alexandri ſceptrum latura reſeruor,
Infœlix aliqua prole futura parens.
Ipſa celebratas, muliebria nomina, laudes
Mallem ſeruata uirginitate ſequi.
Eſt aliquid claras Heroidas inter haberi,
Quæ potior ſtabili fama pudore uenit.

Iamq; ego ſum certe maturo nubilis æuo,
Plena quidem uitæ ſunt tria luſtra meæ.
Sollicitant regni proceres, nec me unus & alter
Turba petunt caſtis inſidioſa proci.
Et mihi dij patrij incipiunt ſordeſcere, & iſtis,
Neſcio quid nebulis mens mea maius auet.
Quid faciam? ſtat celſa altis innixa columnis
Regia ſunt regnis oppida multa meis.
Ibit in hæc cultor falſorum quiſq; deorum
Et feret è noſtro pignora chara ſinu.
Tu melius, tu nanq; potes, tibi noſtra dicata eſt
Virginitas, de te ſi modo uera fides.
Vnde ſit hæc noſtræ de te fiducia menti
Quod non ignoras, forte referre iuuat.
Hic ubi Pellæo iacet urbs fundata tyranno,
Et piger illuſtri ſtat Mareotis aqua.
Eſt uia decliui uallem complexa receſſu,
Intus eremicola ſtat caſa facta manu.
Intra tenet ſenio quidam uenerabilis albo,
Ille mihi de te ſæpe magiſter erat.
Qua ſemel, ut ſoleo cum nuper ualle ſederem,
Fons prope erat, dulcem præbuit umbra locum:
Venit & aſſedit longo uir callidus æuo,
Florales comitum turba legebat opes.
Qui ſimul ut ſedit, quid ait tua tempora perdis?
O immortali nubere digna deo.

Tam tenerum inceſta florem maculare iuuenta
Non decet, eſt alio dignus honore frui.
Ah fuge mortalis thalami commertia, Chriſtus
Quem docui, regnis plus ualet ille tuis.
Non te regna tui moueant ditiſſima Nili,
Sceptra geres alio nobiliora loco.
Vtq; facis falſosq; Ioues mutasq; columnas,
Linque Deumq; canem, linque Deumq; bouem.
Quære Deum cœli dominumq; decemplicis orbis,
Iam tibi diuorum regia tota fauet.
Eſt amor eſt, inquam, laudato nubere Chriſto,
Spes noua, mens alias neſciet iſta faces.
At tua, me miſeram, promiſſa ingentia terrent,
Heu quantum eſt ſummo poſſe placere Deo.
Me quoq; quam laudas, mater non paſſa maritum,
Forſitan indignam nolit habere nurum.
Deniq; quo ſtudio domino placuiſſe laborem?
Tam longe abſenti complacuiſſe graue eſt.
Vt placeam, quis me placito coniunget Ieſu?
Quis mihi coniugij ſponſor & obſes erit?
Vt cupiam iungi uirgo cum uirgine Chriſto,
Quis patrio tutam tollet ab orbe Deus?
Qualibus ille autem dictis incẽderit, & quot
Egerit hunc animum, dicere longa mora eſt.
Ipſa ſenem linquẽs meditabar ſola quis eſſes,
Cuius flagraret pectus amore meum.

Ignotum potui quem ſic ardenter amare,
Quo fluit hic animus ſicut ab igne chalybs.
Tam ſubito exangues populata eſt flāma medullas,
Non prius in nobis tam grauis ardor erat.
Quiſquis ô animæ lux unica & ultima noſtræ,
Ne rogo te nobis, ut uideare, nega.
Multa precaturam leuis & ſine pondere ſomnus,
Corpus in herboſa ponere iuſsit humo.
Vtq; ſopor tremulos primum deluſit ocellos,
Talia ſunt menti ſomnia uiſa meæ.
Campus erat uiridi circumſitus undiq; ſylua,
Flore renidebat multicolore ſolum.
Dulcia ſpirantes errabam ſola per herbas,
Puniceis texens paruula ſerta roſis.
Hic ego te uidi puerum cum matre puella,
Non mea ueraci ſomnia teſte carent.
Virgo erat alba comas auro rutilante coactas,
Formoſum niuea corpus amicta toga.
Virga erat in dextra, te brachia leua gerebant,
Brachia Sithonia candidiora niue.
Hic neq; Naiadum neq; rebar Hamadryadarum,
De turpi matrem quamlibet eſſe Deo.
Vidi aliquid maius ſenſiq; errore prophano,
Neſcio quem tacita mente profeſſa Deum.
Iam prope conſtiterat cum te ridente parumper,
Verba mihi mater uiſa erat iſta loqui.

Salue flore alio mecum latura coronam,
Salue iterum nato Coſtis amata meo.
Accipe ſine nouum cariturì pignus amoris,
Gemma ſub articulo luceat iſta tuo.
Dixerat è digitis aurum quod forte gerebas,
Torſiſti digitis in mea membra tuis.
Iam puero maior iam matre decentior ipſa,
Iam tua maieſtas uiſa ſtupenda fuit.
Erubui, uocem pudor abſtulit, attamen ignem
In uultu tacitum ſigna fatentis erant.
Lumina demiſi cum tu puer optime rerum,
Excipis è manibus lilia tex a meis.
Hoc mihi deuotum ſpondes Catharina pudorem,
Pignus ut ardoris ſeruet uterq; ſui.
Vix tantum, tua ſum, caſtos tibi dedimus annos,
Sim tua, uix potui dicere, ſponſa precor.
Lene uidebaris ſubridens tangere dextram,
E ſomno attactu ſum releuata tuo.
Ecce ſed in digito gemmam qui proximus imo eſt,
O non de patrio ſomnia uiſa Deo.
Serta prius collecta manu cecidiſſe putabam,
Sed recolo noſtri pignus amoris erant.
Cœleſti impoſitam dum ſummam exoſculor auro,
Et etiam lachrymis humida facta meis.
Quamq; ego te uidi ueracis imagine ſomni,
Tam præſens uigili pectora cura manet,

Læticia

Læticia expreſsit lachrymas in amore ſuetas,
Iam primum didici quid fleat omnis amans.
Ite leues aliò miſerorum crimen, amores,
Noſtra agit in fletus lumina caſtus amor.
Vix longa reuocata mora ſcrutabar ubi eſſem,
Nullus erat, comites aduoco, ſola fui.
Lumina ad aëreum releuo uigilantia ſolem,
Lumine ſol nunquàm lucidiore fuit.
Quacunq; aſpicio melior natura refulget,
Eſt aliquid uerum rebus adeſſe Deum.
Blanda ſuſurrãtes mouerunt murmura ſyluæ,
Mœſta prius uiuo germine fragrat humus.
Tam dulcis tenuem perflauit ſpiritus auram,
Qualis in æthereа dicitur eſſe domo.
Quæ prius, aſpicio uicini uiſcera fontis,
Nobile cœleſtis ducere nectar aquæ.
Argutæ uiridi uernant in fronde uolucres,
Illo maluerant poſſe manere loco.
Tota creatorem laudabat gratia cœlo:
Vrginis ad lachrymas non renuiſſe trahi.
Conſurgo comitesq; uoco clamore relictas,
Multa repercuſſum reddidit aura ſonum:
Hæc quoq; deſponſi reuocantem nomen Ieſu,
Quàm potuit reſona uoce ferebat opem.
Huc illucq; uagor per opacæ deuia uallis,
Si loca te referant proxima forte mihi:

Spes animum fruſtrata leues ubi fugit in auras,
Hei mihi quàm tardo ſydere tempus abit.
Ille tamen per quem nupſi tibi, cultor eremi,
Ille leuat ſponſæ tempora mœſta tuæ.
Ille etiam nuper dubitanti ſcribere, dixit
Scribe, feram domino carmina ſcripta tuo.
Gaudebam reperiſſe uiam qua ſcribere poſſim,
Protinus eſt manibus ſumpta tabella meis.
Et quæ nunc patria cernis confuſa papyro,
Sunt mihi furtiua carmina facta mora.
Sæpe quidem repeto noſtri loca conſcia amoris,
Mittitur ex illis littera noſtra tibi.
Aula uacat requie, dolor eſt meus iſta uidere,
Quæ patria ſiunt relligione domi.
Sumebam calamum ſcriptura quid, impia nutrix,
Quid facit hæc, facta eſt pallida, dixit, amat.
Obſtupui ſubitoq; ſtylum cum uoce repreſſi,
Ne cauſſam officij quæreret illa mei.
Mirantur famulæ ſolitos me ponere cultus,
Cur mihi nec formæ cura ſit ulla meæ.
Si qua placere uolet mundo, ſe ueſtibus ornet,
Forma creatori non placet iſta Deo.
Mens formoſa Deum cœli ſe cogit amare,
Hec manet, eſt ingens forma ſecunda malum.
Hec ut cuncta quidem tu conſpicis & tua nunquā
Maieſtas falli qualibet arte poteſt.

Heu tamen

Heu tamen errori cedunt hæc regna uetuſto,
Concidit ad falſos uictima multa Ioues.
Impius inſtaurat ueteres Maxentius aras,
Cæſar enim Nili regna Tyrannus habet.
Sacra iubet fieri, diuûm delubra frequentant,
Mactandosq; trahunt credula turba boues.
Atria mugitu reſonant, ferit æthera clamor,
Et tuba terribiles excitat unca ſonos.
Omnia feſtiuis lucent altaria flammis,
Sordidaq; effuſo ſanguine ſqualet humus.
Ipſe genu flexo ſupplex procumbit ad aras,
Hunc ſequitur quiſquis numina falſa colit.
Abnegat hoc aliquis doctus te Chriſte fateri,
Ob rectam ſæuo concidit enſe fidem.
Qualia crudelis cogat tormenta Tyrannus,
Turba docet miſeram plurima paſſa necem.
Vidimus iniectas flammis ardere puellas,
Nudaq; pinnata corpora fuſte quati.
Vidimus & ferro teretes abſcindere mammas,
Affligi uinclis carceribusq; premi.
Paſcit inhumanus noſtrum canis iſte cruorem,
Enormis ſaturum non ſinit eſſe fames.
Aſpicis hæc patiente oculo, ſed lēta malignis,
Et ſine iactura tardior ira tua eſt.
Quàm pulchrũ rex magne tuo cecidiſſe ſub hoſte ē,
Munere emi cœlum non meliore poteſt.

Iſta triumphalem pariunt certamina palmam,
Pars utinam tantæ ſim quota laudis ego.
Ire iuuat uerbisq; ferum terrere latronem,
Quid furit in plebem perfidus iſte tuam?
Ibimus, eſt animus, non me tormenta mouebunt
Dira, nec in pœnæ nomina mille cruces.
Deuenerata deos lapides Idola uocabo,
Ipſe tuæ præſens uirginis ora moue.
Argumenta, dolos, & friuola dicta reuellam,
Maior erit per me te duce recta fides.
Traxerit in pœnam, mors gloria noſtra futura eſt
Et potero forſan fortiter ulta mori.
Tunc mihi ſi dabitur pro te ſuccumbere, reſtant,
Poſt quæ coniungar tempora pauca tibi.
Tu dabis hoc aliqua requieſcere corpus in urna,
Hoc tamen in poſito marmore carmen erit.
Coſtis in hoc tumulo ſum condita, uiua tonantis
Nupta, ſed æterna uirginitate fui.
Impius immeritam Maxentius enſe peremit,
Hic cinis eſt, ſponſæ cætera ſponſus habet.

THAIS PAPHNVTIO.

QVam tibi debueram uerbis mandare ſalutem
Hanc te pollicitum ſis memor eſſe mihi.
Si qua liturarũ tamẽ huic diſpuncta uidebis,
Pars quota de lachrymis illa fuere meis.

Carcere

Carcere ſancte pater quo ſum tibi iuſſa reponi,
Sic merui, ſic ſum digna manere, premor.
Quod legis ex illo Paphnuti mittitur antro,
Deliciæ certe eſt nunc locus ille meæ.
O utinam primis mea ſic latuiſſet ab annis,
Quæ nunc eſt miſero crimine uita nocens.
Vel mihi parcarum ſubeunti iura ſororum,
Hæſiſſent primo ſtamina rupta colo.
Non ego per uetitum patratæ conſcia culpæ
Flerem, ſucceſſu poſſe carere preces.
Tanta anima infœlix peccati mole grauatur,
Vt dubitem offenſum penè rogare Deum.
Namq; quid eſſe putas Stygia ſemel obruta nocte
Lumina, nunc aliquam uelle uidere diem?
Sed tamen amiſſum per te ſperare fauorem,
Præſcriptoq; Deum carmine iuſſa rogo.
Qu d tamen indigno mihi non licet ore profari,
Vix audet nomen littera picta loqui.
Antrum eſt ut noſti fœdum ſqualore ſituq;,
Vix quota longinquæ portio lucis adit.
Difficile exortum poſſis cognoſcere Solem,
Tam capit admiſſum parua feneſtra diem.
Hac ſupplex ſeu mane rubet ſeu ueſper anhelat,
Emeditor iuſſo quas licet ore preces.
Prona caput, proſtrata genu, diſpaſſa lacertos,
Quem mihi fas non eſt ore referre precor.

Reſpice me miſeram qui me qui cuncta creaſti,
Hoc niſi non audet lingua prophana loqui.
Nec mihi tu, memini, plus hoc audere dediſti,
Nec mea ſpurcities plus meruiſſe poteſt.
Lingua Deum neſcit uicijs maculata fateri,
Sacra prophanato non decet ore loqui.
At utinam ut falſo mihi non licet ore precari,
Sic precibus faueat pectoris ipſe mei.
Quod niſi tu dederis uenerando proxime cœlo,
Neſcio an hæ poterint pondus habere preces:
Tu potes irati numen placare tonantis,
Neglectam miſeris pandere docte uiam.
Nunc mihi ſpes in te pater illa nouiſſima reſtat,
Qua ſi deſtituar uiuere crimen erit.
Non ego ſufficio pro tot deformibus actis,
Non, licet in pœnas corpora mille feram.
Adde quòd hæc minor eſt quàm me meruiſſe putarim
Iſtud adhuc pœna uindice pectus eget.
Cur ego non proiecta feris? non obruta ſaxis?
Cur non ſum turpi nuda reuincta palo?
In me definitis crudeles eſſe Tyranni?
In me tormenti deficit omne genus?
Fœlices, quibus ante diem cecidiſſe, puellæ,
Et uera licuit pro pietate mori.
Nũc ego Margaridos cuperem mihi facta, uelimq́;
Per mala Niliacæ Coſtidis eſſe comes.

Quis

Quis dabit ut ſæuo Bythinidos enſe puellæ,
Aut quali cecidit Lucia morte cadam?
Sed neq; cauſſa mihi eſt fidei ſuſcepta tuendæ,
Nec ueteres dixi crimen habere deos.
Vota Deo ſanctiq; undis luſtrata lauacri,
Heu duce ſub proprio perfida miles eram.
Et ducis alterius non ſum data ſigna ſequuta,
Et grauiter læſi ſub quibus ipſa fui.
Nunc dolor eſt hoſti tantum fauiſſe, nec illum
Cum potui, celeri deſeruiſſe fuga.
Filia lucis eram, ſed lucem ingrata reliqui,
Non intellectis merſa uoraginibus.
Atq; adeo longum per opacæ deuia noctis
Proceſſi, infernum iam prope limen eram.
Iam ſuper infauſtæ puteum tollebar Abyſſi,
Infœlix Stygio præda futura cani.
Actum erat, interij, cum tu pater optime uictam
Excipis, & pulſo fortiter hoſte leuas.
Et licet ingratum eſt ſceleris meminiſſe pudendi,
Cauſſa in eo tamen eſt cur meminiſſe uoles.
Plus ſolito uicijs uirtus collata refulget,
Sicut in obſcœno ſplendida gemma luto.
Me pudeat ſceleris, quoniā ſcelus omne pudendū eſt
At ſua uirtuti eſt gloria danda tuæ.
Tempus erat medium tenuit Sol aureus orbem,
Fecerat æquales utraq; meta uias.

Fida tibi comitum manus eſt & lecta iuuentus,
Eſt aliquid docta fraude quod inde petas.
Ex illis aliquem dominum lege, & eſſe ſaluta,
Teq; fer exiguæ ſortis habere locum.
Non pudeat proprijs dominum ſeruire miniſtris,
Et famulo famulas exhibuiſſe manus.
Fecit idem rerum Deus infinita poteſtas,
Immundos pueris lauerat ille pedes.
Quod Chriſtum decuit quem nō decet? omnia uincet
Qui ſe fortunæ compoſuiſſe poteſt.
Sæpe facit tempus rationem, ſæpe locorum
Conditio, & cæcum quæ dea lumen habet.
Inuenies aliquem qui, ſi ſic fata iuberent,
Haud dubiam pro te uellet obire necem.
Veſte potes uili loca per non tuta latere,
In corpus ueniat purpura nulla tuum.
Omne quod audebis uellem prius omne timeres,
Conuenit egregia cum ratione timor.
Ipſa deum ſupplex, quamuis mora longa, precabor
Contingas fauſto regna beata pede.
Cum tamen attigeris noſtræ monumenta ſalutis,
Me rogo ne fias immemor eſſe tuam.
Coniugis ô utinam dicas miſerere relictæ,
Qui tua ſaluifico ſanguine membra rubes.
Audiat ex animo licet hic & ubiq; precantes,
Iſta ſit ad nullas ianua clauſa preces.

Par tamen

Par tamen eſt credi quia non ſit mitior ullo,
Quàm quo ſanauit uulnera noſtra, loco.
Tu quoq; non illic quicquam tibi crede negari,
Si dederis faſſo, quas decet, ore preces.
Deſertæ memor eſto domus matriſq́; meiq́;,
Quoq; ego ſum tecum pignore facta parens.
Ipſa tuis etiam releuanda eſt Heſsia uotis,
Ante flagellati uulnera rubra Dei.
Per mare ſic habeant uentos tua uela ſecundos,
Dumq́; iter hinc properas, dumq́; redire uoles.
Sic Cypron atq; Rhodon Cretæaq́; littora præter,
Puppis, eò redeas, unde ſoluta tua eſt.
Hoc precor, hæc longo mihi cura eſt unica uoto,
Dij faciant pondus poſsit habere, Vale.

HELII EO
BANI HESSI HERO. EPIST.
Liber Tertius, qui fabuloſas continet.
CATHARINA CHRISTO.

II.

QVam legis à ſponſa tibi
Coſtide littera uenit,
Si liceat nollet mitte
re, ferre uolet.
Quisquis es ex illo pla
cuiſti tempore nobis.

Quo mihi legitime iunctus es, ipſa tibi.
Signa recognoſcis quæ preßit uincula gemmæ,
Annulus in digitis hæſerat iſte tuis.
Si qua poteſt igitur promiſſis credere amantum,
Pignore firmatam credimus eſſe fidem.
Nec puto tu uelles tua pignora falſa putari,
Sis licet, es certe doctus amare puer.
Neſcio quæ de te quidam mihi grandia narrat,
Eſſe Deum cœli uirgine matre ſatum.
Si Deus es miſeræ quantum mihi reſtat, ut idem
Et Deus & ſponſus concilitere mihi?
Vel mihi fallaces dictaſtis inania ſomni,
Vel Deus indignam Coſtida ſummus amat.
Gratulor, at quoniam non ſum de plebe lauata,
Incertam uiſis ſuſpicor eſſe fidem.
Tu mihi Chriſte, ferunt Chriſto tibi nomen Ieſu,
Præſtare antiquos diceris ante deos.
Idq; ego dum ſtudeo cognoſcere clarius, alter
Fluxit, & in curſu tertius annus erat.
Interea Coſtus genitor fatalia ſoluit
Munera, defuncto regna parente uocant.
Vrbis Alexandri ſceptrum latura reſeruor,
Infœlix aliqua prole futura parens.
Ipſa celebratas, muliebria nomina, laudes
Mallem ſeruata uirginitate ſequi.
liquid claras Heroidas inter haberi,
Quæ potior ſtabili fama pudore uenit.

Iamq; ego ſum certe maturo nubilis æuo,
  Plena quidem uitæ ſunt tria luſtra meæ.
Sollicitant regni proceres, nec me unus & alter
  Turba petunt caſtis inſidioſa proci.
Et mihi dij patrij incipiunt ſordeſcere, & iſtis,
  Neſcio quid nebulis mens mea maius auet.
Quid faciam? ſtat celſa aliis innixa columnis
  Regia ſunt regnis oppida multa meis.
Ibit in hæc cultor falſorum quiſq; deorum
  Et feret è noſtro pignora chara ſinu.
Tu melius, tu nanq; potes, tibi noſtra dicata eſt
  Virginitas, de te ſi modo uera fides.
Vnde ſit hæc noſtræ de te fiducia menti
  Quod non ignoras, forte referre iuuat.
Hic ubi Pellæo iacet urbs fundata tyranno,
  Et piger illuſtri ſtat Mareotis aqua.
Eſt uia decliui uallem complexa receſſu,
  Intus eremicola ſtat caſa facta manu.
Antra tenet ſenio quidam uenerabilis albo,
  Ille mihi de te ſæpe magiſter erat.
Qua ſemel, ut ſoleo, cum nuper ualle ſederem,
  Fons prope erat, dulcem præbuit umbra locum:
Venit & aſſedit longo uir callidus æuo,
  Florales comitum turba legebat opes.
Qui ſimul ut ſedit, quid ait? tua tempora perdis?
  O immortali nubere digna deo.

Tam tenerum inceſta florem maculare iuuenta
Non decet, eſt alio dignus honore frui.
Ah fuge mortalis thalami commertia, Chriſtus
Quem docui, regnis plus ualet ille tuis.
Non te regna tui moueant ditiſsima Nili,
Sceptra geres alio nobiliora loco.
Vtq; facis falſosq; Ioues mutasq; columnas,
Linque Deumq; canem, linque Deumq; bouem.
Quære Deum cœli dominumq; decemplicis orbis,
Iam tibi diuorum regia tota fauet.
Eſt amor eſt, inquam, laudato nubere Chriſto,
Spes noua, mens alias neſciet iſta faces.
At tua, me miſeram, promiſſa ingentia terrent,
Heu quantum eſt ſummo poſſe placere Deo.
Me quoq; quam laudas, mater non paſſa maritum,
Forſitan indignam nolit habere nurum.
Deniq; quo ſtudio domino placuiſſe laborem?
Tam longe abſenti complacuiſſe graue eſt.
Vt placeam, quis me placito coniunget Ieſu?
Quis mihi coniugij ſponſor & obſes erit?
Vt cupiam iungi uirgo cum uirgine Chriſto,
Quis patrio tutam tollet ab orbe Deus?
Qualibus ille autem dictis incẽderit, & quot
Egerit hunc animum, dicere longa mora eſt.
Ipſa ſenem linquẽs meditabar ſola quis eſſes,
Cuius flagraret pectus amore meum.

Ignotus

Ignotum potui quem ſic ardenter amare,
Quo fluit hic animus ſicut ab igne chalybs.
Tam ſubito exangues populata eſt flāma medullas,
Non prius in nobis tam grauis ardor erat.
Quiſquis ô animæ lux unica & ultima noſtræ,
Ne rogo te nobis, ut uideare, nega.
Multa precaturam leuis & ſine pondere ſomnus,
Corpus in herboſa ponere iuſsit humo.
Vtq; ſopor tremulos primum deluſit ocellos,
Talia ſunt menti ſomnia uiſa meæ.
Campus erat uiridi circumſitus undiq; ſylua,
Flore renidebat multicolore ſolum.
Dulcia ſpirantes errabam ſola per herbas,
Puniceis texens paruula ſerta roſis.
Hic ego te uidi puerum cum matre puella,
Non mea ueraci ſomnia teſte carent.
Virgo erat alba comas auro rutilante coactas,
Formoſum niuea corpus amicta toga.
Virga erat in dextra, te brachia leua gerebant,
Brachia Sithonia candidiora niue.
Hic neq; Naiadum neq; rebar Hamadryadarum,
De turpi matrem quamlibet eſſe Deo.
Vidi aliquid maius ſenſiq; errore prophano,
Neſcio quem tacita mente profeſſa Deum.
Iam prope conſtiterat cum te ridente parumper,
Verba mihi mater uiſa erat iſta loqui.

Salue flore alio mecum latura coronam,
Salue iterum nato Coſtis amata meo.
Accipe fini nouum carituri pignus amoris,
Gemma ſub articulo luceat iſta tuo.
Dixerat è digitis aurum quod forte gerebas,
Torſiſti digitis in mea membra tuis.
Iam puero maior iam matre decentior ipſa,
Iam tua maieſtas uiſa ſtupenda fuit.
Erubui, uocem pudor abſtulit, attamen ignem
In uultu tacitum ſigna fatentis erant.
Lumina demiſi cum tu puer optime rerum,
Excipis è manibus lilia tex a meis.
Hoc mihi deuotum ſpondes Catharina pudorem,
Pignus ut ardoris ſeruet uterq; ſui.
Vix tantum, tua ſum, caſtos tibi dedimus annos,
Sim tua, uix potui dicere, ſponſa precor.
Lene uidebaris ſubridens tangere dextram,
E ſomno attactu ſum releuata tuo.
Ecce ſed in digito gemmam qui proximus imo eſt,
O non de patrio ſomnia uiſa Deo.
Serta prius collecta manu cecidiſſe putabam,
Sed recolo noſtri pignus amoris erant.
Cœleſti impoſitam dum ſummam exoſculor auro,
Et etiam lachrymis humida facta meis.
Quamq; ego te uidi ueracis imagine ſomni,
Tam præſens uigili pectora cura manes,

Lœticiæ

Lætitia expreſſit lachrymas in amore ſuetas,
Iam primum didici quid fleat omnis amans.
Ite leues aliò miſerorum crimen, amores,
Noſtra agit in fletus lumina caſtus amor.
Vix longa reuocata mora ſcrutabar ubi eſſem,
Nullus erat, comites aduoco, ſola fui.
Lumina ad aëreum releuo uigilantia ſolem,
Lumine ſol nunquàm lucidiore fuit.
Quacunq; aſpicio melior natura refulget,
Eſt aliquid uerum rebus adeſſe Deum.
Blanda ſuſurrantes mouerunt murmura ſyluæ,
Mœſtà prius uiuo germine fragrat humus.
Tam dulcis tenuem per flauit ſpiritus auram,
Qualis in ætherea dicitur eſſe domo.
Quæ prius, aſpicio uicini uiſcera fontis,
Nobile cœleſtis ducere nectar aquæ.
Argutæ uiridi uernant in fronde uolucres,
Illo malueram poſſe manere loco.
Tota creatorem laudabat gratia cœlo:
Virginis ad lachrymas non renuiſſe trahi.
Conſurgo comitesq; uoco clamore relictas,
Multa repercuſſum reddidit aura ſonum:
Hæc quoq; deſponſi reuocantem nomen Ieſu,
Quàm potuit reſona uoce ferebat opem.
Huc illucq; uagor per opacæ deuia uallis,
Si loca te referant proxima forte mihi:

Spes animum fruſtrata leues ubi fugit in auras,
Hei mihi quàm tardo ſydere tempus abit.
Ille tamen per quem nupſi tibi, cultor eremi,
Ille leuat ſponſæ tempora mœſta tuæ.
Ille etiam nuper dubitanti ſcribere, dixit
Scribe, feram domino carmina ſcripta tuo.
Gaudebam reperiſſe uiam qua ſcribere poſſem,
Protinus eſt manibus ſumpta tabella meis.
Et quæ nunc patria cernis confuſa papyro,
Sunt mihi furtiua carmina facta mora.
Sæpe quidem repeto noſtri loca conſcia amoris,
Mittitur ex illis littera noſtra tibi.
Aula uacat requie, dolor eſt meus iſta uidere,
Quæ patria fiunt relligione domi.
Sumebam calamum ſcriptura quid, impia nutrix,
Quid facit hæc, facta eſt pallida, dixit, amat.
Obſtupui ſubitoq; ſtylum cum uoce repreſſi,
Ne cauſſam officij quæreret illa mei.
Mirantur famulæ ſolitos me ponere cultus,
Cur mihi nec formæ cura ſit ulla meæ.
Si qua placere uolet mundo, ſe ueſtibus ornet,
Forma creatori non placet iſta Deo.
Mens formoſa Deum cœli ſe cogit amare,
Hec manet, eſt ingens forma ſecunda malum.
Hec ut cuncta quidem tu conſpicis & tua nunquã
Maieſtas falli qualibet arte poteſt.

Heu tamen errori cedunt hæc regna uetuſto.
Concidit ad falſos uictima multa Ioues.
Impius inſtaurat ueteres Maxentius aras,
Cæſar enim Nili regna Tiſrannus habet.
Sacra iubet fieri, diuûm delubra frequentant,
Mactandosq́; trahunt credula turba boues.
Atria mugitu reſonant, ferit æthera clamor,
Et tuba terribiles excitat unca ſonos.
Omnia feſtiuis lucent altaria flammis,
Sordidaq́; effuſo ſanguine ſqualet humus.
Ipſe genu flexo ſupplex procumbit ad aras,
Hunc ſequitur quiſquis numina falſa colit.
Abnegat hoc aliquis doctus te Chriſte fateri,
Obrectam ſæuo concidit enſe fidem.
Qualia crudelis cogat tormenta Tyrannus,
Turba docet miſeram plurima paſſa necem.
Vidimus iniectas flammis ardere puellas,
Nudaq́; pinnata corpora fuſte quati.
Vidimus & ferro teretes abſcindere mammas,
Affligi uinclis carceribusq́; premi.
Paſcit inhumanus noſtrum canis iſte cruorem,
Enormis ſaturum non ſinit eſſe fames.
Aſpicis hæc patiente oculo, ſed lēta malignis,
Et ſine iactura tardior ira tua eſt.
Quàm pulchrū rex magne tuo cecidiſſe ſub hoſte ē,
Munere emi cœlum non meliore poteſt.

Frigore conſtiterant artus, ita gaudia mentem
Suſtulerant, mecum non ſatis ipſa fui.
Dum propero ex oculis raptum ſum uiſa maritum
Quærere, rorantes ungue ſecante genas.
Huc illuc retroq; errans, & utroq; cucurri,
Sed quo te uideam non locus ullus erat.
Sic inter Danaos Aeneidos umbra Creuſæ
Fertur anhelantem deſeruiſſe uirum.
Tum primum indignos cœpi laniare capillos,
Et uox cum lachrymis triſtibus ægra fuit.
Hinc mihi, neſcio quis, quid fles tua ſomnia? dixit
Eſt aliquid lachryma quòd grauiore fleas.
Plura loquuturum ſomno fugiente reliqui,
Sumq; fatigata reddita nocte mihi.
Frigidus in toto manabat corpore ſudor
Perfuſæ lachrymis immaduere genæ.
Mœſtus anhelabat ſub pectore ſpiritus ægro,
Vis animæ multum feſſa dolentis erat.
Viſa reſumebam triſti perterrita monſtro,
Sed nihil ex illis quod placuiſſet erat.
Heu cur ignotæ mihi uiſus in agmine turbæ
Effugis amplexus labilis umbra meos?
Quid non militibus comitatus ut ante miniſtris
Appares oculis mœſta figura meis?
Quid non uiſa fleam? potius ne ego uera dolebo?
O ſuperi à nobis hoc prohibete malum.

Omnia perpetiar duce te duriſsima Chriſte,
Tutus ope ut poſsit uir meus eſſe tua.
Incolumis patriæ redeat patriaq́; ſepultus,
Et non ignota dormiat exul humo.
Hoc te tota rogat ſolennibus Heßia uotis,
Plurimaq́; accenſas accipit ara faces.
Per tua ſancta quibus ſanaſti uulnera mundum,
Et per quam uita eſt noſtra redempta, necem.
Per ſacræ ueneranda crucis myſteria, per quæ
Et requies nobis uenit & alma ſalus.
Te precor auxilium noſtro fer Chriſte marito,
Poßit ut hoc regredi quod modo cœpit iter.
At tu, cuius amor caſtus mea pectora mouit,
Vt facis, in ſuperos ſpem cape, ſaluus eris.
Barbaricas etiam fraudes uitare memento,
Neſcio quis miſeræ pendeat inde metus:
Tu quia uir princeps iſto non ſolus abibis,
Virtutis noli prodigus eſſe tuæ.
Pocula non ſumas niſi qui tibi fuderit illa,
Guſtatim uero ter prius ore bibat.
Barbara neue manus quod edas utcunq́; miniſtret,
Talia ſed præſens uirus habere puta.
Lurida nobilibus miſcent aconita uenenis,
Crede merum gemma quod datur eſſe nocens.
Victor adire uoles Chriſti loca morte ſacrata,
Forſan & Orebi culmina celſa iugi.

Vida tibi comitum manus eſt & lecta iuuentus,
Eſt aliquid docta fraude quod inde petas.
Ex illis aliquem dominum lege, & eſſe ſaluta,
Teq́; fer exiguæ ſortis habere locum.
Non pudeat proprijs dominum ſeruire miniſtris,
Et famulo famulas exhibuiſſe manus.
Fecit idem rerum Deus infinita poteſtas,
Immundos pueris lauerat ille pedes.
Quod Chriſtum decuit quem nō decet? omnia uincet
Qui ſe fortunæ compoſuiſſe poteſt.
Sæpe facit tempus rationem, ſæpe locorum
Conditio, & cæcum quæ dea lumen habet.
Inuenies aliquem qui, ſi ſic fata iuberent,
Haud dubiam pro te uellet obire necem.
Veſte potes uili loca per non tuta latere,
In corpus ueniat purpura nulla tuum.
Omne quod audebis uellem prius omne timeres,
Conuenit egregia cum ratione timor.
Ipſa deum ſupplex, quamuis mora longa, precabor
Contingas fauſto regna beata pede.
Cum tamen attigeris noſtræ monumenta ſalutis,
Me rogo ne fias immemor eſſe tuam.
Coniugis ô utinam dicas miſerere relictæ,
Qui tua ſaluifico ſanguine membra rubes.
Audiat ex animo licet hic & ubiq; precantes,
Iſta ſit ad nullas ianua clauſa preces.

Par tamen

Par tamen eſt credi quia non ſit mitior ullo,
Quàm quo ſanauit uulnera noſtra, loco.
Tu quoq; non illic quicquam tibi crede negari,
Si dederis faſſo, quas decet, ore preces.
Deſertæ memor eſto domus matrisq; meiq;,
Quoq; ego ſum tecum pignore facta parens.
Ipſa tuis etiam releuanda eſt Heßia uotis,
Ante flagellati uulnera rubra Dei.
Per mare ſic habeant uentos tua uela ſecundos,
Dumq; iter hinc properas, dumq; redire uoles.
Sic Cypron atq; Rhodon Cretæaq; littora præter,
Puppis, eò redeas, unde ſoluta tua eſt.
Hoc precor, hæc longo mihi cura eſt unica uoto,
Dij faciant pondus poßit habere, Vale.

HELII EO

BANI HESSI HERO. EPIST.

Liber Tertius, qui fabuloſas continet.

CATHARINA CHRISTO.

QVam legis à ſponſa tibi
Coſtide littera uenit,
Si liceat nollet mitte-
re, ferre uolet.
Quisquis es ex illo pla-
cuiſti tempore nobis.

Quo mihi legitime iunctus es, ipſa tibi.
Signa recognoſcis quæ preßit uincula gemmæ,
Annulus in digitis hæſerat iſte tuis.
Si qua poteſt igitur premiſſis credere amantum,
Pignore firmatam credimus eſſe fidem.
Nec puto tu uelles tua pignera falſa putari,
Sis licet, es certe doctus amare puer.
Neſcio quæ de te quidam mihi grandia narrat,
Eſſe Deum cœli uirgine matre ſatum.
Si Deus es miſeræ quantum mihi reſtat, ut idem
Et Deus & ſponſus concilijere mihi?
Vel mihi fallaces dictaſtis inania ſomni,
Vel Deus indignam Coſtida ſummus amat.
Gratulor, at quoniam non ſum de plebe lauata,
Incertam uiſis ſuſpicor eſſe fidem.
Tu mihi Chriſte, ferunt Chriſto tibi nomen Ieſu,
Præſtare antiquos diceris ante deos.
Idq; ego dum ſtudeo cognoſcere clarius, alter
Fluxit, & in curſu tertius annus erat.
Interea Coſtus genitor fatalia ſoluit
Munera, defuncto regna parente uocant.
Vrbis Alexandri ſceptrum latura reſeruor,
Infœlix aliqua prole futura parens.
Ipſa celebratas, muliebria nomina, laudes
Mallem ſeruata uirginitate ſequi.
Eſt aliquid claras Heroidas inter haberi,
Quæ potior ſtabili fama pudore uenit.

Nanq; ego ſum certe maturo nubilis æuo,
Plena quidem uitæ ſunt tria luſtra meæ.
Sollicitant regni proceres, nec me unus & alter
Turba petunt caſtis inſidioſa proci.
Et mihi dij patrij incipiunt ſordeſcere, & iſtis,
Neſcio quid nebulis mens mea maius auet.
Quid faciam? ſtat celſa altis innixa columnis
Regia ſunt regnis oppida multa meis.
Ibit in hæc cultor falſorum quiſq; deorum
Et feret è noſtro pignora chara ſinu.
Tu melius, tu nanq; potes, tibi noſtra dicata eſt
Virginitas, de te ſi modo uera fides.
Vnde ſit hæc noſtræ de te fiducia menti
Quod non ignoras, forte referre iuuat.
Hic ubi Pellæo iacet urbs fundata tyranno,
Et piger illuſtri ſtat Mareotis aqua.
Eſt uia decliui uallem complexa receſſu,
Intus eremicola ſtat caſa facta manu.
Antra tenet ſenio quidam uenerabilis albo,
Ille mihi de te ſæpe magiſter erat.
Qua ſemel, ut ſoleo, cum nuper ualle ſederem,
Fons prope erat, dulcem præbuit umbra locum.
Venit & aſſedit longo uir callidus æuo,
Florales comitum turba legebat opes.
Qui ſimul ut ſedit, quid ait tua tempora perdis?
O immortali nubere digna deo.

Tam tenerum inceſta florem maculare iuuenta
Non decet, eſt alio dignus honore frui.
Ah fuge mortalis thalami commertia, Chriſtus
Quem docui, regnis plus ualet ille tuis.
Non te regna tui moueant ditiſſima Nili,
Sceptra geres alio nobiliora loco.
Vâq; facis falſosq; Ioues mutasq; columnas,
Linque Deumq; canem, linque Deumq; bouem.
Quære Deum cœli dominumq; decemplicis orbis,
Iam tibi diuorum regia tota fauet.
Eſt amor eſt, inquam, laudato nubere Chriſto,
Spes noua, mens alias neſciet iſta faces.
At tua, me miſeram, promiſſa ingentia terrent,
Heu quantum eſt ſummo poſſe placere Deo.
Me quoq; quam laudas, mater non paſſa maritum,
Forſitan indignam nolit habere nurum.
Deniq; quo ſtudio domino placuiſſe laborem?
Tam longe abſenti complacuiſſe graue eſt.
Vt placeam, quis me placito coniunget Ieſu?
Quis mihi coniugij ſponſor & obſes erit?
Vt cupiam iungi uirgo cum uirgine Chriſto,
Quis patrio tutam tollet ab orbe Deus?
Qualibus ille autem dictis incēderit, & quot
Egerit hunc animum, dicere longa mora eſt.
Ipſa ſenem linquēs meditabar ſola quis eſſes,
Cuius flagraret pectus amore meum.

Ignotum potui quem ſic ardenter amare,
Quo fluit hic animus ſicut ab igne chalybs.
Tam ſubito exangues populata eſt flāma medullas,
Non prius in nobis tam grauis ardor erat.
Quiſquis ô animæ lux unica & ultima noſtræ,
Ne rogo te nobis, ut uideare, nega.
Multa precaturam leuis & ſine pondere ſomnus,
Corpus in herboſa ponere iuſſit humo.
Vtq; ſopor tremulos primum deluſit ocellos,
Talia ſunt menti ſomnia uiſa meæ.
Campus erat uiridi circumſitus undiq; ſylua,
Flore renidebat multicolore ſolum.
Dulcia ſpirantes errabam ſola per herbas,
Puniceis texens paruula ſerta roſis.
Hic ego te uidi puerum cum matre puella,
Non mea uera ci ſomnia teſte carent.
Virgo erat alba comas auro rutilante coactas,
Formoſum niuea corpus amicta toga.
Virga erat in dextra, te brachia leua gerebant,
Brachia Sithonia candidiora niue.
Hic neq; Naiadum neq; rebar Hamadryadarum,
De turpi matrem quamlibet eſſe Deo.
Vidi aliquid maius ſenſiq; errore prophano,
Neſcio quem tacita mente profeſſa Deum.
Iam prope conſtiterat cum te ridente parumper,
Verba mihi mater uiſa erat iſta loqui.

Salue flore alio mecum latura coronam,
Salue iterum nato Coſtis amata meo.
Accipe fine nouum cariturі pignus amoris,
Gemma ſub articulo luceat iſta tuo.
Dixerat è digitis aurum quod forte gerebas,
Torſiſti digitis in mea membra tuis.
Iam puero maior iam matre decentior ipſa,
Iam tua maieſtas uiſa ſtupenda fuit.
Erubui, uocem pudor abſtulit, attamen ignem
In uultu tacitum ſigna fatentis erant.
Lumina demiſi cum tu puer optime rerum,
Excipis è manibus lilia tex a meis.
Hoc mihi deuotum ſpondes Catharina pudorem,
Pignus ut ardoris ſeruet uterq; ſui.
Vix tantum, tua ſum, caſtos tibi dedimus annos,
Sim tua, uix potui dicere, ſponſa precor.
Lene uidebaris ſubridens tangere dextram,
E ſomno attactu ſum releuata tuo.
Ecce ſed in digito gemmam qui proximus imo eſt,
O non de patrio ſomnia uiſa Deo.
Serta prius collecta manu cecidiſſe putabam,
Sed recolo noſtri pignus amoris erant.
Cœleſti impoſitam dum ſummam exoſculor auro,
Et etiam lachrymis humida facta meis.
Quamq; ego te uidi ueracis imagine ſomni,
Tam præſens uigili pectora cura manes,

Leticiæ

Leticia expreſſit lachrymas in amore ſuetas,
Iam primum didici quid fleat omnis amans.
Ite leues aliò miſerorum crimen, amores,
Noſtra agit in fletus lumina caſtus amor:
Vix longa reuocata mora ſcrutabar ubi eſſem,
Nullus erat, comites aduoco, ſola fui.
Lumina ad aëreum releuo uigilantia ſolem,
Lumine ſol nunquàm lucidiore fuit.
Quacunq; aſpicio melior natura refulget,
Eſt aliquid uerum rebus adeſſe Deum:
Blanda ſuſurrãtes mouerunt murmura ſyluæ,
Mœſtà prius uiuo germine fragrat humus.
Tam dulcis tenuem perflauit ſpiritus auram,
Qualis in æthereа dicitur eſſe domo.
Quæ prius, aſpicio uicini uiſcera fontis,
Nobile cœleſtis ducere nectar aquæ.
Argutæ uiridi uernant in fronde uolucres,
Illo malueram poſſe manere loco.
Tota creatorem laudabat gratia cœlo:
Vrginis ad lachrymas non renuiſſe trahi.
Conſurgo comitesq; uoco clamore relictas,
Multa repercuſſum reddidit aura ſonum:
Hæc quoq; deſponſi reuocantem nomen Ieſu,
Quàm potuit reſona uoce ferebat opem.
Huc illucq; uagor per opacæ deuia uallis,
Si loca te referant proxima forte mihi:

Spes animum fruſtrata leues ubi fugit in auras,
Hei mihi quàm tardo ſydere tempus abit.
Ille tamen per quem nupſi tibi, cultor eremi,
Ille leuat ſponſæ tempora mœſta tuæ.
Ille etiam nuper dubitanti ſcribere, dixit
Scribe, feram domino carmina ſcripta tuo.
Gaudebam reperiſſe uiam qua ſcribere poſſem,
Protinus eſt manibus ſumpta tabella meis.
Et quæ nunc patria cernis confuſa papyro,
Sunt mihi furtiua carmina facta mora.
Sæpe quidem repeto noſtri loca conſcia amoris,
Mittitur ex illis littera noſtra tibi.
Aula uacat requie, dolor eſt meus iſta uidere,
Quæ patria fiunt relligione domi.
Sumebam calamum ſcriptura quid, impia nutrix,
Quid facit hæc, facta eſt pallida, dixit, amat.
Obſtupui ſubitoq; ſtylum cum uoce repreſſi,
Ne cauſſam officij quæreret illa mei.
Mirantur famulæ ſolitos me ponere cultus,
Cur mihi nec formæ cura ſit ulla meæ.
Si qua placere uolet mundo, ſe ueſtibus ornet,
Forma creatori non placet iſta Deo.
Mens formoſa Deum cœli ſe cogit amare,
Hæc manet, eſt ingens forma ſecunda malum.
Hæc ut cuncta quidem tu conſpicis & tua nunquã
Maieſtas falli qualibet arte poteſt.

Heu tamen

Heu tamen errori cedunt hæc regna uetuſto,
Concidit ad falſos uictima multa Ioues.
Impius inſtaurat ueteres Maxentius aras,
Cæſar enim Nili regna Tyrannus habet.
Sacra iubet fieri, diuûm delubra frequentant,
Mactandosq; trahunt credula turba boues.
Atria mugitu reſonant, ferit æthera clamor,
Et tuba terribiles excitat unca ſonos.
Omnia feſtiuis lucent altaria flammis,
Sordidaq; effuſo ſanguine ſqualet humus.
Ipſe genu flexo ſupplex procumbit ad aras,
Hunc ſequitur quiſquis numina falſa colit.
Abnegat hoc aliquis doctus te Chriſte fateri,
Obrectam ſæuo concidit enſe fidem.
Qualia crudelis cogat tormenta Tyrannus,
Turba docet miſeram plurima paſſa necem.
Vidimus iniectas flammis ardere puellas,
Nudaq; pinnata corpora fuſte quati.
Vidimus & ferro teretes abſcindere mammas,
Affligi uinclis carceribusq; premi.
Paſcit inhumanus noſtrum canis iſte cruorem,
Enormis ſaturum non ſinit eſſe fames.
Aſpicis hæc patiente oculo, ſed lēta malignis,
Et ſine iactura tardior ira tua eſt.
Quàm pulchrū rex magne tuo cecidiſſe ſub hoſte ē,
Munere emi cœlum non meliore poteſt.

Iſta triumphalem pariunt certamina palmam,
Pars utinam tantæ ſim quota laudis ego.
Ire iuuat uerbiſq; ferum terrere latronem,
Quid furit in plebem perfidus iſte tuam?
Ibimus, eſt animus, non me tormenta mouebunt
Dira, nec in pœnæ nomina mille cruces.
Deuenerata deos lapides Idola uocabo,
Ipſe tuæ præſens uirginis ora moue.
Argumenta, dolos, & friuola dicta reuellam,
Maior erit per me te duce recta fides.
Traxerit in pœnam, mors gloria noſtra futura eſt
Et potero forſan fortiter ulta mori.
Tunc mihi ſi dabitur pro te ſuccumbere, reſtant,
Poſt quæ coniungar tempora pauca tibi.
Tu dabis hoc aliqua requieſcere corpus in urna,
Hoc tamen in poſito marmore carmen erit.
Coſtis in hoc tumulo ſum condita, uiua tonantis
Nupta, ſed æterna uirginitate fui.
Impius immeritam Maxentius enſe peremit,
Hic cinis eſt, ſponſæ cætera ſponſus habet.

THAIS PAPHNVTIO.

QVam tibi debueram uerbis mandare ſalutem
Hanc te pollicitum ſis memor eſſe mihi.
Si qua liturarũ tamẽ huic diſpuncta uidebis,
Pars quota de lachrymis illa fuere meis.

Carcere

Carcere ſancte pater quo ſum tibi iuſſa reponi,
Sic merui, ſic ſum digna manere, premor.
Quod legis ex illo Paphnuti mittitur antro,
Deliciæ certe eſt nunc locus ille meæ.
O utinam primis mea ſic latuiſſet ab annis,
Quæ nunc eſt miſero crimine uita nocens.
Vel mihi parcarum ſubeunti iura ſororum,
Hæſiſſent primo ſtamina rupta colo.
Non ego per uetitum patratæ conſcia culpæ
Flerem, ſucceſſu poſſe carere preces.
Tanta anima infœlix peccati mole grauatur,
Vt dubitem offenſum penè rogare Deum.
Namq; quid eſſe putas Stygia ſemel obruta nocte
Lumina, nunc aliquam uelle uidere diem?
Sed tamen amiſſum per te ſperare fauorem,
Præſcriptoq; Deum carmine iuſſa rogo.
Quod tamen indigno mihi non licet ore profari,
Vix audet nomen littera picta loqui.
Antrum eſt ut noſti fœdum ſqualore ſituq;,
Vix quota longinquæ portio lucis adit.
Difficile exortum poſſis cognoſcere Solem,
Tam capit admiſſum parua feneſtra diem.
Hac ſupplex ſeu mane rubet ſeu ueſper anhelat,
Emeditor iuſſo quas licet ore preces.
Prona caput, proſtrata genu, diſpaſſa lacertos,
Quem mihi fas non eſt ore referre precor.

Reſpice me miſeram qui me qui cuncta creaſti,
Hoc niſi non audet lingua prophana loqui.
Nec mihi tu, memini, plus hoc audere dediſti,
Nec mea ſpurcities plus meruiſſe poteſt.
Lingua Deum neſcit uicijs maculata fateri,
Sacra prophanato non decet ore loqui.
At utinam ut falſo mihi non licet ore precari,
Sic precibus faueat pectoris ipſe mei.
Quod niſi tu dederis uenerando proxime cœlo,
Neſcio an hæ poterint pondus habere preces:
Tu potes irati numen placare tonantis,
Neglectam miſeris pandere docte uiam.
Nunc mihi ſpes in te pater illa nouiſsima reſtat,
Qua ſi deſtituar uiuere crimen erit.
Non ego ſufficio pro tot deformibus actis,
Non, licet in pœnas corpora mille feram.
Adde quòd hæc minor eſt quàm me meruiſſe putarim
Iſtud adhuc pœna uindice pectus eget.
Cur ego non proiecta feris? non obruta ſaxis?
Cur non ſum turpi nuda reuincta palo?
In me deſinitis crudeles eſſe Tyranni?
In me tormenti deficit omne genus?
Fœlices, quibus ante diem cecidiſſe, puellæ,
Et uera licuit pro pietate mori.
Nũc ego Margaridos cuperem mihi facta, uelimq́;
Per mala Niliacæ Coſtidis eſſe comes.

Quis dabit ut ſæuo Bythinidos enſe puellæ,
Aut quali cecidit Lucia morte cadam?
Sed neq; cauſſa mihi eſt fidei ſuſcepta tuendæ,
Nec ueteres dixi crimen habere deos.
Vota Deo ſanctiq; undis luſtrata lauacri,
Heu duce ſub proprio perfida miles eram.
Et ducis alterius non ſum data ſigna ſequuta,
Et grauiter læſi ſub quibus ipſa fui.
Nunc dolor eſt hoſti tantum fauiſſe, nec illum
Cum potui, celeri deſeruiſſe fuga.
Filia lucis eram, ſed lucem ingrata reliqui,
Non intellectis merſa uoraginibus.
Atq; adeo longum per opacæ deuia noctis
Proceſſi, infernum iam prope limen eram.
Iam ſuper infauſtæ puteum tollebar Abyßi,
Infœlix Stygio præda futura cani.
Actum erat, interij, cum tu pater optime uictam
Excipis, & pulſo fortiter hoſte leuas.
Et licet ingratum eſt ſceleris meminiſſe pudendi,
Cauſſa in eo tamen eſt cur meminiſſe uoles.
Plus ſolito uicijs uirtus collata refulget,
Sicut in obſcœno ſplendida gemma luto.
Me pudeat ſceleris, quoniā ſcelus omne pudendū eſt
At ſua uirtuti eſt gloria danda tuæ.
Tempus erat medium tenuit Sol aureus orbem,
Fecerat æquales utraq; meta uias.

Indixere ſacri feſtiua ſilentia myſtæ,
Tempore quo debent non niſi ſacra coli.
Sola fui formæ ſtudijs intenta colendæ,
Mirantes uultu fallere docta procos.
Cumq; frui cuperem ſolito fœdiſsima lucro,
Et fieret uoti copia nulla mei.
Ecce uenit ſenio quidam uenerabilis albo,
Hoc miſeræ nondum tempore notus eras.
Veſtis erat non apta ſeni quam forte gerebas,
Quam poterat credi non placuiſſe tibi.
Quæ tum cauſſa fuit tetricum poſuiſſe cucullum?
Quid loca Chriſticolæ non adeunda ſubis?
Errantes reuocare animas doctiſsime laus eſt
Magna, tuis quòd ſum fœmina capta dolis.
Scis pater ut tanquàm ſuſpenſus in oſcula dixti,
Vt poßim tecum quolibet eſſe loco.
Ah pudet & dolor eſt meminiſſe, petentibus illud,
Fœmina me nunquàm mollior ulla fuit.
Ad loca deductus rebus ſatis apta nefandis,
Ipſe rogas furtis commodiora peti.
Interius conclaue fuit placuiſſe putabam,
Plus nimio uiſum eſt lucis habere tibi.
In loca deduxi minime uix peruia luci,
Nec ſatis hæc uotis clauſa fuere tuis.
Quæ tua neqcia eſt uel qs pudor improbe adulter?
Quis timor hic ſolus nos uidet eſſe Deus?

Hic tu,

Hic tu ſi quod ais uerum eſt, quæ tuta petemus?
Hunc nihil eſt, inquam, quod latuiſſe queat:
Ergo age, dicebas, quàm deſipienter aberras?
Quod pudet ante homines non pudet ante Deū?
Eſſe nocens ſuperis, mundo ſine labe uideri,
Sic miſera es, ſic te decipit hoſtis amas.
Non ego te ueni turpi fruiturus amore,
Sed tibi ut oſtendam teq; tuumq; nefas.
Heu miſera obſcœno maculata libidinis æſtu,
Et nimium putri ſordida facta luto.
Erras, cœleſtem non hæc uia ducit in aulam,
Quo ruis? infernam corruis ante domum.
Siſte referq; pedem mortemq; euade propinquam,
Me ſequere ad uitam dux tibi fidus ero.
Finieras, faſſæ inſolitus pudor ora notauit,
Factaq; ſum uerum lumen auara ſequi.
Non ſecus ac cupidus ruit in certamina miles,
Cum fragor & rauca claßica uoce ſonant.
Venit & abiecto reuerentia nata pudori,
Heu nimium ſero lumine uiſa mihi.
Exciderat uitæ mihi conſuetudo prioris,
Spretaq; ſed nuper non odioſa Venus.
Hoc mihi tu poteras lingua præſtare diſerta,
Credibile eſt uerbis numen ineſſe tuis.
Quæ mihi per longæ tot deuia noctis eunti,
Clauſa erat, agnoſci te duce cœpta uia eſt.

Et iam per tenebras noua lux apparuit, ite
Inſidiatores, hoſtis, abite doli.
Ite leues animi uos dedignantis amores,
Supplicium, laquei, uincla, uenena, cruces.
Heu male pro uobis iuuenile expendimus æuum,
Nunc alia eſt noſtra meta terenda rota.
Ipſe aderas tunc cum Chriſti noua iura profeſſa,
Pauperibus miſeras euacuarer opes.
Quas ut ab igne nouo mentem ſuccenſa calebam,
Auſa fui in medio penè cremare foro.
Quæ quia ſæpe duces in gaudia uana fuerunt,
Triſtitiæ comites fas erat eſſe meæ.
Viq́; frequens ſpectatum aderat Thebæa iuuentus,
Orſa ita ſum populo, teſtis es, ipſe loqui.
O quibus aut unquàm placui, aut quos nuper amaui,
Cauſſaq́; nequitiæ turba comesq́; meæ.
Aſpicite hæc noſtrumq́; oculis haurite dolorem,
Diſcite & hac ueſtram Thaida parte ſequi.
Veſtra fui, uobis placui, uos ipſa colebam,
Et placuiſſe graue eſt & coluiſſe nocet.
Quæ ſupereſt igitur congeſta libidine merces,
Amplius hic curæ debet habere nihil.
Ipſa nocens ueniam qualem docet iſte precabor,
Per quem de uenia ſpes bona facta mihi eſt.
Munde uale, nimium tecum eſt infide moratum,
Cauſſaq́; nequitiæ turba comesq́; meæ.

Illic de populo quoſdam mouiſſe uidebar,
Et multos ſceleris pœnituiſſe liquet.
Atq; utinam ex illis aliquis ſua crimina faſſus,
Thaidos offenſum ſit memor ante Deum.
Forte erit è multis cui fauerit ille roganti,
Et dicat miſerans hæc quoq; noſtra fuit.
Tu quoq; cui noſtræ commiſſa eſt cura ſalutis,
Quàm potes his miſeræ caſibus affer opem.
Lõga mora eſt poſtquàm latebroſæ incluſa cauernæ
Non potui uultus Phœbe uidere tuos.
Frugiferos æſtas iam tertia colligit ignes,
An, rogo, adhuc nulla eſt gratia parta mihi?
An grauis offenſi nondum cadit ira tonantis?
Heu quantum eſt paucos emeruiſſe dies.
Spes tamen eſt maior uitæ quàm culpa peractæ,
Spes maneat, grauior nulla futura mora eſt.
Inuiſum tempus conſtans pacientia uincet,
Donec erit moti mollior ira Dei.
Tu noſtro ueniam ſupplex pro crimine poſce,
Ipſe feram iuſſo quas licet ore preces.

CVNEGVNDIS HENRICHO.

QVæ tibi Teutonico nõ facta nomiſmate uenit
Fungitur officio littera noſtra nouo.
Quid tibi cũ Latijs, ne quæras barbara muſis
Triſtia cum ſcribam queſtibus apta lyra eſt.

Siue quod eſt numeris & uis & gratia maiòr,
Vixq́; rudes animos barbara uerba mouent.
Nec puto tu neſcis quia me Rhamnuſia cæco,
Vel potius nullo lumine, diua uidet.
Viſa diu fœlix & Cæſare tuta marito,
Fluctibus heu quantis turbinibusq́; premor.
Cum bene ſperarem cecidi ſine crimine, meq́;
Hoſtis ab excelſo truſit ad ima loco.
Nec tamen hanc ſenſi miſere proſtrata ruinam,
O miſeri qui non, quo periere, uident.
Vt modo conciderim caſum neſcire dolendum eſt,
Non uenit ex cauſſa noſtra querela leui.
Nec meus eſt lachrymis dolor exaturabilis ullis,
Qui ſine peccato plectitur ille dolet.
Ante mihi ô utinam rupiſſent ſtamina Parcæ,
Quàm potui infœlix diſplicuiſſe tibi.
Aut ego confuſo ſum nata ſub ordine fatûm,
Aut agit in pœnas uindicis ira Dei.
Parce pater superûm merui grauiora, ſed illud
Me nihil implicitam, quo rea dicor, habet.
Arguit immeritam uiolati fama pudoris,
Indicium famæ littera teſtis habet.
Quæ ſimul ac uenit notis mihi cognita ſignis,
Verba modis uno plus tribus iſta tulit.
Prodiga pollicitis, uerbis contraria rebus,
Et tibi credentem fallere docta uirum.

Qui mi

Qui mihi deuoto fruitur Cunegundis amore,
Sæpe eſt ex thalamo uiſus abire tuo.
Hæc ubi legiſſem collapſis frigida membris,
Vix etiam famula ſum reuocata manu.
Mane erat & primo radiabant Sole feneſtræ,
Iamq; nouum querulæ concinuiſtis aues.
Rurſus ut exieram thalamo proſtrata recumbo,
Sicut agonales iam ſubitura rogos.
Flebile ad exortum releuo caput anxia Solem,
Sol ne iterum flammas læta uidebo tuas?
Vocibus umbrifera uernate in fronde uolucres,
Læticiæ eſt prorſus cauſſa peracta meæ.
Nunc iterum relego lachrymis tua ſcripta profuſis,
O uir non precibus dexter, ut ante, meis.
Quis dabit unde querar pro te ſatis? aut ubi plorē?
Mœſticiæ conſors quis uolet eſſe meæ?
Fama nocens nobis occluſit Cæſaris aures,
Offenſum metuit regia tota ducem.
Ne tamen, ut taceam, ſcelus admiſiſſe putemur,
Triſtis ad inuitum littera uade uirum.
Vt tamen iſta legas oculis patientibus, oro,
Dempſeris à lachrymis milia multa meis.
Ante ego, quæ dicunt peritura elementa putaram,
Merſuras orbem Deucalionis aquas.
Quàm tua me miſeram mens dedignata fuiſſet,
Ille ſapit quiſquis tuta timere poteſt.

Q uir & ô frater mihi nomine cedis utroq;,
Quis mihi ut odiſſes tam ferus hoſtis erat?
Prodiga pollicitis cur ſum tibi dicta? quid hoc eſt
Me quod ais aliquem fallere poſſe uirum?
Cur tibi ſuſpectus pudor eſt meus? an tibi adulter
Sæpe eſt è thalamo uiſus abire meo?
Adſerere ille poteſt Solem non poſſe uideri,
Qui tibi commenti conditor huius erat.
Vana uel incautis oculis illuſit imago,
Vel uoluit mendax lingua nocere mihi.
Et tibi deuoti ſtat gloria ſalua pudoris,
Nullaq; adhuc nouit crimina noſter amor.
Teſte opus eſt teſtem te Chriſte appello uocatum,
Pondera tu ueri teſtis & inſtar habes.
Forſitan ipſe alios teſtes Henriche requiris,
An ne putas ipſum fallere poſſe Deum?
Per ſuperos dices facile eſt iurare prophanis
Illis, ſi qua uolet fallere, tuta poteſt.
Ipſa uelim potius multis periura uideri,
Quàm ſuper hoc uni diſplicuiſſe Deo.
At tibi ſeruatum quem nunc male credis amorem,
Da ueniam, uerbis æmula facta probent.
Vt male per ſuperos tutum eſt iurare prophanis
Sic uero gaudet teſtis adeſſe Deus.
Sanguine conueniant nobis ab utroq; propinquę
Preterea quorum uita probata tibi eſt.

Regia

Regia ubi anguſto protenditur aula receſſu,
Effigiem Mariæ continet ara uetus.
Caſta Dei mater caſtis fauet, illa pudori,
Autor ut eſt noſtro, ſic bona teſtis erit.
Grande pauimentum candenti ſternere ferro,
Quosq; tibi fidos noris adeſſe iube.
Ipſa Deo fidens, æquum fauet ille petenti,
Contingam nudo torrida ſtrata pede.
Ardeat inceſtæ teneras uis ignea plantas,
Veridico caſtam ſeruet ab igne Deus.
Qui ſolo potuit uerbo de uirgine naſci,
Te dabit oſtendi uirginis eſſe uirum.
Quod precor hoc aliquis mihi te permittere forſan,
Non ſinet, & fraudem callida, dicet, agit.
Chare Deo uoces non audi Cæſar iniquas,
Iuditio liuor triſtis obeſſe ſolet.
Hunc animum fecit nobis mens conſcia recti,
Conſilij non eſt Phaſias ulla mei.
Neſcio quæ dicunt magicæ ludibria ſordis,
Ruſtica qua ſemper ſimplicitate fui.
Si uideor temere ſuperos tentare fatebor
Quàm quæ deficeret ſpes mihi maior erat,
Adde quod aut iſta uolo ſuſpicione leuari,
Aut tibi non uiuæ coniugis eſſe loco.
Non quia uana leuis metuam conuicia uulgi,
Sed tibi quòd potui diſplicuiſſe dolet.

Ergo nec aſpicies lætam uelut ante ſolebas,
Ni ſim ignominiam fortiter ulta meam.
Vlciſci facile eſt ſaltem permitte quod opto,
Materia audacem ſpes facit eſſe noua.
Longa mora eſt poſtquàm doleo ſine teſte, dieſq́;
Ingrato plures lumine triſtis ago.
Conſcia mens animum ſtimulat de crimine falſo,
Et male ſub tanto pondere uicta iacet.
Omnia quæ potui Chriſto duce triſtia ferre,
Hoc uno uideor mortua penè malo.
Quæ mihi ſors miſeræ ſi non inimica fuiſſet,
Staret adhuc animi gloria plena mei.
Frangor & heu quantis iactor confuſa procellis,
Quod uideam eſt cœlum præter aquasq́; nihil.
Sola quid immenſo faciam, & noua miles in alto?
Ante ratis nũquam naufraga noſtra fuit.
Chriſte duce, nam tu ſolacia triſtibus affers,
Littora quæ quaſſæ ſunt propiora rati.
Tu potes & tuto dubitantem ſiſtere portu,
Raptaq́; ab inſanis uela referre Notis.
Rapta precor noſtri bona nomina redde pudoris,
Immeritam uideat uir meus iſta pati.
Virgo uiro data, uirgo cum uirgine uiuo,
Quimq́; ego nota mihi tam uir & ipſe fuit.
Vidit & indoluit uetus ille & perfidus hoſtis,
Qua pocius duci ſuſpicione licet,

Simplicis

Simplicis heu pulchrum uitæ turbauit honorem,
Cui capto tantum nomine præda fui.
Corpora non potuit, famam inceſtauit adulter,
Hoc niſi nil noſtri perdite liuor habes.
Quem tibi promiſi Cæſar ſine labe futurum,
Ius habet in noſtro perfida lingua thoro.
Hanc præter non ſunt in eo ueſtigia, quamuis
Sit proba mœchari quam uolet illa poteſt.
At magis offenſum ne reddat epiſtola forſan,
Suprema hæc animi ſumma rogantis erit.
Pondera coniugij noſtris precor adde querelis,
Et da ſeruatam poſſe docere fidem.

BARBARA EVSEBIO.

SI qua nefas Graiæ ſunt hic, ut plurima, linguæ,
Conueniens dominæ littera uomen habet.
Quæ tamẽ Euſebiũ niſi prima in fronte tuliſſet,
Nolles ignota ſcripta uidere manu.
Aſpice, ſi qua potes prægrandibus ocia curis
Furari, officio res eget iſta breui.
Barbara Bythino ſata ſanguine, patre Tyranno,
Hac tibi ſim lecta nota ſalute precor.
Eſſe uelim quare ne ſit tibi ſcire moleſtum,
Propoſiti non eſt cauſſa pudenda mei.
Magnus es, ut fama eſt, lota de gente ſacerdos,
Diceris & uerum poſſe docere Deum.

Gentiles nihil eſſe Deos patriosq; penates,
Sollicitor multos ſed ſine teſte dies.
Et quantum natura ſinit rudis ire per altum,
Tot membris unum ſuſpicor eſſe caput.
Non tamen agnoſco patrijs infuſa tenebris,
Quæ uelut è nebula lumina noſtra uident.
Ad te noſtra igitur properauit epiſtola ſupplex,
His rebus miſeræ quod potes eſſe uelis.
Quoq; modo id fiat, qua ſim ratione docenda,
Si tamen,ut debes uelle docere,uoles.
Vnus & hic animo mihi compatiente fidelis
Oſtendet,per quem carmina noſtra legis.
Sed ne forte putes de me tibi falſa referri
Quod de me nolis credere crede mihi.
Credens facile eſt reſcribere pauca puellæ,
Sum Graias, quamuis barbara,docta notas:
Ne pater exactis tribus hæc ad tempora luſtris,
Sollicite ingenuas quærere iuſſit opes.
Quamuis ergo mei uernent iuueniliter anni,
Non me,cui ſcribas, non ſatis eſſe puta.
Sunt etenim quæ me ſuſpenſam ſæpe morantur,
Plurima de ueſtris ſcripta uoluminibus.
Et quia tam firma nitt rati ne uid ntur,
Plus etiam patria relligione placent.
Quæ tamen ut ueſtri texerunt myſtica uates,
Mens mea quid claudant ſcire prophana nequit.

Scripſe

Scripſeris ergo breui quæ nos neſcire dolemus,
Forte tuo poteris complacuiſſe Deo.
Quis Deus exiſtens ante omnia ſecula ſolus,
Quale apud hunc uerbum rere fuiſſe Deum?
Omnia quis fecit? ſine quo nihil? aut quid in illo
Vita eſt? quam lucem nox capere ulla nequit?
Quis teſtis de luce fuit? quæ illuminat omnem
Lux hominem? quis non notus in orbe fuit?
Quem non excepere ſui? quod deniq; uerbum
Fit caro? de uerbo quomodo facta caro eſt?
Ardua ſcripta magis quàm quæ medioeria captent
Ingenia, ô hominem qui capere illa poteſt.
Vana per hæc noſtræ fiunt ludibria chartæ,
Heu mihi quas laruas carmina noſtra ſonant.
Stupra, doli, fraudes, polluta libidine ſacra,
Si faciunt diuos patria terra ſapis.
Sed puto de ſuperis hæc eſt ſentire nefandum,
Commendent ueſtrum ſobria ſcripta Deum.
Sicut enim plures male res capit una magiſtros,
Commodius plures qui regat unus erit.
Et grauis eſt uni diuiſa potentia regno,
Sume Deos plures munde iacebis iners.
Vnus & hic trinus ſolo regit omnia nutu,
Littera de ueſtra plurima lege docet.
Hunc unum trinumq; animus cognoſcere geſtit,
Hac nequeam per te non didiciſſe queri.

Hic quoq; ſunt noſtræ quædam ſublimia menti,
Quæ niſi tu doceas unde petemus opem?
Quis pater ingenitus? quis filius? & quis ab illis,
Procedit patrio ſpiritus igne potens?
Qui credam potuiſſe aliquem de uirgine naſci,
Ni per te miſeræ luceat iſta fides?
Non hæc Oleniæ nutritum lacte capellæ,
De ſuperis aliquem delituiſſe docent.
Iſta nec in uarias labentem Prothea formas,
Membra nec hic patrium parturit orba femur.
Nulla hic prolifico de uertice nata uirago eſt,
Non fert hic aliquam lubrica concha deam.
Nulla hic ſunt ueterum deliramenta deorum,
O ſacram multa relligione fidem.
Quæris ubi intuear legis myſteria ueſtræ,
In patria, mirum, diſcimus iſta domo.
Eſt uetus hic, omnes, quibus eſt, neglecta per annos
Condita de ueſtra bibliotheca fide.
Hanc niſi deridens nemo conſpexit, ab illo
Quo primum in patrias tempore uenit opes.
Hãc paulo ante aliqs Rex Põtica ſceptra gubernãs
Attulit affines depopulatus agros.
Hanc quoties licuit ſecura per ocia furtim,
Intrabam ſtudijs officioſa nouis.
Vtq; ſumus ueiti cupidiſsima turba puellæ,
Diuinũm rebar quo prohiberer opus.

Sed neq;

Sed neq; falſa fui quamuis muliebriter egi,
Et iuuat à uetito non potuiſſe trahi.
Illic Hebræos, diuina poëmata, uates
Vidimus & famæ nuperioris opus.
Vidimus antiquo deſcripta oracula Moſi,
Vidimus & quicquid lex modo ueſtra probat.
Deniq; quicquid erat ſic nos uidiſſe fatemur,
Lumina ceu Solem noſtra uidere ſolent.
Per nebulas ut tecta uidet longinqua uiator,
Vt uidet in tremula nauita lumen aqua.
Sic ego mortiferæ nondum eruta noctis ab umbra,
Quo uideam miſeræ lumen abeſſe queror.
Cur aliena petam patrijs exercita ſacris,
Neſcio, ſi quæras, ſed tamen iſta peto.
Nemo mihi eſt ueſtra de relligione magiſter,
Ni mihi dicatur littera muta loqui.
Sic eſt, illa fuit mihi cauſſa cupidinis huius,
Prima mihi inuiſum fecerat illa Iouem.
Forſan & ille poteſt timidæ fauiſſe puellæ,
Quem trinum nobis littera multa refert.
Et niſi credentem uatum chorus ille fefellit,
Hoc eſt in tot mitius orbe nihil.
Adſit & ut toties auida mihi mente uocatur,
Sic ſe agnoſcendum præbeat ipſe mihi.
Tu quoq; cui noſtræ dictant mandata Camœnæ,
Pectora conſilijs inſtrue noſtra tuis.

Quid faciam per quod de ſordibus eruar iſtis,
Heu quantum cultus diſplicet iſte mihi.
Iam dudum libuit patrios exire penates,
Sed timidam cuſtos qui prohiberet erat.
Nunc tamen ô tenera crudelem in uirgine patrem;
Heu nimium duro carcere clauſa premor.
Vtq; diu latuit, quam fertur Abantius heros
Ne pareret forti præpediſſe fera.
Sic ego marmorea in turri concluſa reſeruor;
Ne ſtudeam cupidis complacuiſſe procis.
Stulte parens non hæc alicui debetur amanti;
Virginitas ſoli noſtra dic anda Deo eſt.
Rara comes mecum ſed quæ fidißima certe eſt;
Et uigil occluſas excubat ante fores.
Triſte coarctatis caput effero ſæpe feneſtris,
Et iuga proſpectu metior alta meo.
Nunc aliquis uolucres faceret mihi Dædalus alas;
Nunc ego Triptolemi curribus ire uelim.
Non me chara parens, non me pater anxius æuo;
Non patrius plena meſſe mouebit ager.
Protinus euadam gentis qua turba lauatæ,
Veridico tantum prædicat ore deum.
Sed uetor, & triſtes meditor ſine teſte querelas;
Ipſa animi teſtis conſcia ſola mei.
Quæcunq; aſpicio longo ſtant ordine circum,
Quos pater ut colerem iußit habere deos:

Heu dolor

Heu dolor iſta colam ſtulti ludibria ſecli,
Ah pereat lapides qui putat eſſe deos.
Ipſa ego ut exceßi primum puerilibus annis,
Nunc quoq; tot diuos ſuſpicor eſſe nihil.
Nec ratione caret cur ſic ego credere malim,
Eſt aliquid ueteres euoluiſſe libros.
Præcipue hæc animo nuper uigilante notaui,
Carmina Ieſſæo uaticinata ſeni.
Quæ diuerſa colunt gentes ſimulachra prophanæ,
Cuncta ſibi humanæ conſtituere manus.
Ore quibus nunquàm uero ſermone loquentur,
Quo nequeant aliquid cernere lumen habent.
Nulla ſoni uenient uanas elementa per aures,
Nare ſub ipſorum non erit ullus odor.
Organa deficient ſtupidas guſtantia linguas,
Caſſa loquuturæ guttura uocis erunt.
In manibus nullum tactus erit inſtrumentum,
Stant fulti nequeant quò tamen ire pede.
Noſter at in cœlo Deus eſt, quæq; ipſe uolebat,
Omnia de ueteri condidit orta chao.
Verius haud potuit tantus prædicere uates,
Quis niſi mentis inops certa negare uolet.
Eya igitur dum læta uiret dum pullulat ætas,
Dum pudet ingrata relligione premi.
Eripe clamantem Stygia de nocte puellam,
Cœleſtem populis pandere docte uiam,

Si tua luminibus contingat epiſtola noſtris;.
Non cupiam uoto proſperiore frui.
Præcipue ſi quæ mihi ſint facienda docebit,
Quo poſſim ſoli complacuiſſe Deo.
Tunc ego, uaticinor, totis accenſa medullis,
Clamabo patrios crimen habere deos.
Iam mihi per ſcopulos uideor ſalebroſaq; ſaxa
Effugere, irati iuſſa tremenda patris.
Ille quidem ferus eſt, laruasq; ita reſpicit iſtas,
Cogitet ut ueſtram perdere ſæpe fidem.
Viderit auerſam cultus ſpreuiſſe priores,
Ipſius, haud dubie, tam furit, enſe cadam.
Nunc externa quidem longe eſt in regna profectus,
Abſentemq; domo tertia luna uidet.
Ignibus octauum poſtquàm illa refecerit orbem,
Longius à patria non erit ille domo.
Opportunus abeſt, nec tempore poſſumus unquàm
Si libet hoc ipſo commodiore frui.
Non precor ut uenias, longa eſt uia, ſed tamen oro
Vt ueniat pro te littera ſcripta mihi.
Quod tamen ut peterem calamo dubitante timebam,
Auſuram uetuit longius ire pudor.
Iam ſatis ingratæ numeramus tædia uitæ,
O utinam placeat littera noſtra tibi.
Ardeo quàm primum ſacro de fonte lauari,
Hæc eſt propoſiti maxima cauſſa mei.

Nunc

Nunc te ſi qua tibi eſt ueſtræ reuerentia legis,
Deprecor hic miſeræ quam potes affer opem:
Nec me deſtituas dubijs mitiſſime rebus,
Stat mala pro uobis qualiacunq; pati.
Adde fidem famæ de te mihi tanta loquutæ,
Et mihi, ſi nequeas corpore, mente ueni.

SABINA ALEXIO.

Sic ubi perdiderit charum uiduata ſodalem,
Si canere hoc dicas, mœſta columba canit.
Non quia te nolim rebus gaudere profeſſis,
Sed mihi quod tecum non licet eſſe queror.
Tu quoq; credentem potuiſti fallere nuptam,
Primaq; de nobis fraus tua nomen habet.
Si mea non potuit ruditas meruiſſe fauorem,
Cur tua ſit noſtro crimine tarda fides?
Profuit hoc miſeræ tedas præferre iugales,
Sic quoq; ueſtalis nubere uirgo poteſt.
Quæ mihi prima fuit facta eſt nox ultima tecum,
Quæq; dies nobis te dedit illa tulit.
At mea uirginitas bene tot ſeruata per annos,
Mœſticiæ precium pondus & inſtar habet.
Hoc bene ſucceſſit quod ſum ſine crimine nupta,
Hoc male quod cogi creditur ille pudor.
Viuere ſi lecto tecum licuiſſet in uno,
Summa prior uoti non fuit ulla mei.

Hanc tibi tuq; mihi quo ſola nocte licebat,
Accepta dedimus conditione fidem.
Oſcula non etiam plus quàm fraterna dediſti.
Sed tamen his prius lingua loquuta tua eſt,
Viue ſoror uotum non dimiſſura pudorem,
Diuerſa exilio terra petenda mihi eſt.
Cum referet plenam ter ſeptima meßis ariſtam,
Si uiuam reditu læta ferere meo.
Non ſecus obſtupui, quam quæ ſuper Alpibus altis
Audiat immites pendula dama lupos.
Scilicet ipſa uiro uiuam ſine coniuge coniux,
Quemq; uelim coram ſemper abeſſe querar.
Quid mihi Romulides meliori ſydere nuptæ,
Quid Latiæ dicent inuida turba nurus?
Omnia liberius credit mala uulgus iniquum,
Eſſe bonis ſemper fama maligna ſolet.
Qualiter imbriferis tellus ſiccatur ab Auſtris,
Sic animum mouit noſtra querela tuum.
Et tibi iam Tyriæ ueſtes iam purpura fulgens
Excidit, eſt humeris mantica ſumpta tuis.
Hei mihi quid feci? quali ſum nupta marito?
Huic forma neſcit maxima Roma parem?
Tempus erat rebus nox abſtulit atra colorem,
Per nigra non ullus nubila fulgor erat.
Oſcula diſcedens lachrymis confuſa dediſti,
Hoc repetens longo tempore uiue ſoror.

Ibis &

Ibis & heu miſeram cui me fugitiue relinquis,
 Quum properas, dixi, ſim comes ipſa uiæ.
Et ſimul excideram uix tu ſolatus amantem,
 Tempore dicebas ſola fer eſſe breui.
Hebdomas impleuit ter ſeptem tertia meſſes,
 Nec tua promiſſa eſt uerba ſequuta fides.
Durius inuiſas creſcit mihi tempus in horas;
 Quo ſine te miſerum uiuere dulce mori.
Aſpiciunt aliæ coram ſua gaudia nuptæ,
 Seq́; laborantes qui tueantur habent.
Abſentem ipſa gemo, ſine coniuge nupta, maritum,
 Meq́; laborantem qui tueatur abeſt.
Ergo ego turbato currentibus ordine fatis,
 Quo ſim nupta minus ſum data nupta uiro:
Sola fui patiente animo, ſic eſſe iuuabat
 Quod uolui uita uirgine poſſe frui.
Cur tamen hæc tecum non eſt conceſſa uoluntas,
 Qua melior nobis palma futura fuit.
Laudantur qui cum liceat peccare recuſant,
 Quo careas facile eſt abſtinuiſſe bono:
Innocui thalamo conueniſſemus in uno,
 Caſtaq́; fœdaſſet corpora nulla Venus.
Sin ea coniugij tollat reuerentia laudem,
 Noſter in accepta prole ſtetiſſet amor.
Paruus in hac aliquis luſiſſet Alexius aula,
 Vnde hæc exiguum, littera uenit, opus.

In qua, me miſeram, quàm triſtibus anxia curis,
Sufficio lachrymis non ſatis ipſa meis.
Ditibus ingredior triclinia ſtrata tapetis,
Mallem humilis tecum tecta ſubire caſæ.
Aula laborato ſpecioſa renidet ab auro,
Quo uideam noſtrum talia lumen, abes.
Quæq; placent alijs mihi ſunt inuiſa, pigetq;
Quáleſcunq; inter uiuere delicias.
Talis erat puerum qui tot de fratribus unum,
Defleuit ſenio iam ſubeunte pater.
Sic trabē de querna luxit pendentia nati,
Corpora Pſalmographæ duxq; parensq; lyræ.
Mater & Aglaë tua me ſolata dolentem,
Sæpe aliquo uiſum nuper in orbe refert.
Parce nurus lachrymis, neq; nos conſume dolendo,
Magna tuum fama eſt uidit Edeſſa uirum.
Multa igitur nobis te quærere littera miſſa eſt,
Littera quæ ſemper reddita clauſa mihi eſt.
Miſimus Hebræas urbes ueteremq; Siona,
Reddita nec fama eſt nominis ulla tui.
Non Helleſponti tetigiſti littora, nec te
Boſphorus anguſto uexit uterq; mari.
Nec fera, te nobis conſulta, Britannia uidit,
Plenaue præſenti Teutonis ora Deo.
Ad ſacra non uiſum Zebedidæ limina diui,
Nemo ſub Hiſpano uiuere Sole putat.

Miſimus

Miſimus ad fortes aliquem te quærere Gallos,
Heu nec apud Gallos quando uideris, ubi es?
Ergo tuum nomen tibi conuenit illud Alexi,
Littera reſponſo nulla onerata tuo eſt.
Forſan & agnoſci non uis ubicunq; locorum,
Ex patria quenquam noris adeſſe domo.
Hei mihi ſic etiam patria potes urbe latere,
Et ſæpe ex oculis tutus abire meis.
Multa ferunt anni fugienti incommoda formæ,
Et nullo eſt idem ſemper in ore color.
Suſpicor illius florem cecidiſſe iuuentæ,
Legitima iuncti qua ratione ſumus.
Quæq; abeuntis erant tenui uix puluere ſparſæ,
Fors tegit hirſutas improba barba genas.
Et quæ cum patuit tabulas referebat eburnas,
Ruga fatigata plurima fronte ſedet.
Et pluuijs madefactæ & ſolibus uſte diurnis,
Hic etiam certe ſic latuiſſe queas.
Cur tamen in miſera crudelis coniuge dici,
Quod precor ut iam non eſſe, fuiſſe uelis.
Illa tua hoc uirtus, hoc nobilis ille requirit,
Qui tibi nunc tardo pectore ſanguis hebet.
Sic ego debebam de te meruiſſe tot annos,
Poſtulat hoc cœlo teſte relicta fides.
Aut illam reddas quæ me male dextra fefellit,
Aut tu qua fallis fraude ferere nocens.

Grata Deo non ſunt fallentia pectora, nec te
Fraude tua ſuperis poſſe placere puta.
Qui nos coniunxit, coniunctos eſſe uolebat,
Vita tua eſt illi diſſona, crimen habet.
Finge dari, ueniamq; tibi culpamq; remitti,
Quis dabit ut poßis non nocuiſſe mihi?
At uocet utiliter qui quo nocet adiuuat idem,
Nil queror, eſt curis pars bona dempta meis.
Ferre decet pacienter onus quod ferre neceſſe eſt,
Qui iacet inuitus, durius ille iacet.
Sors mea ſunt lachrymæ, teſtes mea uita querelæ,
Vnda ſit ô utinam ſordibus illa meis.
Abluat, & ſuperum puram tranſmittat ad arces,
Quã niueas ducit ſignifer agnus oues.
Illic, ut fueris nullo mihi in orbe repertus,
Certe in cœlitibus inueniere locis.
Membra ſed ut poßim prius hic tua tangere ſupplex
Caſtus in edomito pectore quærit amor.
Deprecor exaudi patriamq; reuertere in urbem,
Si modo adhuc aliquo uiuus in orbe lates.
Præbueris uitamq; mihi mortemq; fugaris,
In mea ſi dexter uota futurus eas.
Si minus ô curæ triſtes lachrymæq; ualete,
Amplius in uobis ſpes mihi nulla manet.
Quod ſupereſt uni tibi magne dicetur Ieſu,
Et tibi quæ nullo mater es uſa uiro.

Tu quoq;

Tu quoq;, ut occidero ſi forte redibis Alexi,
Quod doceat quo ſim condita carmen habe.
Dum gemit abſentem ſine crimine nupta maritum,
Feſſa malis placida morte Sabina iacet.

PELAGIA NONIO.

TEcta uirum nigro mulier ſimulante cucullo,
Auſa uir eſſe ipſo nomine penè fui.
Et niſi tu noſſes etiam hoc mentita fuiſſem,
Tanta ſub hoc habitu cura latere mihi eſt.
Frons tamen exterior quod nomine ſcripta uirili eſt
Cognita cum ſuperis cauſſa duobus erit.
Arte quidem miſero qua ſum bene perdita mundo,
Inueniam regni diuitioris opes.
Si qualem decuit titulum confeſſa fuiſſem,
Cur tegat exiguos penula longa pedes?
Iamq; eſſet de quo gauderet perfidus hoſtis,
Cognita ſi uulgo fabula facta forem.
Ergo uir & mulier ſcriptura docebat ut eſſe
Vir reliquis, uni fœmina nota tibi.
Nec tibi quæ toties ſum nomine dicta ſororis,
In prima fratrem fronte fuiſſe pudet.
Et ſoror & frater rogo te fratremq; patremq;
Parce, erit in uerſu ſi qua litura meo.
Per ſcelus arma quidem multum deſueta reſumo,
Ingenio nocuit priſtina uita meo.

Tunc quoq; quæ turpes ducebat ſæpe lituras,
Falleret ut multas officioſa manus.
Nunc ſtupet & nudam dubitat tetigiſſe papyrum,
Tam pudet hoc ſero poſthabuiſſe nefas.
Conſcia præteriti ſceleris præſentia ſemper,
Mens timet, & proprio fracta pudore iacet.
Et licet in melius mores abiere nefandi,
Attamen & durum eſt & meminiſſe dolor.
Sicut enim quem nulla premit ſentina malorum,
Nulla ſub erecta nubila fronte gerit.
Sic male quem tacito mens conſcia fune flagellat,
Lucida uix audet tollere ad aſtra caput.
Tu noſti qua ſorte prior mihi fluxerit ætas?
Hei mihi quàm multos perdidit illa dies.
Formoſa exterius uultum depicta rubebam,
Fœda ſed interius tota Mephitis eram.
Ancillis comitata tribus ſublime ferebar,
Dignior in putri ſola iacere luto.
Sæpe aliquis ſpectans propere ueneratus euntem,
Neſcius abſceßit per mea facta nocens.
Sæpe pudicarum numerus mihi ceßit, & ibam
Matronas inter ſus lutulenta probas.
Extulit elatam uentoſa ſuperbia mentem,
Heu quantum adiecit criminis illa mihi.
Quæ fora quæ plateæ, quæ thermæ, quæue dietæ,
Quæ non ſunt faſtu plena theatra meo?

Torta comas, fucata genas, gemmata lacertos,
Cura iuuentutis deſipientis eram.
Immemor inſtantem tacite properare ſenectam,
In medijs uixi nata puella roſis.
Immemor eſſe malis poſitam pro crimine pœnam,
Ipſa mihi tanquam non moritura fui.
Nec potui, ſi quis monuiſſet, ferre monentem.
Tam pectus ſaxo durius illud erat.
Ah pudet ulterius ueterum meminiſſe malorum,
Turpe eſt ante uiros facta pudenda loqui.
Quàm tamen hæc uellem detur mihi nulla referre
Copia, nec lapſam turpiter eſſe queri.
Namq; ego nec refero uulgo ut mea facta notentur,
Sed queror ut medicum triſtis & ægra feram.
Quæ precor ut qualem primo te uulnere ſenſi,
Talis quæ ſuperant ſtigmata nigra leues.
Plura quidem ſuperant quæ quamuis oblita credas,
Eſt tamen hæc ſaniem multus habere timor.
Attigeris medicante manu pater inclyte Noni,
Nullus in hoc uſquam corpore neuus erit.
Vtq; aliquo noſter nõ eſt in corpore morbus,
Sic alia tanges uulnera noſtra manu.
Antidotum ueniens mihi portet epiſtola uerum,
Credis? habet longas littera ſcripta manus.
Namq; quid abſentem moueas ne forte timebis,
Cui tu præſenti fulminis inſtar eris?

Nō etiā ut moneas opus eſt, Quis mōtibus umbras?
Quis gelidas uitreis fontibus addat aquas?
Mœrentem ſolare animum quem diue ruentem,
E Stygia reuocas ne moreretur aqua.
Ille quidem per te ſibi redditus ultima primis
Comparat, & prudens hæc fugit, illa probat.
Qui ſua dum iuſta trutinat commiſſa bilance,
Non ſemel eſt faſſus quod ſapit eſſe tuum.
Ergo prius, quem pulchra canunt mendacia uatum,
Solari exuſtam lampade tanget humum.
Ante mari uolucres, paſcentur in aëre piſces,
Ante oriens ueſper, ueſper Eous erit.
Quàm mea mutatis langueſcant pectora uotis,
Deuotam ſatis eſt me ſemel eſſe tibi.
Sicut enim aſſiduis decoctum ſolibus aurum,
Amplius, exactum, quod fuit eſſe nequit.
Sicut & aëreo Phœnix reparatus in igne,
Non idem eſt iuuenis qui fuit ante ſenex.
Si quem tota ſemel diuini flamma caloris
Hauſerit, antiquum non remeabit iter.
O dulces flammas ô grata incendia menti,
Quæ tota in Chriſto liquitur atq; fluit.
Non ego quas toto cogit mercator ab orbe,
Non ego quas totus continet orbis opes.
Deniq; non toto uellem prius orbe potiri,
Quàm te non toto pectore Chriſte ſequi.

Gratia

Gratia diue tibi, tu me pater iſta negantem,
Duxiſti ueræ per pietatis iter.
A quoties niueo ſubit iſta notanda lapillo,
Quæ mihi te dederat prima uidere dies.
Vt celebris ſacra ſpectandus in æde Sacerdos,
Supremi populo preco tonantis eras.
Iam tibi contempti mundi fallentis honores,
Materiam uerbis exhibuere tuis.
Vt ſit in hac uita breuis & & fugitiua uoluptas,
Cui paret æternas altera uita cruces.
Vtq; ſit in cœlo cui ſordeat iſta futurus,
Ante triumphantes umbra beata choros.
Quanq; incerta dies quæ nos hoc corpore ſoluat,
Quam certum cunctis debeat eſſe mori.
Deniq; quàm ſit homo facili mutabilis aura,
Dum memoras uerbis talibus uſus eras.
Bulla paluſtris homo, uentus, flos, puluis & umbra,
Incipit & ceſſat, naſcitur & moritur.
His mea mouiſti nuper duriſſima corda,
Hæc mihi tardanti non leue calcar erant.
Acceſſi & ſupplex populo ſpectante rogabam,
Curuato nudum poplite flexa genu.
Plene deo linguaq; potens, animoſe pia ui,
Mole ſua preſſos docte leuare animos,
Innumerabilium preſſæ grauitate malorum,
Ad ueniam reditus ſi datur æde precor.

Multa precaturam lachrymæ uetuere, nec ipſe
  Paſſus es aut fruſtra quærere ſiue queri.
Atq; ita ne dubita, ſpera bene, ſiſte querelas,
  Quam petis eſt facili cauſſa tenenda modo.
Pondere multiplicis quantumuis obruta culpæ,
  Non eſt ad ueniam ianua clauſa tibi.
Tanta Dei pietas, tanta eſt clementia Chriſti,
  Vt miſeros etiam uiuere pene roget.
Quàm miſere & quoties cecidit peccator aberrãs,
  Vt citius ſurgat porrigit ille manum.
Venit enim ſaluare omnes non perdere quenquàm,
  Per quem Chriſticolæ turba redempta ſumus.
Magna habet hæc ætas, maiora exempla uetuſtas,
  Tu quoq; de multis pauca tenere potes.
Nil Maria Aegyptus nil Thaide peius habebat,
  Improba Magdalidum de tribus una fuit.
His tamen acceßit repetiti gratia Chriſti,
  Nunc paſcunt ſuperas turba beata dapes:
Sperne igitur placidum mundi fallentis amorem,
  Fide Deo, maculas diluet ille tuas.
Sic breuiter mecum populo mirante loquutus,
  Vrebas quadam pectora noſtra face.
O uox plena ſpei, dulcis uox plena ſalutis,
  Dulce melos noſtris auribus illa fuit.
Vix gauiſa magis præſentis uoce magiſtri eſt,
  Cui peperit ueniam lachryma faſſa nefas.

Lætitia quoq; uix credam potiore fuiſſe,
Quem ſolata Dei uox morientis erat.
Lætior inde abij quamuis quoq; triſtis ut eſſem,
Facta prius uitæ cauſa fuere meæ.
Tunc mihi quot madido uigilatæ lumine noctes?
Quàm multa aſſiduis fletibus acta dies?
Donec ut es miſerûm doctus miſereſcere Noni,
Fulcita eſt manibus noſtra ruina tuis.
Tu nimia obſcuræ merſam caligine noctis,
Iuſſiſti inſolitæ lucis adire diem.
Per loca uiroſis errabam plena colubris,
Tu poteras tutæ reſtituiſſe uiæ.
Iactatam dubio pugnantibus æquore uentis,
Duxiſti in tutam Typhi fidelis humum.
Frigida ſomnifero quaſſatæ tempora ramo,
Mortua depulſa lumina nocte leuas.
Iam quoq; uicini ſubeunti limen Auerni,
Non hac dicebas, itur ad aſtra uia.
Protinus in tenebris apparuit error eunti,
Qui mihi deliciæ nuper amorq; fuit.
Tum primum agnoui quàm me blandiſſima Siren,
Penè ſub infames præcipitaſſet aquas.
Sic quis in Ionio ſulcans uada cærula ponto,
Ni caueat dulci perditur exicio.
Hac quendam cauiſſe ferunt duo luſtra uagantem,
Dum ſpolia in patriam Troica portat humum,

Qui niſi ſpreuiſſet blandas audire querelas,
Subdiſſet miſeræ ſeq; ſuosq; neci.
Tu quoq; uicina niſi me de morte tuliſſes,
Infernos alerem iam quota præda canes.
At bene ſucceßit quòd gaudia falſa ſequenti,
Indice te fuerint cognita uera mihi.
Quæ ſimul agnoui, ualeat prius oē quod actum eſt,
Quæ ſuperant, dixi, tempora lucis erunt.
Sic aliquis cæco puer enutritus in antro,
Lucis egens tenebras omnia habere putet.
Qui ſimul inuiſæ paulatim aſſueuerit auræ,
Amplius in cæca non uolet eſſe domo.
Miraturq; nouas formas rerumq; colores,
Multaq; inexpleto lumine monſtra uidet.
Sic aliquis ſpectans fallacis inania ſomni,
Mente ſoporata gaudia uera putat.
Vt uero euigilat blandæ ludibria noctis
Damnat, & ex animo non cecidiſſe dolet.
Sed ne forte pias offendam pluribus aures,
Cætera ſunt animo concipienda tuo.
Sponte ſua nec enim licet addere calcar eunti,
Sic pietas nobis cognita ſæpe tua eſt.
Et nunc incipio canis albere capllis,
Et prope ſupremum ſuſpicor eſſe diem.
Quid faciam? quo fine iubes hanc ire ſenectam?
Indicio certam da pater eſſe tuo.

Opprimor

Opprimor immodicis ſub iniquo pondere curis.
Meq; uocat primum ſubdita turba patrem.
An decet hoc celare etiam & poſt fata latere?
Nunc ego ſum uitæ penè inimica meæ.
Hac pater obteſtor me ſollicitudine ſoluas.
Siue ego ſum frater ſiue uocanda ſoror.
Iamq; uale noſtrisq; fauens accede querelis,
Et lege placato carmina noſtra Deo.

MARIA AEGYPTIA ZOZIMAE.

ACcola fluctiuagi rapidas ad Iordanis undas,
Cognita nõ ulli ter tria luſtra uagor.
Proxima poſt nonã ſucceſſit Olympias, et iã
Alter in obliquo tramite Phœbus erat.
Cum tot ab humanis poſitæ congreſſibus annis,
Miſſus es optatæ ferre ſalutis opem.
Excidit? an memor es qua ſis mihi parte monendus?
Aut etiam quæ ſim forſitan ipſa rogas?
Hoc te ſancte pater non conuenit eſſe putari,
Ex uultu probitas emicat ipſa tuo.
Non mea ſignatam quòd habebat epiſtola frontem,
Nec mihi qua premerem uincula gemma fuit.
Forte quis addubitet qui me non nouerit unquàm,
Sed tamen haud ratio conuenit iſta tibi.
Nam mihi ut incœpta eſt titubanti littera dextra,
Pro ſigno uerſus unus & alter erant.

Accola fluctiuagi rapidus ad Iordanis undas,
Non tibi, ſi neſcis, ſorte reperta fui.
Ipſe pater ſuperum mihi te tranſmiſit, ut eſſes
Communem populo teſtis iniſſe uiam.
Et ſimul humanis abituræ rebus eundum,
Qua ſit, opus uerum præmonuiſſe fuit.
Neu tantæ ieiuna uiæ commiſſa fatiger,
Ante hic cœleſti me uegetare cibo.
Hunc ex te monitore Deo cum ſorte rogarem,
Polliciti, recolo, ſumma erat iſta tui:
Quæcunq; es tacitæ cultrix inſignis eremi,
Pars ego ſim precibus quantulacunq; tuis.
Non mihi ſorte aliqua caſu ue reperta, ſed ipſo
Quem colis, ut fieres nota, uolente Deo.
Lucifer igniferum cum Phœbus obiuerit orbem,
Accipies auido quem petis ore cibum.
Terribilis duodena rotæ ſemel aſtra remenſus,
Sol ſtupet egreſſum iam rediturus iter.
Noſtra nec interea tetigiſti littora, nec dum
Addita pollicita eſt in tua uerba fides.
Longa uia eſt & tu cumulato tardior æuo,
Nullaq; adhuc forſan eſt uia cœpta tibi.
Hei mihi quando feram languentis uota ſenectæ?
Spem ueniæ, uitæ gaudia, mortis opem?
Vt Sol occiduas feſſus declinat in undas,
Nec iam cum ſuperis amplius eſſe poteſt.

Sic meã

Sic mea præteritos ætas dum reſpicit annos
Vix ſe poſſe putat longius ægra trahi.
Iam mihi maturam faciunt ter quinq; ſenectam
Luſtra, meas pulſat mors remorata fores.
Sat uitæ ſatisq; datum, quæ deinde ſequetur,
Eſt alio melior uita futura loco.
Prima ſed heu nimium iuueniliter acta iuuenta eſt,
Pars uitæ breuior ſola dicata Deo eſt.
Ah pudet & ueteris dolor eſt meminiſſe ruinæ
Nam ſua quis dici turpiter acta uolet?
Attamen eſt ratio quæ nos ea dicere cogat
Tu pondus merito præcipientis habes.
Et cur ante Deum pudeat male facta fateri
Ad ueniam faſſis qui pius eſſe ſolet?
Prima ſuis luſit numeris improuida certe
Quæ tria uix ætas claudere luſtra ſolet.
Hoc ego uulgares ſum tradita tempore in uſus
Turpibus heu nimium quæſtibus auſa frui.
Nec Cypriacis fuit unquam peior in armis
Tam bona Pontigena ſub duce miles eram.
Mœnia Pellæo iuueni fundata colebam
Quis nihil Aegyptus clarius alma uidet.
Tam nimia primam polluta libidine uitam
Perdita iam mundo uiuere certa fui.
Fit peregrinantum Solimam concurſus ad urbem
Cauſſa nouæ populis crux pietatis erat.

Per mare ſulcantes adij uada cærula nautas
Non fuerant uotis inuida turba meis.
Mercedem rigidus poſcebat nauita iuſtam
Pro naulo miſerum corpus habere dedi.
Ventum erat ad ſanctum Solomonia templa Siona,
Illo conſtiterat crux ueneranda loco.
Hic ego ter conata ædes intrare ſacratas
Ter iacui ſacras ante repulſa fores.
Dum queror & merito iſta pati, ſine teſte, recordor
Viſa mihi à dextra eſt matris imago Dei.
Acceßi, ſupplexq; Deam ſic orſa precabar:
O mater thalamo nullius uſa uiri.
Aſpice me qua corda ſoles pietate tuorum
Viuam quod supereſt temporis omne tibi.
Annuere oranti uiſa eſt mitißima uirgo,
Amplius haud ulla eſt facta repulſa mihi.
Hic mihi neſcio quæ ſtupidas uox fertur ad aures
Iordanis ad ripam uita petenda tibi eſt.
Obſtupeo uocemq; ſequor iam certa prioris
Delitias uitæ linquere, inire nouam.
Tempore ab hoc deſerta colo tot ſola per annos
Hic quam perdideram uita reperta mihi eſt.
Hic mihi parta quies nullo mutabilis æuo,
Cœleſtem referunt hoſpita luſtra domum.
Deſerat hic fugiens morientes ſpiritus artus,
Hic mea ſub uiridi ceſpite membra cubent.

Hic ego

Hic ego me uidiſſe aliquem tot euntibus annis
 Non memini præter teq; trucesq; feras.
Tu mihi præſentis poſituræ munera uitæ,
 Miſſus es ignotæ lucifer eſſe uiæ.
Ipſa uiam ingredior morti uicina propinquæ
 An ne precor ſolam me pater ire iubes?
Heu timidam noctis terrent ſimulachra futuræ
 Suetaq; ad extremos larua uenire dies.
Seu uigilant oculi, cæca ſeu nocte premuntur,
 Sollicitor uarijs hoſte minante modis.
Triſtia nunc ſtupidam turbant inſomnia mentem
 Qualia lymphati ſæpe uidere ſolent.
Sæpe mihi uideor deſerta per auia longam
 Ignotamq; ægre carpere ſola uiam.
Te pater interdum deſerta quærere terra,
 Hoſtiles omni parte timere minas.
Vtq; agit in ſomnis ferus ille & perfidus hoſtis
 Sic neq; concuſſæ tempore lucis abeſt.
Hæc ego te patior noſtro tardante periclo,
 Spes tamen eſt animi fomes, & aura mei.
Spiritus infirmis uix artubus æger adhæret
 Et ſitiens dura planta laborat humo.
Vtq; uagus liquidas ceruus deſyderat undas
 Quando grauem poto pertulit angue ſitim:
Omnibus impatiensq; iugis & uallibus errat
 Arida ut inuento pectora fonte riget.

Sic ſitit hic animus uiuum, ſua gaudia, fontem
Sic panem mea mens eſurit ægra Deum.
Quis dabit hoc miſeræ, ut corpus poſitura caducum
Ex manibus capiam fercula ſancta tuis?
Quando erit ut ueniam, & uultus ferar ante beatos,
In quibus eſt ſuperis gloria plena choris.
Credo equidem nec uana fides, quia uiuit & ipſum
Vita redemptorem eſt noſtra ſequuta Deum.
Quem proprijs uiſura oculis in carne reſurgam
Cum ſub eo ſtabit iudice ſumma dies.
Ergo læta feram patiendæ uulnera mortis
Hæc eſt in tacito ſpes mihi clauſa ſinu.
Vix tamen ante iſto mortalis carcere uitæ
In ſe diſſolui ſpiritus ipſe poteſt.
Quàm mihi promiſſæ portanti dona ſalutis,
Ad ſacros liceat procubuiſſe pedes.
Fiat ut hoc præſtare tuum eſt, idq; eſſe memento
Polliciti ſeriem diximus ante tui.
Hoc eſt quod multis facit anxia pectora curis
Hoc eſt quod requiem non ſinit eſſe mihi.
Hoc ego tot lachrymis hoc tot ſuſpiro querelis
Hæc uoti ſeries ſummaq; ſumma mei.
Tardior ipſe tamen nunquid ſpe ludis inani?
Aut fortuna tuæ non fuit æqua uiæ.
Ah quoties rapidi remeaui ad Iordanis undam
Ah quoties refero tardior inde pedem.

Spes tamen

Spes tamen adiecta eſt noſtris non inuida uotis
Solatæ cœlo commiſerante ſumus.
Nanq; ita ſcribenti tanquam ſpes omnis abiſſet,
Vox bona, ne dubita, iam properabit, ait.
Sancte pater propera promiſſaq; debita firma
Cauſſa eſt cur properes magna decensq; tibi.
Non tibi nunc oneri, neq; tarda futura ſenecta eſt
Quemq; feres tecum te feret ille mihi.
Ipſe etiam rapidas ſternet placididißimus undas
Inclyta qui gemini nomina fontis habet.
Vtq; olim placidum Chriſtus ſuperaſtitit æquor
Sic ibis ſicco per uada ſumma pede.
Ipſa frequentatum te præſtolabor ad amnem
Nec uia carpenda eſt longior ulla mihi.
Hæc quoq; uerba loco partim nunc ſcribimus illo
Hei male frigenti uerba nouata manu.
Cernis ut aërea cortex mihi raptus ab ulmo eſt
Arida funebres fecit arundo notas.
Nunc tamen hanc miſeræ ſatis eſt ceciniſſe querelam
Quod ſupereſt unum te pater eſſe decet.

DOROTHEA THEOPHILO.

HAec tibi de ſponſi munuſcula mittimus horto
Frigida quo nunq̄ tempore uernat humus
Accipe, ne dubita, non eſt roſa falſa, nec ipſa
Inficit adiectus punica mala rubor.
Non tamen has Cytherea roſas Venus ulla colorat
Non has Idalio ſub lare ponit Amor.
Roſſidaq; Heſperidum non legit ab arbore poma
Qui tibi miranti tradidit iſta puer.
Ipſe ſuo ſponſæ tranſmiſit Chriſtus ab horto,
Gratia ubi æternis uernat amœna roſis.
Ad loca ducebar patiendæ proxima mortis
Ante meos oculos conſtitit iſte puer.
Has tibi ſponſa roſas ſponſus tranſmittit Ieſus
Hinc ubi nulla herbas bruma perurit, ait.
Mandati memor ipſe tui, puer optime dixi
An meus hinc aliquo nuncius eſſe uoles?
Annuit, ergo, inquam, uade atq; reuerſus in urbem
Ardua Romani limina quære ducis.
Protinus occurret tibi ſcribarum optimus illic
Qui graue diuini nomen amoris habet.
Poſtquàm conſtiterit, quæ nunc mihi munera portas
Cum tribus hæc illi da tria mala roſis.
Si rogat unde feras uernos in frigore odores
Hos tibi Dorotheam ſic tribuiſſe refer.

Finieram

Finieram, iniectæ reliquum uetuere cathenæ,
Quaſſaq́; crudeli uirga cruenta manu.
Conſtitit ill tamen mandataq́; talia paucis,
Scribe ait & tabulas protulit atq; ſtylum.
Vix potui exiguo ſpacium exarare labori,
Tam fera Fabricij Conſulis ira fuit.
Ipſa per urentis conſedi in frigore ſaxi,
Pallida iam uirgis, frigore, fuſte, metu.
Multa minans lictor uirgas uibrabat & enſem,
Scribere tunc quicquam me potuiſſe putas?
Applicui tamen & digitos in uerba coegi,
Vt glacies gelidæ diriguere manus.
Afflabam calido torpentia membra uapore,
Viuus adhuc noſtri ſpiritus oris erat.
Parte manus liquefacta rudes utcunq́; lituras,
Aedidit inferias funeris ipſa ſui.
Qualiter ad Phrygij Meandri littora cygnus,
Cantator mortis dicitur eſſe ſuæ.
Mittimus ergo roſas quas & quæ mala petiſti,
In Paradiſiacis utraq; lecta iugis.
Hoc tam credideras fieri quàm climate noſtro,
Sole ſub hyberno poſſe uirere roſas.
At locus eſt primo Phœbi ſurgentis in ortu,
Aerea ſupra tertia regna poli.
Culta ibi uiuaci uiridaria cincta ſmaragdo,
Cœleſti florum fertilitate uigent.

Angelicis illic manibus ſata germina fragrant,
Ver ibi perpetuum perpetuusq; dies.
Flaminibus uiuax agitur cœleſtibus aer,
Neſcit uitalem peſtilis aura locum.
Denięq; non alicui locus iſte obnoxius aſtro
Verna domus ſponſi eſt delitiæq; mei.
Accipit hic puras terreno ex carcere mentes,
Hic patet æthereæ ianua prima domus.
Hunc uacuum fecit mortalibus Hæua colonis,
Heu nimis audaci noxia facta manu.
Hinc mihi florigerum puer attulit ille caniſtrum,
Quem tibi nunc idem dona petita tulit.
At tu ſi ſapies non tam mirabere dona,
Quàm dare qui, quoties collibet, iſta poteſt.
Februa ſydereo quo Luna in piſce tenetur,
Aeſtiuas quis eo tempore quærat opes?
Itala iam nullos mittit Lucania flores,
Difficilis paſtum nobile claudit hyems:
Nulla Syracuſiæ iactant uiolaria ualles,
Florida Riphæa ſpargitur Hybla niue.
Mœonis haud croceis floret nunc Lydia campis,
Nec niue ſed uerno Tmolus honore uacat.
Languit Aßyrium florum genus omne per orbem,
Hierichus Scythico mœret aduſta gelu.
Lugent Heſperidum pomaria nuda ſororum
Perdidit æſtiuum punica terra decus.

Omnia

Omnia quæ noſtro Sol deſpicit altus in orbe
Nunc ſine læticia nunc ſine honore iacent.
Deniq; nunc uireantq; roſæ uernentq; uireta,
Totaq; florigeram gratia pingat humum.
Quis mihi propoſitæ paſſuræ uulnera mortis,
Florida in extremo funere ſerta ferat?
Quisue ſinat legiſſe manu per uincla retentam?
Nullius hic cauſſam ſuſpicionis habes.
I nunc Chriſticolæ ride promiſſa puellæ,
I nunc & Chriſtum numen habere nega.
Quin potius per ſigna Deum cognoſce potentem,
Et ſequere hac qua me conſpicis ire uia.
Hac ſequere ad ſuperas hæc proxima pertinet arces
Tartara deſipiens hactenus ima ſubis.
Aſpice præterea uarias tot ſigna per urbes,
Qualia ueſtrati ſub Ioue nemo facit.
Et uera cognoſce Deum ratione potentem,
Et ſequere hac qua me conſpicis ire uia.
Et niſi præſenti mens ebria fallit amore
Mutato Chriſti pectore miles eris.
Tu quoq; uiuificæ guſtabis pocula mortis,
Hæc quoq; uicturo ſtrata palæſtra tibi eſt.
Poſtmodo cæleſti mihi reſpondebis in horto
Tunc capiti reddes florida ſerta meo.
Nunc ego ſollicitor properatum imponere finem,
Heu mihi quàm duram mox obitura necem.

Certe tibi interea fidei ſint pignora noſtræ,
Addita purpureis punica mala roſis.
Si tamen hoc aliqua corpus dignabitur urna,
Poſteritas cineri ſic precor adde meo.
Vltima Dorotheam pro Chriſti uulnera paſſam,
Hoc me idem tumulo condidit, hoſpes abi.
Cætera quæ uolui tecum puer iſte loquetur,
Sit licet, eſt ſuperum numen ab arce, puer.
Frigida nunc auidæ præbemus colla ſecuri,
Deq; meo modicum carmine uulnus abeſt.
Chriſte fer hanc animam promiſſi in gaudia cœli,
Ipſa tuo ſoluor carcere terra, uale.

EOBANVS POSTERITATI.

Quã legis Heſſus amãs quõdã tibi diua reliqt
Ipſa tuo ut legeres tempore Poſteritas.
Nãneq; tũc fueras cũ ſcriberet ille nec unq̃
Sperauit uultus poſſe uidere tuos.
Quam ſibi præſentem nemo conſpexerit unquàm
Omnia quæ ſequeris ultima ſemper anus.
Quo magis appeteris magis hoc fugis improba retro
Ludis amatores lubrica diua tuos.
Atq; ut ſemper abes præſens uiuentibus æuum
Sic ſi reſpicias priſtina ſemper ades.
Sed neq; præſentem nos te ueneramur amantes,
Neſcio qua potius laude futura places.

Nata diu

Nata diu uiuis, quæ nondum nata, futura es
Vatibus antiquis nata, futura mihi.
Nemo tuis potuit uiuens amplexibus unquam
Nemo tuo præſens captus amore frui.
Lubrica decedens, ueniens ſimul atq; reſiſtens,
Non tua deprehendi mira figura poteſt.
Non mihi te Coi manus ingenioſa magiſtri,
Pinxerit aut Zeuſis, Parrhaſiusue ſenex.
Non uidit plures fingentem Prothea formas,
Omnia in Oceano cognita turba mari.
Adde modo ut uenias uultu non ſemper eodem,
Conſtes interdum nigra aliquando nitens.
Sæpe quidem multos qui te impatienter amârunt
Reijcis, & nulla laude ſuperba iuuas.
Contra etiam multos ita diligis optima mater
Vt uita dignos perpete in aſtra leues.
Et tamen omnigenum iudex æquiſſima rerum
Et iuſta ex omni parte ſtatera tua eſt.
Seu mihi dura igitur mater ſeu blanda futura es,
Inter amatores fer precor eſſe tuos.
Vltima tu noſtras Heroidas inter haberis
Vltima non cunctis rebus adeſſe ſoles.
Attamen ut noris primam te ſemper amaui,
O animæ certe cura ſecunda meæ.
Te prius ex animo finxi quàm diſcere poſſem
Qua mihi præcipue parte ſequenda fores.

Ingenium tibi penè puer iuuenile dicaui
Eſſe tuæ cupiens pars quota militiæ.
Ergo utcunq; legis olim mea carmina quisquis
Venturæ ſocius poſteritatis eris.
Quæ mihi terra parens, quæ noſtræ ſtirpis origo,
Quæ fuerint uitæ tempora, noſſe uoles.
Qua uidet undantem fluuio Germania Renum
Et uelut in centrum Teutonis ora coit,
Terra uiris colitur, Cattos dixere uetuſti,
Nunc aliud pugnax Heßia nomen habet.
Mons ibi Chriſtiferæ celeberrimus æde puellæ
Radices uitrëis Aedera lambit aquis.
Parua quidem noſtris ſed Francoberga Camœnis
Obſcuras inter non habitura locum.
Si modo tu fama uatem dignaberis ulla
Poſteritas qui te tam reuerenter amat.
Illic uitales primum decerpſimus auras,
Naſcenti primam præbuit illa diem.
Iam ter quinque ierant à nato ſecula Chriſto,
Annos deme tamen cum tribus inde nouem.
Quaq; ego naſcebar fulſit lyra nocte, fuitq;
Vna ortus facies illius atq; mei.
Non ego falſa loquor uertentem conſule mundum,
Sacra dies Iani Regibus illa fuit.
Quæ mihi ſigna domus, qui ſint ne quære parentes
Pauper uterq; fuit ſed ſine labe parens.

Non ge-

Non genus aut proauos numero non ſtemmata auorũ
Virtute ô utinam nobilis eſſe ferar.
Prima quibus puero ſtudijs accreuerit ætas,
Nil moror & certe nemo rogare uolet.
Protinus hinc primis quantumq; recordor ab annis
Neſcio quo uatum nomine raptus eram.
Nondum cognoram nomen titulumue poetæ
Ipſe mihi nondum Tytire notus eras.
Dixerit incauto ſi quis tamen ore poëta,
Protinus impatiens & ſine mente fui.
Nectebam numeros ratus utcunq; decere,
Lex mihi tum uerſus cognita nulla fuit.
Tam fuit ignotis fautrix natura poetis
Da ueniam ſuperis hi mihi maius erant.
Viuere iam nullos omnes uixiſſe putabam,
Tam puer & nondum forte decennis eram.
Nanq; ferè nuper Germania noſtra ſolebat,
Non pueros ſtudijs ſed dare pene uiros.
Quippe magis bello atq; armis intenta gerendis
Res tantum Latio protulit ore ſacras.
Nunc uero Auſonias ita ſe conuertit ad artes,
Vt Latio fuerit penè latina magis.
Atq; ut eo redeam quo ſum digreſſus, ut autem
Nunc etiam uates uiuere certus eram.
Sorduit humanas quicquid ſibi ſubdere mentes,
Diſplicuit poſſet quicquid amare puer.

Obtulit in triuijs quendam fortuna magiſtrum
Qui numeris certum diceret eſſe modum.
Hunc colui ſupplex illi tantiſper adhæſi
Dum didici certis legibus ire pedes.
Sponte ſua influxit paucis mihi Muſa diebus,
Et mihi iam puero non leue nomen erat.
Vt non præcipuus dubitarit ſcribere uates
Heſſe puer ſacri gloria fontis eris.
Carmina cum primum populus mea lecta probaret
Clauſa ferè fuerant iam tria luſtra mihi.
Illo me ſtudijs Erphurdia magna fouebat
Tempore, & ingenij publica ſigna dedit.
Et iam quarta meis acceßit Olympias annis
Bucolicis luſit noſtra iuuenta modis.
Pluraq; præterea iuuenilia carmina luſi
Quæ, quia ſunt etiam publica, noſſe potes.
Nunc mihi ab undecimo ter quintus uiuitur annus
Aetatis non eſt plus ue minus ue meæ.
Tempore quo Cæſar ter maximus Aemilianus
In Venetos duri fulmina Martis agit.
Scribimus illuſtres Heroidas ecce puellas,
Has tibi præcipue dedico poſteritas.
Accipe diua ſenex gremio tua pignora amico,
Si potes atq; piæ nomina matris habes.
Has partim abſoluit ſub iniquo Prußia cœlo
Qua uagus admiſſas Viſtula ſorbet aquas:

Partim

Partim ubi flauentes niger Odera uerſat arenas,
Abſolui uidit nobile Gymnaſium.
His mea Peligni mirari muſa poëtæ
Ingenium potius quàm ſapere auſa fuit.
Hactenus à ſtudijs ſi non uera omnia ſcribo
Vltima qua fallam cauſſa ſit iſta precor.
Quos tulerit noſtro Germania tempore uates,
E multis aliquot dicere forte roges.
Quisquis es Hutteni lectos percurre libellos
Quemq; ſuo reddit nomine quemq; loco.
Inſpice Poſteritas Hutteni carmina uatis,
Hunc recto poteris dicere iure tuum.
Hac igitur, forte atq; alia ratione, poëtæ
Nullius in noſtro carmine nomen erit.
Nomina tranſierim uatum non digna malorum
Inuidia dicar non caruiſſe malis.
Vatibus addidero doctis mala nomina forſan
Iudicium dicar non habuiſſe bonis.
Fortunæ atq; animi iam dudum munera noſti,
Naturæ ſupereſt dona referre meæ.
Corpus erat membrisq; decens patiensq; laborum,
Robore firma ſuo, brachia, crura, latus.
Forma uirum decuiſſe poteſt, ſine labe decensq;
Frons diuerſa, animi ſpiritus altus erat.
Hactenus hæc iuuenem de ſe dixiſſe ferens
O quibus aut lecta eſt aut mea muſa placet.

Luſimus hæc certe properanti carmina plectro,
Dum nimis ad metam noſter anhelat equus.
Parcite ſi qua minus iuſtum referuntur ad unguem
Hæc ſunt ingenij munera prima mei.
Tempora uenturæ tangam ſi forte ſenectæ
Plura quidem primis & meliora dabo.
Tum quoq; Poſteritas tibi multa legenda relinquã,
Tanquàm primitias ſuſcipere iſta uelis.
Et me, ſi mereor, nec enim eſt attingere primos,
Poſtremos inter temporis huius habe.

ECCLESIAE AFFLICTAE EPISTOLA AD LVTHERVM.

CAPTIVA LVTHERO.

HAnc tibi, cũ legeres, Eccleſia uincta Luthere,
An lachrymis oculi commaduere tui?
An grauis inuictum tenuit conſtantia pectus
Fluctibus in tantis uindice tuta deo?
Idq́; ego crediderim de te, quem nulla hominum uis,
Vincere, nec triſtes eualuere minæ.
Nec dubitare potes, quæ cauſſa coegerit iſthæc
Scribere, materia eſt cognita tota tibi.
Sera ſed hæc forſan ſi littera uiſa uenire eſt,
Vix etiam hoc noſtra eſt tempore clauſa manu.
Tam mea carnifices laniarunt uiſcera dextræ,
A quibus indigna conditione premor.
Aſpicis immodico fœdas ſqualore tabellas,
Vtq́; ſuum teneat littera rara locum.
Talia captiuæ deducunt carmina, tales
Exprimit obſcuri carceris umbra notas.
Enecor inq; dies curis abſumor acerbis,
Reſtat in hoc uiuum corpore pene nihil.
Sic ſum feſſa malis, ſic fracta laboribus iſtis,
Si uideas ultra poſſe dolere neges.
Ille tenet uinctam qui ſe caput orbis, & ipſum
Ipſe ſuas ſordes extulit ante deum.

Quem mea crudeli fœdaturum ubera dextra
Olim fatidici præmonuere ſenes.
Et niſi me, ſed quem fallant oracula uatum
Beſtia uaſtatrix non erit iſta diu.
Tu modo ſicut habes uictæ decus, utere parto
Elabi manibus ne queat illa tuis.
Et facis, & per te nos uindicat ira tonantis
O noua ſpes noſtris facte Luthere malis.
Adſeris amiſſæ quia libertatis honorem,
Me quia captiuam poſſe manere negas.
Macte animo, cœlum petitur uirtutibus iſtis,
Talia conantes omnia poſſe puta.
Aude animo, pulchram meriti laturę coronam
Fide deo, partes proferet ille tuas.
Certa tibi mecum uictoria ſtabit ab illo,
Qui caput & ſponſum ſe facit ipſe mihi.
Tunc ubi degenerem, Chriſto duce, ſtraueris hoſtē
Ipſa feram meritis præmia digna tuis.
Nanq; ita non cecidi quin poſsim ſurgere, ſi ſit
Qui leuet, & curæ nos habuiſſe uolet.
Salua fides nobis, & adhuc ſtat gratia Chriſti
Obruta quæ uires non habuere ſuas.
Victa fides operum latuit ſub imagine falſa
Gratia ſub dura lege ſepulta fuit.
Quæq; tibi ut uideas, non eſt opus indice, nam ſunt
Omnia iudicio cognita noſtra tuo.

Quæ ti

Quæ tibi ne mœſto referantur ſingula uerſu.
Nota mei breuibus ſumma doloris erit.
Nam ſi omnes referam, cladum primordia, cauſſas,
Carmine in hoc finem non habitura fui.
Non queror à paucis culpas ueniſſe malorum
Omnes Chriſticolas opprimit una lues.
In mea crudeles graſſantur uiſcera nati
A quibus ubertas noſtra tuenda fuit.
Nempe ſalutifera quondam fœcunda iuuenta
Nil pario præter monſtra, trucesq; feras.
Et niſi tu renoues noſtræ primordia uitæ,
Mortua iam, mundo pene uidebar anus.
Sed quia facta mihi eſt per te ſpes poſſe reducti,
Solor præſenti damna priora bono.
Quod licet emineat uix, & pectora reſidant
Spem tamen, exiguum hoc, ad meliora facit.
Multa quidem per te ſunt reddita lucis ademptæ
Signa, quibus uideor non ita tota mori.
Quod tamen in primis multa ratione dolendum eſt;
Per mea diripior uiſcera, mille modis.
Atq; ut pauca mei referam tormenta laboris
Quæ noceat peſtis, qua premar hoſte uide.
Cernis ab Auſonia quæ me uis urgeat arce,
Carcer, ſi neſcis, maximus ille mihi eſt.
Illo noſtra loco uirtus elanguit omnis
Quo deus eſt quiſquis peßimus eſſe poteſt.

Qui ſibi commiſſas quas deuoret atq; trucidet
Non alijs, Chriſti nomine, credit oues.
» Quem cathedras aiunt Galilæi inſidere Petri,
Et neq; mentitos hoc pudet eſſe nefas.
Cum ſi Romuleam Petrus unquam uenit in urbem,
Quem iactant ſedem uix tenuiſſe putem.
Atq; utinam ut cathedra gaudent ſediſſe Petrina
Vita gauderent illius eſſe pares.
Arma quidē ſed falſa gerunt, quibus omnia terrēt
Vt pueros laruæ ſæpe fugare ſolent.
Nam quibus exemplis triplicem geſtare coronam,
Audet Acidalijs mollior iſte roſis.
An quia ſceptra tenet dominati ditia mundi
Rex, pater, Auguſtus, per tria regna potens?
An quoniam triplici, ter maximus, imperat orbi
Cœlitibus, terræ, tartareoq; gregi?
Petre doles ne tua tales in imagine uultus
Petre tuis meritis iſta corona datur?
Talem Petre tulit cruce cum penderet ab alta,
Qui tibi commiſit quas redimebat oues?
Roma quid infœlix hoc principe contulit orbi,
Illius exhauſto prorſus auaritia.
Quis dabit ut pro re plorem ſatis? aut ubi plorem?
Hæc flenti ex animo quis mihi teſtis erit?
Non habet acceptas pietas inuiſa querelas,
Sint licet & iuſtæ, ſint licet & meritæ.

Aſpice

Aſpice tot fratres illi, quot ubiq; locorum,
Signat mitratos tonſa corona patres.
Quorum qui præſtant opibus, nam regibus audent
Eſſe pares, titulis gloria prima datur.
Horum par ſuperis reuerentia, parq; poteſtas,
Hunc modo ſi finem faſtus habere queat.
Hi quoq; paſtorum gaudent cognomine, uerum
Quam quod amant dici, nil minus eſſe liquet.
Nam cum ſint ueri partes paſtoris, ut ipſas
Verbi Euangelico germine paſcat oues.
Non ſolum non paſcere oues ijs cura, ſed omni
Vellere, parte, loco relligionis habent.
Cunq; nec ipſi obeant, nec dignis paſcua mandent,
Præda lupis miſeræ deſtituuntur oues.
Atq; ita, me miſeram, totos mutilata per artus,
Vix animam uiui pectoris ægra traho.
Dum quo debuerant nobis peperiſſe ſalutem,
Illo ipſi gladio nos iugulare ſtudent.
Vt taceam quibus illi opibus, quantisq; tyrannos
Muneris obliti pontificalis agant.
Prætereo quales horum ſpectentur in aulis
Turba uoluptates mixta libidinibus.
Quis ferat extructis, quorum tot milia templis,
Inuectum faſtus diuitis omne genus.
Quorum ſacra nihil niſi ſunt ſpectacula uulgo,
Ipſe tuum iures Romule munus agi.

Inſanis reſonant clamoribus omnia, credas
Arcadij pecoris rudere mille greges.
Omnia quis referat quorum cauſſa unica lucrum
Deſtituit ueram cum pietate fidem?
Iam ſacra tractantum populus, myſtæq; minores,
Quanta putas noſtræ crimina cladis erant?
Quando ita maiorum ueſtigia certa ſequuntur,
Vt quod aberrârint crimen habere putent.
Recte equidem, ſi uera ſequi, non falſa, profeſſos
Si ſtudeant Chriſto uiuere, non homini.
Nunc nihil improbius, nihil immoderatius illis,
Maxima pars quorum diuia templa colunt.
Horum Euangelicis uita eſt ita conſona uerbis,
Vt nihil inde magis credere abeſſe queas.
His ſunt arma, quibus pulcherrima ſacra tuentur
Luxus, auarities, ſors, gula, ſtupra, doli.
Ah pudet ulterius, nec enim decet, exprobret autem
Qui uolet, hoc noſtrum eſt, flere, dolere, queri.
Non tamen hæc omnes tam flagitioſa libido
Inficit, ut ſanum nil ſupereſſe queat.
Quamuis ô noſtri uindex fortiſsime honoris
Hoc etiam ſanum uix reperiſſe licet.
Quæ loca nam noſtrum non occupat illa per orbem
Colluuies? templis omnia plena uides.
Atq; utinam templis, ſed qualia Paule docebas,
Non quibus exilio plecterer ipſa graui.

Cerne

Cerne tot exhauſtas urbes, populataq́; ſacra
Ingluuie uillas, oppida, rura, caſas.
Millia multa inopum grauibus depreſſa tributis
Iſtorum ficta relligione uides.
Ipſos inuenies miſerorum ſanguine paſtos,
Plus quàm Sicelidum uiuere delitias.
Vt iam pura fides, doctrinaq; ſobria Chriſti
In nugas ierint craſſe Epicure tuas.
Cum tamen hæc adeo late ſe Lerna malorum
Deriuet, tamen hoc improbiora queror.
Hæc ſunt illa quibus pereo inceſſanter, & huius
Maieſtas formæ languit ante diem.
Vulneror ah quoties triſtis meminiſſe cuculli
Cogimur, hæc noſtri eſt maxima cauſſa mali.
Tam facile autumno eſt numerare cadentia poma,
Tam folia arboribus lapſa iacere ſuis.
Quàm quot in his hominum celentur millia laruis,
Turba cliens uentri, nataq́; deſidiæ.
Tanquam ſimpliciter Chriſti pia ſacra profeſſum
Sit nihil, hæc alia ueſte notanda fuit.
Nempe ſacram ueſtis puro ſub pectore mentem
Arguit, ut nitidus dulcia uina color.
Atq; ut ueſte negant hominum ſe ſorte teneri,
Sic homines fugiunt, & loca ſola colunt.
Pars procul urbanis ſibi conciliabula quærunt,
Pars habitant urbes mœnia clauſa tamen.

His nihil in ſpeciem pietate inſignius uſquam,
Quodq; magis cælo poſſe placere putes.
Verum ubi perſpicies introrſus. & omnia luſtres,
Rarum animal dices eſſe bonum Monachum.
Simplicitate rudem populum ſeducere ficta,
Nil magis his doctum maximus orbis habet.
Vtq; bonas artes ſunt indoctiſsima ſemper
Pectora, ſic paſsim dogmata falſa ſerunt.
Sancta per innocuum ſpargunt mendacia uulgus
Deceptam quærunt, inueniuntq; fidem.
Præcipue cum declamant, tum fortiter audent
Eſſe boni, quales hæc Camarina tulit.
Tum mea tranſadigunt grauibus præcordia telis,
Tum miſcent animæ dira uenena meæ.
Tunc utinam poſſem atq; ſine auribus eſſe liceret,
Scandala ne præſens cogerer iſta pati.
Quid memorē pompas, quibus illi ſacra prophanant
Præcipue in quorum corpore, pica ſedet?
Nam uaga præcipue hoc ſunt mendicabula uulgus
Partibus infeſtum letiferumq; meis.
Quamuis te præeunte boni de partibus illis,
Accedant noſtræ pars bona militiæ.
Per quos iamdudum bona ſpes eſt facta futurum,
Vt redeant uires in mea membra ſuæ.
Cætera quæ clauſis colit alta ſilentia cellis,
Saginæ immoritur turba beata ſuæ.

Hinc&

Hi neq; uerba dei tractant, neq; commoda plebi
Vlla ferunt, ſoli nata propago ſibi.
Gens ſtudijs inimica adeo, uitæq; colendæ
Moribus, ut libros ſit tenuiſſe nephas.
Illorum patribus, nihil eſt abbatibus horum
Turgidius faſtu, moribus improbius.
Et nihil hi noſtri præter falſiſſima geſtant
Nomina, & hinc nobis damna pudenda ferunt.
Quando ita ſimplicitas ſine fraude & credula uulgi
Hos ceu pro diuis numinibuſq; colit.
Negligitur generoſa fides, fraternaq; ceſſat
Gratia, ſpes operum pondere preſſa iacet.
Quæ tibi non refero, quia te neſcire putarim,
Per quem ſunt orbi talia facta palam.
Sed quia me decuit iuſtæ indulſiſſe querelæ,
Forſitan & multis proderit iſta queri.
Nam neq; lecturum ſolum te hæc ſcripta putabam
Nec mea preſſurum uulnera nocte graui.
Verum quid faciam? quo me miſerrima uertam?
Fine quidem (ut pergam) noſtra querula caret.
Quando nouæ ſemper facies ſcelerumq; figuræ
Emergunt, neq; nos cogere uela ſinunt.
Quid quibus æratis meret indulgentia bullis?
Diuorumq; legunt nuncia falſa ſtipem?
Quam nobis fuit iſta nocens maledicta hominũ fex,
Qui ſecum ſuperos ceu ſua iura ferunt.

Quid non cogit amor nummi? cœleſtia gratis
Sueta dari dignis, uendere dona docet.
Nunc age cœleſtes titulos, & inania linque
Nomina, de reliqua conditione uide.
Et quia liberius nihil eſt te meq; Luthere,
Vt debet, hinc omnis debet abeſſe timor.
Iamq; licet, uinctæ liberrima uerba loquemur
Sunt mihi, pro Chriſto, gaudia ſumma, pati.
Scilicet afficient non una morte tyranni?
Iamdudum didici ſtare, perire, mori.
Vtq; fremant ipſi terrena potentia reges,
Per tua ſeruabit fortia facta deus.
Qui nihil ut peius peccent, hoc omnia perdunt
Crimine, quòd Papæ regna cruenta ferunt.
Quòd ſi ſint etiam qui defendiſſe laborent,
Hos cæcos animi fortiter eſſe puta.
Quos precor ipſe ſuo ueniens illuminet igni
Membra deus, per quem qualiacunq; traho,
Vt quod debuerant, ipſi mea uulnera curent
Nec miſeræ inferri deteriora ſinant.
Quod quia (quos noſti) quidam fœliciter audent
Parte mei uideor libera facta mihi.
Gratia nate tibi chariſſime, quo ſine nobis
Nec ſpes nec ratio uiuere poſſe fuit.
Nunc tamen improbitas etiam promiſcua uulgi,
Vellit ad huc multa pectora noſtra manu.

Vt taceam

Vt taceam quos ſacra ſua ditione tyrannis,
Opprimit, & certis legibus eſſe iubet.
Vt rude prætercam populi genus agricolarum
Vel propria gentem ſimplicitate bonam.
Si non illa lupis paſtoribus obuia ſemper
Iuſtitiæ falſo nomine præda foret.
Sed quoniam in melius tua contulit omnia uirtus,
Hæc quoq; debemus, ſicut & iſta tibi.
Illa magis cruciant, tot fultas legibus urbes
Humanis, noſtri nominis eſſe uides.
Sed tantum gaudere ducis cognomine noſtri
Officio fidei Chriſtidos eſſe nihil.
Quamuis hac aliquæ nolint ſe peſte teneri
Excutiantq; graui libera colla iugo.
Scit tuus in primis fama prior omnibus Albis,
Et tu, diſsimules, maxime Rhene, licet.
Hoc quoq; ſcire, breui curſu ſuus, audet Hieras
Hoc, quos & nimium eſt, & meminiſſe labor
Hinc tamen innumeris & adhuc mea pectora telis,
Vulneror, heu nullo milite tuta ſatis.
Dum maleſana ferox agitat diſcordia uulgus,
Aequaq; pars cauſæ eſt, pars inimica meæ.
Quando ita libertas Chriſtum permiſſa ſequenti
Libera ne carnem regna tenere ſinat.
Hoc meminiſſe pudet, quàm multi mente ſiniſtra
Accipiant, iuſta nec ratione notent.

Iura magiſtratusq́; negant ſibi tradita, nec ſe
Ciuili tolerant conditione regi.
Omnia liberius faciunt dicuntq́;, quod audent,
Hoc etiam, dempta lege, licere putant.
Sæpius hinc cædes, hinc probra, & ſcandala uulgo
Spiritui carnis cum dominatur amor.
Cumq́; fidem iactent plus quàm apparentibus auctã
Indicijs, fructus adfluit inde nihil.
Nempe fides latitat uerborum tuta receſſu,
Verba manent rebus diſſona, crimen habent.
Atq́; utinam non hæc ſuperet pars maxima nobis,
Hei mihi quam multos iſta ruina trahit.
Quandoquidem uani, mundi fallentis, honores
Captiuos animos, diuitiæq́; tenent.
Ah quoties lachrymis diſſoluor tota profuſis,
Dum uenit in mentem maxime Paule tui.
Qui maria & terras pro me permenſus, ad omnia
Inuictus ſtabas, fulmina, uincla, minas.
Te Chriſto ut populos tot lucrarere laboris,
Nec ratio iniuſtæ terruit ulla uiæ.
Tandem paſſe grauem ſub iniquo Cæſare caſum,
Nunc colis æthereæ regna beata plagæ.
Inde ſed ut redeas, & in hæc deformia caſu
Incurras, Chriſtum ſecula noſſe neges.
Tam pudor & probitas, & mutua gratia fratrum
Extincta, euerſam deſeruere fidem.

Luxus

Luxus opum,fraudes,amor immoderatus habendi
Inuecta,hic regnum pro pietate tenent.
Et dubitamus adhuc unde iſta flagella malorum,
Vnde tot hic peſſum cladibus orbis eat.
Dum ſequimur mandata hominum ceu uera,diuq́;
Nullum diuinis credimus eſſe locum.
Dum pater accitum Romanus ducit in hoſtem,
Non ſua in hunc uſum tradita ſigna Petro.
Secula pontificem uiderunt noſtra gerentem
Heu ſcelus,armata tela cruenta manu.
Ipſarumq́; ouium reſperſum ſanguine,nomen
Sumere paſtoris,non puduiſſe,ſibi.
Hic eſt ille potens rex tot faciebus,& idem
Paſtoris cælans ſub pietate lupum.
Heu pudet ingratæ meminiſſe incommoda Romæ
Illa quibus terras inficit & maria.
Ebria,plena,potens,diri contage ueneni
Deriuat peſtes in mea membra ſuas.
Nam quas illa nihil terrarum emiſit in oras
Captiuam quod me fecerit eſſe magis.
Et quæ plura tuis pro me ſunt ſcripta libellis,
Quos mala ut exoſa eſt,ſic bona turba probat.
Vindicis inde premit miſeros grauis ira tonantis,
Hoc ſemper grauior,quo mage ſera uenit.
Opprimimur nunc peſtilibus,nunc triſtibus annis
Mille modis,belloq́;,carcere,clade,fame.

Chriſte potens rerum, magni faber unice mundi,
Quid ſibi tot facies, tot noua monſtra uolunt?
Quid ſinis iniuſtis lacerari legibus orbem?
Indignaq; tuos conditione premi?
Sanguine quos & morte tua de morte redemptos
Adſeris, adſertos eſt habuiſſe tuum.
Ne premat incautos clades illa ultima mundi,
Quàm metuo ne ſit non procul illa dies.
Nanq; quid ô miſeri plus recta moramur ab illis
Signa, quibus ſunt hæc tempora plena malis.
Cerne ſeneſcentem per tot iam ſecula mundum
Tempora priſcorum conſule quicquid habent.
Ipſe fere nunquam peiora uidebis ab illo
Tempore, quo terras operuiſtis aquæ.
Quicquid enim ante illas uitiorum impura propago
Inuexit, per nos auctius omne redit.
Atq; utinam redeat tantum, rediſſe dolendum eſt
Iamdudum, & noſtros implicuiſſe patres.
A quibus indignos uulgata licentia mores
Intulit, & uitæ perdidit omne decus.
Paulatimq; decens turpi corrupit honeſtum,
Dum niſi diuitias ducimus eſſe nihil.
In ſua nunc populus graſſatur uiſcera Chriſti
Et quoties hoſtem non habet ipſe ſibi eſt.
Vt taceam reges Aquilas, Gallumq; rebellem,
Quoſq; ſuos motus Anglia diues agit.

Aſpice

Aſpice Sarmaticas bello fumare lacunas,
Atq; hinc Saxonici reſpice ad arua ſoli.
Omnia prægrauibus bellorum motibus ardent,
Omnia ſunt armis plena, quiete uacant.
Hinc age quàm longa eſt qua ſe Germania in Auſtrũ
Porrigit, inuenies pacis ineſſe nihil.
Itala quid referam? quid regna Hiſpana? quid huius
Vrbis opes cauſas omnibus eſſe mali.
Si nanq; hic populi paſtor, quod debuit, eſſet,
Paſtori ſimiles forte habuiſſet oues.
Nunc ita bellorum cauſas & ſemina nectit,
Vt pene hoc pacem ſolus ab orbe fuget.
Atq; utinam non hæc incendia rupibus illis
Erumpant, quæ nos nunc nimis atra premunt.
Quos quia non ſatis eſt in mutua uulnera ferri
Bella etiam externi ſanguinolenta mouent
Impius Helladibus iam Turca erupit ab undis
Pannonios uictor depopulatus agros.
Quàm metuó ne fida tuos Germania fines,
Omnia concutiens iſta ruina petat.
Quod tamen auertat quem tu nunc prima negatum,
Adſeris, & Chriſto uiuere ſola doces.
Te quoq; per Chriſtum mea ſpes, mea uita Luthere,
Non ſemel hæc iſtos præmonuiſſe liquet.
Iſtos, per facinus, rerum per aperta potitos
Crimina, qui uinctam me uiolenter habent.

Te duce pars quorum cecidit bona, quæ ſtetit illo
Vindice, qui terris non leue numen erat.
Cuius ut indignas Chriſti per ouilia merces
Deijcis, iratum ſic quoq; ferre potes.
Formidata prius per te ſunt muta, iacentq;
Fulmina, terribiles conticuere minæ.
Ceſſat inutilibus nunc orbi illudere Bullis,
Quis credat bullas tam ualuiſſe diu?
Vendidit immenſo uilem pro munere ueſtem
Clauſa tua certe eſt iſta taberna manu.
Magno conſtiterat faſſo delicta remitti
Quod niſi Papiſtis non licuiſſe palam eſt.
Nunc iterum Chriſto licet auribus eſſe, hominumq;
Cuilibet, & meritæ ferre ſalutis opem.
Tam facile effari eſt diræ ſcelera omnia Romæ
Dicere quàm guttas quot pluat Auſter aquæ.
Quæ tamen audet adhuc, ſi quis ferat, ædere, uerum
Tu dabis ut ne ſit, quod cupit eſſe, diu.
Friuola degeneris uaſtabis regna tyranni,
Proſternes ualida caſtra nephanda manu.
Ipſe tibi uires tam iuſta in prelia Chriſtus
Influet, hinc uictrix nunc quoq; dextra tua eſt.
Tu modo ne dubita Goliam ſpoliare iacentem,
Vulnera qui fundæ non tulit iſta tuæ.
Percutiet noſtro ſine milite Sennaheribam,
Cui meus hic populus, te duce, iuſta facit.

Deſtruet ille Baal populum ſine ſanguine, perſta
Tu modo Nanſida fortior eſſe Iehu.
Quæq; referre mora eſt æui miracla uetuſti,
Forte nec exemplis ipſe monendus eras.
Beſtia capta quidem iam lenior iſta ueretur,
Quæ uidet in manibus ferrea uincla tuis.
Te precor afflictæ uindex iuſtiſsime matris
Quàm primum miſeræ, quod potes, eſſe uelis.
Miſce ſalutifera ſitibundæ pocula dextra,
Scribe aliquid præſens littera nectar habet.
Præbe alimenta famem patienti, uerba ſalutis
Adfere, proclama, panis ab ore tuo eſt.
Quæſturam peiora graues uetuere cathenæ,
Vix humilem tenuit languida dextra ſtilum.
Interea inuito ſint hæc tibi ſcripta tyranno,
Exutæ uinclis liberiora leges.

FINIS. HEROIDVM

t

ILLVSTRIVM

AC CLARORVM ALIQVOT
uirorum memoriæ ſcripta Epicedia XII.

IN MORTE DIVI FRIDERICI DVCIS SAXONIAE, PRINCIPIS

Electoris Epicedion per Eobanum Heſſum.

Si qua prius iuſti fuit unquam cauſſa doloris,
Nunc elegi mæſtum nomen habere decet.
Pieridum chorus omnis ades, laurumq́; uirentē
Ponite, lugentes non decet iſte color.
Cingite ferali funebria iuſta cupreſſo,
Conueniens ueſtris luctibus illa fuit.
Nunc Citharæ ſileant, nunc barbitos omnis abeſto,
Nunc lachrymæ fiant, quod fuit ante melos.
Cur ita? nam fato cecidit perculſus acerbo,
Qui uobis requiem, temporibusq́; dedit.
Qui niſi qua talem decuit uirtute fuiſſet,
Veſter in obſcura ſorde iaceret honor.
Nunc uobis decus eſt, & uita relicta per illum,
Quicquid adhuc uitæ eſt uos penes ille dedit.
Qui uos Saxonicum conſidere iuſſit ad Albim,
Gloria Muſarum Dux Fridericbus erat.
Hunc igitur ſato non lugeat omnis ademptum,
Qui chorus Aonidum regna beata colit?

Nam ſi

Nam ſi facta canunt alij ſcelerata Poëtæ,
Geſtaq; ſanguinea Martia bella manu:
Dicite Germanæ iuuenes clariſſima famæ
Nomina, cur pauci tam bona facta canunt?
An quia Pierides ſordent hoc tempore Muſæ,
Lectaq; iam uatum carmina nemo probat:
An quia quæ uiuæ uirtuti fama maligna eſt,
Pulchrior à ſera poſteritate uenit.
Quicquid id eſt tua fama ducum clariſſime uiuet
Dum tuus inſtabiles Albis habebit aquas.
In tua nec deerunt faciles præconia linguæ,
Seu fauet hæc ætas ſiue futura tibi.
Nulla tuas laudes ætas, tua nulla ſilebit,
Parta tuis meritis nomina, poſteritas.
Dum tamen heu lucris præſentia damna futuris
Solamur, bona ſpes uicta dolore iacet.
Illum nempe premit duro nox ferrea ſomno,
Quo duce pax ſtudijs floruit aucta bonis:
Qui ſicut placido imperio data ſceptra regebat,
Sic cultu ſuperum relligioſus erat.
Cumq; ſatis metui poſſet malebat amari,
Et ſolidas illis artibus auxit opes.
Quòd ſi lege aliqua poſſent fera fata morari,
Hic uere dignus ne moreretur erat.
Huius enim ueras ſi pergam dicere laudes,
Diuorum meritis dixeris eſſe parem.

Exuit Alcides uarijs ſua tempora monſtris,
Monſtra uigil noſter ne parerentur erat.
Et prohibere prior laus eſt quàm tollere peſtem
Tutior eſt quisquis damna futura uidet.
Vidit & ipſe ſuo cauit prudenter honori,
Ne qua lues poſſit, ne quis obeſſe furor.
Si qua minabantur ſubeundum bella laborem,
Ingenio pacem ſemper amante fuit.
Cunq; alijs pereat collecta pecunia bello,
Condidit hic iſto muniere pacis opem.
Multis parta domi per plurima uulnera res eſt
Semper hic in media pace opulentus erat.
Quasq; ſuis longa, plus quàm ſibi, pace parabat,
Non aliquo luxu dilapidabat opes.
Publica curabat priuato commoda cenſu,
Cuius pulchra etiam nunc monumenta manent.
Nam quæ cincta uides ingentibus oppida uallis
Plurima, munefica condidit ille manu.
Molibus extructæ tot pulchræ immanibus arces,
Vt fierent largis ſumptibus ille dedit.
Palladiam qua laude domum fundârit ad Albim,
Vtraq; iam notum regia ſolis habet.
Quid loquar ingenuas quo pectore fouerit arteis,
Et quibus has eſſet ſolus amare labor?
Huius enim feſſæ requierunt numine Muſæ,
Hoc duce Phocaicas uexerat Albis aquas.

Nunc

Nunc iacet ille tamen, nunc illi lumine caſſo,
Fundimus heu querula carmen inane lyra.
Carmine nec manes, nec numina ſurda mouemus,
Quæ nunc ſub terris illius oſſa premunt.
At potuit manes, potuit fera monſtra mouere,
Cui fruſtra coniunx reddita pulchra fuit.
Inuida nos etiam ſi flectere fata queamus,
Relligio eſt iſthac ſollicitare Deum.
Certa ſtat & nullis precibus mutata uoluntas,
Arbitrio fatum contrahit omne ſuo.
Heu tamen immites crudelia numina Parcæ,
Quantum erat hic auidas non habuiſſe manus?
Si decus hoc terris fuit inuidiſſe uoluptas,
Quod ſcelus Aonidas commeruiſſe putem?
Quas quo dura uirum rapuerunt tempore fata,
Monte ſub obſcuro delituiſſe ferunt.
Tum quoq; uocalis citharæ moderator Apollo,
Conſcidit irata plectra lyramq; manu.
Atq; ita, quo cantus ultra? quo carmine Muſæ,
Non eſt conueniens triſtibus ulla chelys.
Ire libet, fineſq; alios inuiſere quando,
Quas prius, Aonias non uehit Albis aquas:
Sic ait, & radios conatum euertere, quædam
De grege Muſarum quæ prohiberet erat.
Phœbe mane, non totus obit quem quæris ademptum
Parte etenim ſupereſt ſed meliore ſui.

Pulchra etiam moriens nobis monumenta reliquit,
Donaq; uirtutis non moritura ſuæ.
Scilicet egregium magno cum fratre nepotem,
Quorum contenta eſt numine noſtra ſalus.
Tale quid audierat. fluxitq; ſerenior Albis,
Quàm prius, ad ſacræ proxima tecta ſcholæ.
Magne uale Friderice ducum decus, iſtaq; cœlo
Accipe quæ tumulo triſtia dona damus.
Qui te crudeli fato deflemus ademptum,
Qua licet & triſtes ſoluimus inferias.
Hic ubi flauentes exæſtuat Albis arenas,
Palladiæq; recens alluit urbis opus.
Spargimus hic fruſtra tumulum redolentibus herbis
Carmine ſignantes marmora celſa breui.
Hac ſitus exigua Dux eſt Fridericus in urna,
Quem ſua non totum Teutona cœpit humus.
Quo duce depoſitis Germania floruit armis,
Et rediit uitæ CHRISTIDOS aucta fides.

GVILIELMI NESENI QVI IN TRAiectu Albis fluuij perijt Epicedion.

Ergo ego ſum lachrymis natus uatesq; querelis
Semper & in luctus apta Thalia mihi eſt.
Vix modo defleram Friderici funera magni,
Hic finis querulæ debuit eſſe lyræ.
Nunc quia, quam nollē, facta eſt noua cauſſa dolēdi,
Ipſe locum certe debet habere dolor.

Et miſeris

Et miſeris addit quædam ſolatia luctus,
Fata ubi non poßis uincere, flere iuuat.
Sed mihi cantandus non hoc Neſene fuiſti,
Florida ſed uirtus quo ſolet ore cani.
Et modo uirtutum florebas diuite cultu,
Et fuit ingenij copia plena tui.
Iam tua Palladias clarißima fama per arteis,
Vtraq; iam fuerat cognita lingua tibi.
Quid memorem ſacri ſpacioſa uolumina iuris,
Ingenio longe facta minora tuo?
Omnia diuinæ tenuiſti oracula legis,
Heu nihil, ignotum nil ſuperaſſe tibi.
Quam ſubito indigna flos concidit iſta ruina,
Et ueris medias aruit inter opes.
Nil tibi mellifluæ comis facundia linguæ
Profuit, aut caſtis gratia plena iocis.
Quid iuuat humanis etiam nunc fidere rebus,
Quas tam non ſtabiles quælibet aura mouet?
Iam bene compoſitis potuiſti uiuere curis,
Aetatis firmum iam tibi robur erat.
Vix iam tranſieras ſexti confinia luſtri,
Et poteras animi dotibus eſſe ſenex.
Cum tibi non æquo currentibus ordine fatis,
Rupit fatalem de tribus una colum.
Sed fuit hoc urgens & ineuitabile fatum,
Nec licuit fixum tranſiliſſe diem.

Non tali miſeram clauſiſſes funere uitam,
Parte aliqua leuior noſtra querela foret.
Languida compoſito iacuiſſent membra grabato,
Clauſiſſent patriæ lumina feſſa manus,
Fortius hunc tantum poteramus ferre dolorem,
Nunc luctus ratio non habet iſta modum:
Optima materiam fati tibi terra negabat,
Tam ſacrum timuit lædere flamma caput.
Innocuo facilem traxiſſes aere uitam,
Principia hæc uiuens per tria tutus eras.
Quo caderes medijs fatum te inuenit in undis,
Heu quantum ſcelere hoc factus es Albi nocens.
Iam tua Germanum clariſsima fama per orbem
Floruit, & celebri nomine notus eras.
Errabant faciles circum tua littora Nymphæ,
Senſi præſentes utraq; ripa deas.
Cum ferus ipſe tuum ceu fœdaturus honorem,
Crudeli innocuum ſubruis amne caput.
Sæue amnis faciles iam non habiture Camœnas,
Sæuiat admiſſo Thetyos unda tibi.
Terra tibi curſum neget implacata ſecundum
Saxa per & ſcopulos puluerulentus eas.
Et ſcelus exoſi fugiant tua flumina piſces,
Fontis adhuc manans areat unda tui.
Serpentes habitent in te ſæuiq; Dracones,
Potent quadrupedum flumine nulla tuo.

Sed quid

Sed quid opus iuſto nimis indulſiße dolori,
Deuouiſſe tuum quid iuuat Albi caput.
Nec tibi forte placent noſtræ Neſene querelæ
Ridenti fatuæ carmina uana lyræ.
Nos tamen iſta tuo quæ debebamus honori
Carmina funebrem ſoluimus ante rogum.
Quæ tua lugentes dictant ad buſta Camœnæ,
Quàm cuperent uiuo perſoluiſſe tibi.
Læta tibi in numerum cecinißent carmina diuæ,
Quæ nunc inuito pectore mœſta fluunt.
Heu dolor immitis quæ tanta potentia fati,
Quàm nulli placidas mors habet atra manus.
Omnia demetitis non tam mala numina Parcæ,
Si ratio uobis æquior ulla foret.
Nunc ſine delectu temere & diſcrimine nullo
Vos iuuat humanum diripuiſſe genus.
Si tantum ſenio præmortua membra petatis,
Quis putet iniuſtas non habuiſſe manus?
Parcere uos decuit uiridi florentibus æuo,
Vtilis hæc ætas quam uiolaſtis erat.
Dißimilis rerum facies, & iniqua Deum lex,
Tempore quàm conſtant optima quæq; breui.
Tot ſuperant peſtes hominum, uitæq; Tyranni,
Quos melius uitam non habuiſſe fuit.
Vnica naturæ blande arridentis imago,
Concidis heu patriæ ſpes Guilielme tuæ.

Nulli certus adeſt uitæ ſtatus, omnibus horis,
Fimus & occidimus, naſcimur & morimur.
Quid facis inuidiam ſuperis, ſpes nulla reuerti
Quem ſemel in Stygio uexerit amne Caron:
Mortua tam ſtultum eſt deflere cadauera, quàm ſi
Te doleas fieri non potuiſſe deum,
Adde modum lachrymis, ſtultum eſt ſine fine dolere
Pene erat hoc uita non obeunte mori.
Quem genus ille tuus ſupera Neſenus in aula,
Nectara cum diuis paſcit & ambroſiam,
Ille tuas lachrymas & curas ridet inanes,
Nec uolet hoc iterum corpore poſſe tegi,
Liber enim ſupra ſtellatum ſpiritus orbem
Ambulat, & pedibus nubila regna premit.
Tu tamen extinctum fruſtra gemis, & tua ſtulta eſt
Quod cauſa ex omni parte querela caret.
Nam ſi ſic cœli flores in parte receptos
Quid facias illis quos mala regna premunt?
Et ſi omnis ratio ſtulta eſt & friuola luctus,
Attamen erroris plus habet iſte dolor.
Sic ait, & tenues cum uoce receſſit in auras
Seu dea, ſeu uiſum dicere quicquid erat.
Ergo ego ſiccabam lachrymas, poſuiq; dolorem,
Si quicquam poſitum, quod manet, eſſe poteſt.
Hæc tamen immodico dextra famulante dolori,
Albidos ad ripam uerba legenda dedi.

Cum miſer ingrato Neſenus in amne periret,
Talibus hunc Nymphas ingemuiſſe ferunt.
Heu ſcelus hanc miſeras decuit ſpectare ruinam,
Albi dehinc faciles non habiture deos.
Nam quo talem animam, licet inficieris, eodem
Innumeras laudum crimine perdis opes.

IN MORTE CONSVMMATISSIMI *pictoris Alberti Dureri Nurenbergenſis Epicedion ad Ioachimum Camerarium.*

Pone coronatæ luſus Ioachime camœnæ,
Sume dolorificæ triſtia plectra lyræ.
Perbreue lugendum tempus tibi, donec amico
Sic merito triſtes ſoluimus inferias.
Occidit, & ſuperas rediit Durerus in oras
Non niſi de cœlo tam bona uita fuit.
Nunc tibi plorantes lugubria carmina Muſæ
Nunc triſtis querulum dictet Apollo melos.
Nam iacet humana pertæſus lumina uitæ,
Quo nemo ingenio, nec prior arte fuit.
Occidit heu, quis enim non impia fata queratur?
Artifice Albertus maior Apelle manu.
Occidit heu noſtri pictorum gloria ſecli,
Cui par ſperari nulla futura poteſt.
Sicut enim Cous ſua tempora uicit Apelles,
Aemula poſteritas nec tulit ulla parem.

Sic ab eo ſerie ſeclorum Alberte ſecundus,
Diuinæ fueras artis honore prior.
Nam rudis illa prior fuit & ſine cultibus ætas
Queis ſuperant noſtri tempora priſca dies
Artibus & lucem ſufficit Græcia mendax,
Qua ſine laus rebus parua futura fuit.
Hic tot pingendi præſtantibus arte per orbem
Innumeri ſolus quod meruere tulit.
Cumq; uideretur iam plena, nec altius iret,
Nobilis ars, capta ſolus in arce ſtetit.
Non quia non habeāt quibus hæc quoq; tpa poßint
Priſcorum ingenijs eripuiſſe decus.
Sed quia primus erat, quia primū hunc eſſe ferebat
Quisquis ea clarum nomen ab arte tulit.
Dij quàm fœlici pingebat hic omnia dextra,
Linea quàm pulchrum nulla fefellit opus.
Dij quales uultus, dij qualia lumina fecit
Spirabat uiuo, factus in ore color.
Quaſcunq; effigies hominum diuumq; peregit,
In tabula credas currere, ſtare, loqui.
Picta coloratis frondere toreumata ramis,
Ferri undas, flammas urere, ſaxa iaci.
Gratia nobilibus ſuberat tam uiua parergis
Quodcunq; effinxit pene creabat opus.
Nunc iacet informi manus illa infecta colore,
Subdita cui ratio tota coloris erat.

Nunc digiti pallent, qui cum libuiſſet habebant,
Quas ebori poſſent impoſuiſſe roſas.
Quis nunc ô Alberte *tuas tetigiſſe tabellas?*
Succeſſor quis erit qui queat eſſe tibi?
Interitum natura tuum lugere uidetur,
Quam poteras docta pene referre manu.
Ipſa tuos caſus opera intermiſſa queruntur,
Quæ nunc morte tua mortua tota iacent.
Dicite nunc tabulæ triſtes ſpirantia ſigna
Dicite, quo, qui uos tam bene fecit, abit?
Nunc etiam lugent pictæ tua uota tabellæ,
Atq; ars artificem plorat abeſſe ſuum.
Et quæ te uiuo uiuens ridebat imago,
E ſicco quaſdam lumine fundit aquas.
Et merito, quis enim tales uel euntibus annis,
Vel caſu ablatas reſtituiſſe queat?
Sicut enim nemo Venerem perfecit Apellis,
Sic Alberte *tibi nemo ſecundus erit.*
Ite cupidinibus triſtes narrate Camœnæ,
Non ſe iterum tali uiuere poſſe manu.
Dicite Cypriadi cecidit Germanus Apelles
Cum quo pene etiam mortua forma tua eſt.
Vos quoq; conſciſſis Charites lugete capillis
Interijt ueſtri uerus Apollo *chori.*
Siue ſuis dictas iuſſit conſidere in hortis,
Sanguinis in uobis quam prope ſenſus erat.

Siue

Siue choros iunctis iuueniles ducere Nymphas,
Noſtra morabatur lumina forma ſalax.
In primis tamen Aonides lugete puellæ,
Ad uos præcipue pertinet iſte dolor.
Nam quæ uos celebri facitis pulcherrima cantu,
Ille manu tantum non meliora dedit.
Aſtra, polos, terras, uentos, mare, nubila, flammas,
Carmine uos canitis, pinxerat ille manu.
Et quæ difficile eſt ueſtro quoq; dicere cantu,
Affectus animi pingere doctus erat.
Quid loquor affectus? animos quoq; pinxit, & illis
Vultus & formam quamlibet ipſe dedit.
O quoties aliquem pictæ bona forma tabellæ
Cœpit, & è tabula pellice uenit amor.
Sic ut iam Venerem Gnidiæ puduiſſe figuræ
Poſſit, & hac pictam ſe uolet eſſe manu.
Nec tantum eximiæ ſummum decus attigit artis,
Ingenij mira dexteritate fuit.
Omnia præſcripta ratione mathemata nouit,
Cognita nec Siculo plura fuere ſeni.
Fortia ductilibus circundare mœnia uallis,
Aptatis docuit ponere caſtra locis.
Ille opera aptauit uarias inſtructa per artes
Queis procul à muris pelleret hoſtis opes.
Inſtruxit peditum cuneos, equitumq; Phalangas,
Pila, acies, turmas, cornua, ſigna, globos.

Nec minus hæc pinxit fieri quàm poſſe docebat,
Præſentem faciunt publica ſigna fidem.
Heu quia quæ ſuperi bona congeſſiſtis in unum
Vna ſimul fato perdidit hora nocens.
Heu quia non redeunt quæ tam bona grata fuerunt,
Nec tam difficiles ſpes leuat ulla moras.
Intereunt herbæ, flores moriuntur adulti
Sed redeunt uitam reſtituente deo.
Nos rerum dominos, naturæ opera optima matris
Cum ſemel occidimus fata redire negant,
Præterea floret breue uer mutabilis æui,
Quod ſumus hoc uitam dicere pene pudet.
Tot uetulæ durat cornicis uita per annos,
Secula tot ceruos uiuere poſſe ferunt,
Igne ſuo Phœnix onerantes exuit annos,
Exuuias reparans corporis inde noui.
Inuida cur non hoc homini natura dediſti,
Viuere nempe feris dignior ille fuit:
Poſtquàm dura ſemel Dureri fata ſubiſti,
Tu quoq; perpetua nocte ſepultus eris.
Nec ſpes ulla tui ſimilem, aut te poſſe reuerti,
Heu ubi Pythagoræ uana palingeneſis?
Ergo tuos lugent obitus quicunq; per artem,
Milia tot noſtro tempore nomen habent.
Lugebunt quicunq; tua ſunt arte futuri
Illuſtres, honor eſt debitus ille tibi.

Nunc

Nunc etiam luget te patria clara, tuoq;
Sparſa caput nitidum funere mœſta ſedet.
Te nemus Hercinium, te Norica mœnia lugent,
Te liquidi flerunt, marmoreiq; lacus.
Te iuuenes, te turba ſenum, te fleuit & omnis
Artibus urbs nuper nobilitata tuis.
In lachrymas abeunt latices Pegneſidos undæ,
Ipſe ſua mœret triſtior amnis aqua.
Stant circum, mœſtæq; ſtupent tua funera Nymphæ,
Nunc primum miſeras nil niſi flere iuuat.
Sic Phaëtontiades fratrem luxere iacentem,
Dum patrios audax non bene iungit equos.
Memnona ſic flerunt uolucres ad buſta uolantes,
Præpes in herboſis uallibus Eure tuis.
Sic ſua cum Nymphis extinctum mater Achillem,
Fleuit ab Iliaco diua profecta mari.
Deniq; ut exemplis uerum propioribus edam,
Fleuit ut artificem patria quæq; ſuum.
Aequorea ut magnum Cos olim fleuit Apellem,
Protogenem uaria nobilis arte Rhodos.
Parrhaſium præclara Epheſus quam luxit ademptū,
Sicut Ariſtiden regia Cadme tua.
Triſtibus ut lachrymis pereuntem Zeuſida flerunt,
Quæ uetus Alcidæ mœnia nomen habent.
Taliter extinctum deflete Norica pubes,
Huius enim nuper tu decus urbis eras.

Seruatura tuo tamen eſt in imagine uultus,
Grata tuis meritis officioſa manus.
Quos olim ſpectans aliquis, tua gloria dicet,
Viuit, & æternos eſt habitura dies.
Illa quidem uiuit non ulli obnoxia morti,
In matrem redijt putre cadauer humum.
Parte igitur meliore tui clariſsime pictor,
Viuis, at hac longe deteriore iaces.
Quàm bene apud ſuperòs morimur uirtute relicta,
Pars melior uitæ talis habenda fuit.
Non moritur quicunq; ſui monumenta reliquit,
Ingenij, & laudem poſteritatis habet.
Quæ quoniam de te iam milia multa ſuperſunt,
Corporis eſt tantum uita peracta tui.
Sed quia uita etiam nos corporis illa trahebat,
Longius hanc querimur non potuiſſe trahi.
Atq; ideo ante tui uix dum noua buſta ſepulchri,
Has tibi funebres ſoluimus exequias.
Viue uale noſtri pictorum gloria ſecli,
Et tua cœleſtes inuolet umbra plagas.
Nos meliore tuas laudes depingere cultu,
Heu quantus dolor eſt non potuiſſe, Vale.

SOMNIVM DE EODEM.

INuida Durerum quo tempore fata tulerunt,
Et tantum terris eripuere decus.

Iam ter

Iam ter quinq; ierant à nato ſecula Chriſto,
Et quater in curſu ſeptimus annus erat.
Vellera Phryxeæ pecudis iam Phœbus obibat,
Florida natiui tempora ueris erant.
Obtulit haud dubio mihi talia ſomnia monſtro,
Quæ nox fatalem eſt prima ſequuta diem.
Vera loquar, nihil affingam, ſi mentiar autem,
Summa ſit hæc in qua mentiar hora mihi.
Feſſa ſoporifero proſtratus membra cubili,
Totus in extrema parte quietus eram.
Noſtra uidebatur Durerus limina uultu
Hoc illo ingreſſus, quo modo uiuus erat.
Extimui, non ignarus paulo ante ſepultum,
Et tamen officij nomine fortis eram.
Aſſedit, uultuq; parum linguaq; moratus,
Murmure dehinc tremulo dicere uiſus erat.
Heſſe meos nuper non ultimus inter amicos,
Nunc decet officij te meminiſſe tui.
Nam ſi uerus eras, ut eras, uiuentis amicus
Idem defuncti manibus eſſe uelis.
Et mea perpetuæ tranſcribere nomina famæ,
Addere & in tumulo uerba legenda meo.
Finierat, paucis mihi reſpondere paranti,
Attonita exanguis uenit in oſſa tremor.
Nam quia præterita pallentem morte uidebam,
Vix potui timida talia uoce loqui.

O decus ætatis Dureri & gloria noſtræ,
Quod petis è noſtro carmine iuris habes.
Sponte daturus eram, ſi non etiam ipſe petiſſes,
Tam tibi perpetuo hæc conſtat amice fides.
Multo plura etiam tibi nos debere fatemur,
Paupere poßimus quàm dare dona manu.
Verba, uidebatur capite annuere iſta loquuto,
Toto ipſe ut fugerem corpore nixus eram.
Iamq; id conantem motis ad inania membris
Somnia, deſeruit plena labore quies.
Frigidus in toto manabat corpore ſudor,
Qui iam gratus erat terruit ante labor.
Protinus auroræ cœlum petiere iugales,
Et nitidum claro lumine mane fuit.
Quaſſabam calamos, digitosq; in uerba coegi,
Quæq; uides ſubito ſcripta labore dedi.
Sed licet ipſe neges oraculum hæc uiſa fuiſſe,
Hoc tamen Alberti nomine carmen ama.

AD PICTORES NE DVRERI LAVDI*bus offendantur.*

NOmē Apellæas quibus eſt & fama per artes,
O bona pictorum turba, ſacerq; chorus.
Ne rogo ſuccenſete meis utcunq; Camœnis,
Dum nimis Alberto laudis honore fauent.
Non hac laude decus ueſtrum minuiſſe uolebant,
Sed, quem laudatis uos quoq;, laude uehi.

Nunc

Nunc quoq; de uobis non ignoramus haberi,
Qui poßint ſummis laudibus eſſe pares.
Sed quia ſumma dies uirtutem liberat omni
Inuidia, nihil hic ſuſpicionis erat.
Et quæ de uiuis pudor eſt dixiſſe, licebat
Poſt cineres lingua liberiore loqui.
Quamuis hos uelent mendacia nulla colores,
Offendiſſe tamen pectora praua queant.
Ergo bonos omnes uolui hac in parte rogatos,
Iſtud iniquo animo ne paterentur opus.
Si ſit ab hac aliquis ueſtrum ratione canendus.
Quod nolim meritis laudibus ipſe feram.
Nam ſi eſt, ut perhibent, ſimilis pictura poeſi,
Illius hæc merito debuit eſſe comes.

EPITHAPHIA IN ALBERTVM DVRERVM.

Quo ſitus Albertus tumulo Durerus, eodem
Picturæ ratio tota ſepulta iacet.

ALIVD.

Artis & ingenij laudem ſi fata morentur,
Certum eſt Durerum non potuiſſe mori.
Ergo ſub hoc nondum totus iacet ille ſepulchro,
Ingenij famam uiuus ad aſtra tulit.

ALIVD.

Quid properas? ſubſiſte parum lectore uiator,
Hic ſita Dureri molliter oſſa cubant.

Eſt operæprecium talem ſpectare ruinam,
Cum qua picturæ concidit omnis honor.

ALIVD.

Quid uitam coluiſſe iuuat quascunq; per artes,
Quando ea momento pars rapit atra breui?
Par fuit Alberto pictorum nemo, ſed illum
Fata diu ſummum non potuere pati.
Præſcidit ergo uiri uitam mors falce maligna,
Et dixit moriens, ſic quoq; non moreris.

IN FVNERE DOCTISSIMI VIRI MVTIANI RVFI EPICEDION.

SI qua minus ueris lachrymis ego funera fleui,
Si qua mihi in luctus ficta querela fuit.
Qualibet illa pios imitata ſit arte dolores,
Forſitan & falſis fecerit eſſe fidem.
Nulla hic eſt ratio talis, non artibus iſtis,
Conditio certe muneris huius eget.
Hic ueræ lachrymæ, nunc ueri mœſta dolores
Plectra mouent, uero nunc libet ore queri.
Poſtquàm eſt indigno conſumptus funere Rufus,
Rufus ab Heſsiacis notus ad aſtra iugis.
Ponite lugentes ridentia carmina Muſæ,
Sumite luctificæ triſtia plectra lyræ,
Ecce iacet ueſtra lachrymabile corpus in umbra,
Non alio potuit mortuus ille rapi.
Vltima clauſiſtis morientis lumina Rufi,
Inter enim ueſtras occidit ille manus.

Hei mihi quòd, quam uos animis dare ſæpe ſoletis,
Corporibus uitam non datis eſſe diu.
Ire libet nemora & ſaltus peragrare locosq́;
Omnia quæ Ruſo nota fuere meo.
In quibus ipſe olim uiuus cantare ſolebat,
Carmina fatales ſæpe morata manus.
Carmina quæ certe tunc cum moreretur, ab illo
Traxerat irata ſæuus Apollo manu.
Vos quoq; tunc habuit regio diuerſa, nec ullam
Tunc miſero ueſtra uoce tuliſtis opem.
Spargite inane uiri corpus luſtralibus undis,
Exangues liquido rore lauate genas.
Sed nec opus uobis deferre cadauer ad undas,
Nec uitreas puri quærere fontis aquas.
Noſtra dabunt riguos lachrymarum lumina fontes,
Ex noſtris oculis Phocidos unda fluet.
Flere libet quali doctum fleuiſſe Biona,
Carmine Trinacrius creditur ante ſenex.
Triſtia lugentes ſuſpiria ducite ſyluæ,
Qualeſcunq; uident Heſiidos arua plagæ.
Nunc nemora & ſaltus miſeris ululate querelis,
Nunc lachrymas habeat quælibet herba ſuas.
Triſtibus heu mœſti flores ſpirate corymbis,
Lugubribus iaceant lilia miſta roſis.
Nunc Hiacynthe ſonet tua littera ſcilicet ai ai,
Non tamen iſta ſatis plena querela fuit.

Ergo notas folio plures inſcribe rubenti,
Longius ut poſſit littera ſcripta queri
Occidit indigno ſublatus funere Rufus,
Rufus ab Heßiacis notus ad aſtra iugis.
Luſciniæ denſa foliorum in fronde querentes,
Fundite flebilibus carmina mœſta ſonis.
Dicite lugenti patriæ cecidiſſe Poëtam,
Lumine quo caſſo mortua Muſa iacet.
Heßiaci nunc flete ad aquas lugubria cygni,
Gutturibus fractis clangite triſte melos.
Dulce tamen, quale ipſe melos cantare ſolebat,
Cum libuit querula ducere ſaxa chely.
Dicite lugenti patriæ, narrate poetis,
Quos nemorum ſyluis Heßia diues habet
Interijt fatis crudelibus Heßicus Orpheus,
Muſarum patriæ gloria Rufus erat.
Rufe per Heßiacos quondam notißime colles,
Quis tua flere ſatis funera mœſta queat?
Ipſe tuam mortem flauus defleuit Apollo,
Odit & irata ſpicula ſumpta manu.
Lanificæ corpus uidere exangue ſorores,
Cum ſic audita eſt de tribus una loqui.
Quis malus hic noſtris obrepſit legibus error,
Cur non hic uires nos habuiſſe pudet?
Nos tamen inuitæ fatalia ſtamina Rufo
Rupimus, heu noſtra non reparanda manu.

Quod niſi

Quòd niſi noſtra loco non poſſent iura moueri,
Certum erat huic uitam reſtituiſſe uiro.
Dixit & obducto ſiccabat lumina peplo
N c reliquæ lachrymas continuere duæ.
Poni e lugentes ridentia carmina Muſæ,
Sumite luctificæ triſtia plectra lyræ.
Occidit indigno ſub'atus funere Rufus
Rufus ab Heſsiacis notus ad aſtra iugis.
Flumina nunc mœrent quæcunq; per Heſsida terram
Nunc tandem grauibus plena feruntur aquis
Flumina linquentes triſtantur Naiades udæ,
Omnis & in lachrymas unda ſoluta fluit.
Pene ſuos retro tulit aurifer Aedera curſus,
Mortis ut audiuit nuncia Rufe tuæ.
Tardior aſſueto piſces ſus Fulda fluebat
Vitreus informi Verra ſtupebat aqua.
Triſtia nec rapidum latuerunt fata Viſurgim,
Tunc uiſum nullas transpoſuiſſe rates.
Attonito Lanus uada miſcuit anxia Rheno,
Vorticibus tacitis luridus Homa ſtetit.
Et quæ præterea pulcherrima flumina circum
Heſsiades Muſæ Naiadeſq; colunt.
Flerunt intonſi petroſa cacumina montes
Humor aquæ ſiccis fluxit Oreadibus.
Ipſa tuos cantus ſcopuloſa per auia quærit,
Et reliquis Echo uocibus icta ſilet.

Mœſta dolet quoniam tibi non reſpondeat Echo,
Ruſe tuo ablato carmine certa mori.
Morte tua ſterilis facta,& ſine frondibus arbor
Aruit,& florum languit omne decus.
Quas tu olim uolucres cantu oblectare ſolebas,
Nulla ſub arborea carmina fronde canunt.
Ponite lugentes ridentia carmina Muſæ,
Sumite luctificæ triſtia plectra lyræ.
Non tantum æquoreis Delphin *lugebat in undis*
Non tantum Iſmarium Daulias *ales* Itim.
Non tantum Halcyone *luxit* Ceyca *peremptum*
Non tantum in uacuis fleuit hirundo iugis.
Non ſic ingemuit Glaucis *in fluctibus olim*
Pacifer æquoreas Cerylus *inter aues.*
Non adeo flerunt uolucres ad buſta uolantes
Memnonis,in gelidis uallibus Eure *tuis.*
Quantum omnes lugent tua triſtia funera Ruſe
Ruſe Deum *læuo numine iuſſe mori.*
Quæ tibi contulerant faciles pulcherrima Muſæ.
Munera,morte tua mortua Ruſe *iacent.*
Multæ urbes fleuere ſuos ceu numina uates,
Nobilis arx patriæ te gemit alta tuæ.
Non ſic Aſcra *ſuum fleuit petroſa poetam*
Non ſic Pindaricas Helladis *ora fides.*
Non ſic Alcæi *nec doctæ carmina* Sapphus,
Fleuit in Ionia *cognita* Leſbos *aqua.*

Non

Non ſic parua ſuum plorauit Cea poetam,
Non ſic Archilochum marmore nixa Pares.
Carminibus quicunq; ualent & uoce Poetæ
Deplorant mortis triſtia fata tuæ.
Te prior æthereas abiens Huttenus ad arces,
Lugebat mortis fata futura tuæ.
Nunc quoq; credibile eſt ipſum in regionibus illis
Te canere, & uitam deſeruiſſe queri.
Plorat adhuc breuibus plectris tua funera Cordus
Cordus honor patriæ delicium q; ſuæ.
Te gemit ad liquidi uiridantia littora Mœni,
Micyllus clarum tangere doctus ebur.
Te meus ad Pegneſiacam Camerarius urbem,
Conqueritur faciles non habuiſſe deos.
Muſa nec Ebneri reticet iuuenilis Eraſmi,
Fata ſatis uitæ non tribuiſſe tuæ.
Carminaq; morte tua tam triſtia concinit Hacus
Dulcia quàm moriens guttura fractus olor.
Carmine & ore uirens luget tua fata Sabinus,
Qua trahit illimes Albis auarus aquas.
Ipſe quibus lachrymis, quo te fleat ore Philippus,
Non facile expediat Pieris ulla tibi.
Velius extinctum lepido te carmine luget,
Summa Sileſiados Velius aura plagæ.
Lauriger Heluetijs te Glarea luget in oris,
Braßica te triſti deflet uterq; lyra.

Quid referam quanto ſuauis te cantet Ionas
Carmine, cum libuit uoce lyraq́; potens.
Quos tibi dilectos quondam Spalatinus honores
Exhibeat mœſto carmine, nemo rogat.
Ille ſuas de te noctesq́; diesq́; querelas
Ingeminat, nunquam non memor ille tui.
Verum ego Noridibus quæ nunc tibi ſoluo camœnis,
Carmina ſera quidem, ſed tamen apta feres.
Hæc ego nunc Muſis pro te fero carmina Rufe,
Ante ſepulchralis condita buſta rogi.
Sumite lugentes plorantia carmina Muſæ
Et date uenturo tempore poſſe legi
Tu quoq́; , ſi qua ſuper mens eſt de funere tali,
Rufe fer hæc animi munera grata mei.
Sicut enim cum dulcis adhuc te uita teneret
Semper eras noſtri maxima fama chori:
Sic tua nunc poſtquam dulcis te uita reliquit,
Perpetuo memores nos decet eſſe tui,
Nam quis te grauior? quis te conſtantior unquàm
Dulcis amicitiæ iura tenere fuit?
Quis Muſas potuit fouiſſe benignior hoſpes?
Teutonides Muſæ quem coluere magis?
Atq́; hoc ut nimium fuerit, num iure rogemus
Aederides Muſæ quem coluere magis?
Me quem naſcentem primum uagus Aedera uidit
Nullius ingenij mouit imago magis.

Heu

Heu pudet, & dolor eſt nemora amplius illa uidere,
In quibus eſt uitæ fixa tabella tuæ.
Heu domus, heu culti tandem ſine floribus horti,
Quis uos ſucceſſor dignus habere poteſt?
Quis nunc uos placidæ ſtudiorum poßidet umbræ?
In quibus ingenij nobilis ara ſtetit.
Quàm mihi grata fuit blando domus illa receſſu,
Tam nunc ingrata eſt lumine caßa ſuo.
Quàm Gotha uicinis reſidens in collibus Heßo,
Tam quoq; nunc longe dißita uiſa mihi eſt,
Illa mihi hyberno uernabat ſydere tellus,
Quæ Muſas tenuit Rufe beate tuas.
Nunc hyemant illi uerno mihi ſydere calles,
In quibus idem olim maxima turris eras.
Donec in his iſtam tenuiſti ſedibus arcem
Fœlicis fuerant aurea rura Gothæ.
Poſtquam tranquillam non incolis amplius arcem
Frigeſcunt ſterilis ſordida rura Gothæ.
Ocia ducebas uitæ tranquilla beatæ,
Nec Venus in partes uenerat ulla tuas.
Sancta ſalutifero pſallebas iubila CHRISTO
Nulla tibi ſtrepitus cura forenſis erat.
Simplicis & ueri fueras candoris amator,
In tua non uenit pectora liuor iners.
Omnes ingenua doctos pietate colebas,
Tam ſub te poſitos, quàm tibi Rufe pares.

Et quanquam fortuna tuis uirtutibus eſſet
Inuida, fortunam uincere doctus eras.
Cuncta habuiſſe tuis tua te communia amicis,
Non uni tantum res ea nota mihi eſt.
Quid referam, quòd eras claris natalibus ortus,
Per te eſt nobilior Mutia facta domus.
Tot bona, tot laudes, tot in unum munera pectus,
Condita, mors auida traxit acerba manu.
Et plures alios potuiſti uiuere in annos,
Non fuerant uitæ languida fila tuæ.
Vix tibi luſtra decem rigidæ clauſere ſorores,
Iam noua nix capiti cœperat eſſe tuo.
Et uigor in membris, & adhuc iuuenile uigebat
Robur, & infracto pectore firmus eras.
Inuidit Nemeſis, duræ inuidere ſorores
Credo nimis ueritæ uiuere poſſe diu.
Cunq; tot annorum tranſiſſes limina lani
Pene ſenex retrahi uiſus es ante diem.
Verum age lugubres ſiſtamus Muſa querelas,
Nil prodeſt miſeris triſtia uerba loqui.
Tu mihi ſalue animis interſite Rufe beatis,
Nunc quoq; pars animi maxima Rufe mei.
Mœnia flammantis tranſcenderis aurea mundi,
Nec tua tartareis exulet umbra plagis.
Quoq; iaces uiridi ſub ceſpite Rufe ſepultus,
Aurea pro ſpinis ſemper amoma ferat.

Vlrich

VLRICHI HVTTENI EQVITIS ac Poëtæ Epicedion

MORS ET HVTTENVS COLLOquuntur.

TV quoq; magnifice qui nos Huttene ſolebas Mors
Spernere, magnifico uulnere ſtrate iaces.
Non iaceo, nec adhuc non te mors improba Huttenus
In quē necdum aliqd iuris habere potes. (ſperno
Nempe iaces noſtri confoßus arundine tæli M
Hoc in te certe ius habuiße fuit.
Non iaceo, nec tæla tuæ mala ſentio dextræ H
Et nec adhuc pars eſt ulla ſepulta mei.
Nempe iaces, clauditq; tuum breuis urna cadauer M
An, qui ſic iaceat, non cecidiße putas?
Vt iaceant alij quos te ſtrauiße ſuperbis H
Ipſe tibi inuictus te feriente ſteti.
Hoc ſi ſtare fuit, ſi hoc non ergo iacere eſt, M
Dic age quo pacto te cecidiße neges?
Non alia quàm qua diui ratione feruntur H
In caſſes nunquam poße uenire tuos.
Quòd ſi diuus eras, cur ſic rationis egebas M
Vt caderes noſtra diue perempte manu?
Nec cecidi, nec diuus eram, quid me improba captas H
Pars etenim ſupereſt maxima uiua mei,
Stulte quid ambiguam poſt fata nouißima uitam, M
Captas? hæc fatuæ ſomnia mentis erant.

H Viuo equidem, neq; ſi corpus maleſana tuliſti,
Vis animo uenit uulneris ulla meo.
M Quid tibi fallaci blandiris imagine uitæ?
Omnis ab extincto corpore uita iacet.
H Quid mihi damna uagæ mentiris inania mortis?
Maior ab extincto corpore uita manet.
M Vt ſibi iam fingant aliquam tua ſomnia uitam,
Fabula quid uitæ proderit iſta tibi?
H Quam mea fama mihi tribuit uerißima uitam,
Adſerit, & ſuperis me facit eſſe parem.
M Dijs ne parem faciat te fama leuißima, cuius
Facta eſt, atq; eadem corporis umbra tui?
H Non ita, nãq; breui clauſum eſt breue corpus in urna
Fama manens pulſat Solis utramq; domum.
M Ad te fama nihil tua pertinet amplius, ex quo
Seu bona, ſeu mala ſit, nil tibi ſcire licet,
H Non ita, nam manes uenit & bona fama ſub imos
Et mala apud ſuperos nulla relicta mihi eſt.
M Ergo quid utilium confeceris optime rerum
Scire operæprecium te referente mihi eſt.
H Quanquam teſte egeat nullo mens conſcia recti.
Non tamen eſt ullus dicere uera pudor.
M Dic igitur, quia non pudet hic quoq; uana fateri
Quæ uiuus facitunt ut uideare tibi.
H Paruus ad huc primaq; notans lanugine malas
Muſarum certo numine plenus eram.

Talia

Talia concinui iuuenili carmina plectro.
Qualia permulti non potuere ſenes.
Inter & æquales uigui,quantumq; recordor,
Indole me nemo liberiore fuit.
Iam minus admiror,genus hoc ſibi ſemper ineptum, M
Promittit nullo tempore poſſe mori.
Sed cur nulla meas remorantur carmina uires?
Cur etiam uates ſpicula noſtra petunt?
Nil nobis tua tæla nocent,quid auara ſuperbis? H
Deſine,dum cœpta cætera lege ſequor.
Pene puer uarias gentes & plurima uidi
Oppida,fortunæ uictor ubiq; trucis.
Nam mihi plus alijs ſæuit Dea cæca,nec unquam
Deſijt indignis exagitare modis.
Cur non & generis uelles meminiſſe,quòd illo M
Clarior & mors eſt & tua uita fuit.
Non pudet ingenuis adeo natalibus ortum, H
Vt fuerim patrio ſanguine Francus eques.
Sed mihi plus curæ fuit,ut generoſior eſſem,
Diuitis æternis dotibus ingenij.
Quid tamen hoc prodeſt poſtquam nos iſta tenemus M
Omnia ceu forti capta trophæa manu.
Corpus auara tenes clauſum teneaſq; ſepulchro, H
Me mea cum ſuperis uita ſuperſtes habet.
Nondum digna ſatis uitæ miracla peracta, M
Queis uel adhuc poſsis uiuere,facta refers.

H *Prima rudimentis clauſa eſt iuuenilibus ætas,*
Digna uiro geſsit munera uita ſequens.
Nam patriæ laudes, & libertatis ademptæ
Iura, manu, calamo, fortiter adſerui.
M *Quas laudes? quæ iura refers? quibus adſeris armis*
An meritis eguit Teutonis ora tuis?
H *Inclyta Pontifices Germania paſſa tyrannos*
Non tantum eſt meritis uiſa eguiſſe meis.
Quam mea facta licet non poſſent ſola leuare,
Quæ tamen huic potui commoda ferre, tuli
M *Qua racione precor? nam tu nec corpore firmo*
Nec fortunæ opibus permetuendus eras?
H *Viribus ingenij præſencia damna leuabam*
Corporis, atq; iſto nomine fortis eram.
Et mea raptores fregerunt ſcripta Cynædos,
Plus quàm mille alijs ullius arma modis.
Nec tamen imbellis fueram, nec corpore fractus,
Vulnera multa dedi, uulnera multa tuli.
Scit Romana lues bullarum turba miniſtri,
Nec tu ſtrate mihi Galle ſuperbe negas.
Quod tamen infirmi mihi corporis obijcis artus,
Poſtremi uicium temporis illud erat.
M *Straueris & Gallum, & Romanum fregeris hoſtem*
Fractus es, & ſtratus non minus ipſe mihi.
H *Principibus quoq; charus eram, ſed plena malorum*
Tempora, non ſunt hoc paſſa fuiſſe diu.

Nil mo=

Nil moror ut fueris chariſsimus omnibus, hoc te M
Plus ijdem fato procubuiſſe dolent.
Stulticia hæc equidem mortalibus omnibus una eſt H
Vt quod tu rapias, hoc periſſe putent.
Illi igitur noſtro funebria iuſta ſepulchro
Soluant, & lachrymis mortua membra rigent.
Me mea ſtulticia ſecurum fecit ab iſta,
Quæ nunc eſt alio uita futura loco.

IN FVNERE CLARISSIMI IOANNIS Reuchlini Phorcen. Epicedion.

SI bonus extinctum crudeli funere Daphnim,
Tytirus Andinas concinit inter oues.
Sicelis ereptum ſi fleuit arundo Bionem.
Si caſus eadem luxit Adoni tuos.
Si Mecœnatem quiſquis fuit ille, beatum
Fleuit, & Auguſto carmina digna dedit.
Triſtia ſi magni defleuit funera Druſi,
Qui lachrymas terſit Liuia ſancta tuas.
Si tener amiſsum plorauit Naſo Tibullum,
Ante diem Stygiæ membra dediſſe rati.
Sic defleta tibi eſt tua Cynthia docte Properti,
Illaq; quæ Paulo coniuge clara fuit.
Deniq; ſi magnum defleuit Muſa Maronem,
Iuſſa ſacro magni Cæſaris ore loqui.
Nos Reuchline tuo nullos in funere fletus
Mittere, res ueniam non habitura fuit.

Cuius ad interitum latis Germania campis
Ingemuit cladis uulnera ſaßa nouæ.
Quem ſic extinctum fortes luxere Sueui,
Vt natum genitrix unica flere ſolet.
Et merito, quid enim præclarius extulit unquam,
Inclyta gens bello diuitijsq́; potens?
Dicite Sueuiades lugubria carmina Nymphæ,
Veſtra nouum certe gloria uulnus habet.
Qualis erat quondã Scythicis Anacharſis in oris,
Et tibi Pythagoras æquore cincta Samos.
Qualem cognouit Mythilenæ Pittacon olim.
Orpheus qualis erat barbara Thraca tibi:
Talis Reuchlinus tibi erat Germanica Phorcyn
Et tibi Germano quisquis in orbe colis.
Dicite Sueuiades lugubria carmina Nymphæ,
Amiſſo luget nomine ueſter honor.
Parca ſub Elyſias Reuchlinum tranſtulit umbras,
Delitias noſtras inuida Parca tulit.
Eſt locus auroræ primo ſurgentis in ortu,
Aëriæ ſupra lucida regna plagæ.
Ille uel Heſperidum cultis certauerit hortis,
Alcinoi uarium uicerit ille nemus.
Tam facili uernant æterna roſaria cultu,
Luxuriat uiuo germine diues humus.
Aurea fœlicem pingunt uiolaria campum,
Nulla eſt in tali peſtilis aura loco.

Dicite

Dicite Sueuiades lugubria carmina Muſæ,
 Pene iacet ueſtri gloria fracta chori.
Illic fœlices inter nunc paſcitur umbras,
 Viuifica potu nectaris, ambroſia.
Non quali pauiſſe deos pater ille deorum,
 Fertur ad ardentem Iuppiter Oceanum:
Sed qualem, cœleſte animæ genus, eſſe fuerunt,
 Quas ſua per Chriſtum paſcit adulta fides.
Fœlices animas, quibus obtigit iſta uoluptas,
 Vſibus à cuius uita beata uenit.
Fœlicem te diue tuo Reuchline receſſu,
 Quàm bona mutata nunc loca ſorte tenes.
Dicite Sueuiades lugubria carmina Nymphæ,
 Veſtra ferè falſum gaudia nomen habent.
Nec te pœniteat doctiſsime nominis huius
 Sueuia, nam patria eſt non Pelopœa tibi.
Quis tamen argutis ſatis approbet omnia Graijs?
 Non uis Reuchlinum Capnio forte placet.
Hæc quoq; ſi Latias uox non arridet ad aures
 Hei quales flammas fumulus iſte dedit.
Clarior ille fuit rutilanti fumulus aſtro,
 Quod Venus in molli confouet alma ſinu.
Fumulus ille diu ſopitos excitat ignes,
 Lanpadis ille noui fumulus inſtar habet.
Dicite Sueuiades lugubria carmina Nymphæ,
 Dimidio uitæ gloria ueſtra caret.

Non fuit eloquij potior uirtute Latini,
Græcia Reuchlino cognita tota fuit.
Primus Iudæas uoces & barbara noſtras,
Chaldæo docuit uerba notanda ſono.
Aſtrorum cœliq; uias & ſydera nouit,
Nouit inhumanæ tertia regna plagæ.
Illi, ſi qua poteſt humanas ulla per artes,
Gloria plena dari, gloria plena data eſt.
Dicite Sueuiades lugubria carmina Nymphæ,
Non habet autorem gloria noſtra ſuum.
Clauiger inuictam capitum grege contudit hydram
Perdidit hic iſto durius angue malum.
Nam quæ lernæa magis totum graſſata per orbem,
Quàm Monachum nuper bardo cucullus erat?
Ipſius hanc auide populantem uiſcera peſtem,
Reppulit, & uictæ iura ſuperba dedit.
Dicite mendicæ uolucres, quæ cauſſa coegit,
Eximium roſtris impetijſſe uirum.
An quia uos ſtatuæ contemnitis omnia picæ,
Quæ reliquæ metuunt & uenerantur aues.
Nulla ſed interea niſi friuola bella mouetis,
Atq; eſtis ſola garrulitate truces.
Dicite Sueuiades lugubria carmina Nymphæ,
Gloria ſub lachrymis ueſtra ſepulta iacet.
Heu dolet & fruſtra dolet, et res ſtulta profecto eſt
Hic ubi nil prodeſt, uelle dolere, dolor.

Sed quis

Sed quis tam iuſto poßit pugnare dolori?
Ipſe dolor cauſam ſæpe doloris habet.
Hac quoq; communi ſtudiorum clade, quis unquam,
Riſerit? aut quis tam ſaxeus eſſe queat.
Tam fera barbaries nulla eſt, quæ uulnere tali
Non aliquo nequeat condoluiſſe modo.
Dicite Sueuiades lugubria carmina Nymphæ
Non eſt incolumi gloria ueſtra ſtatu.
Te ne beate deo nullis Reuchline fleamus,
Nec tua condamus funera carminibus.
Te patriæ fleuere tuæ, fortißima bello
Pectora, te grauibus Rhenus & Iſter aquis.
Quantum afflicta tuo fuerit Germania fato
Flumina pene audent, mutaq; ſaxa loqui.
Vnde etenim bona quæ tecum periere reſumat?
Vnde iterum dotes eſt habitura tuas?
Dicite Sueuiades lugubria carmina Nymphæ
Dicite nunc penitus gloria noſtra iacet.
Regna colas uere melioris tertia mundi
Qua niueas ducit ſignifer agnus oues.
Qua ſedet, & magnum nutu rex temperat orbem,
Quem peperit uerum uirgo puella Iouem.
Sit tibi ſancte ſenex requies in partibus illis
Quam rabies monachum nulla mouere queat.
Terra tui teneat placidißima corporis oſſa,
Et tua in æternos ſtent monumenta dies.

CLARISSIMI VIRI BILIBALDI PYRGHAYMERI PATRICII NVrenbergenſis ac Auguſtalis Conſiliarij, qui mortuus eſt Anno M.D.XXXI. Menſe Ianuario, Epicedion.

BILIBALDVS PATRIAM ALLOQVITVR.

Quid iuuat aßiduis inceſſere fata querelis,
Sæpius & nimio dura fuiße queri?
Viribus æternis manet immutabile robur,
Quod ſibi fatales conſtituere deæ.
Quare age ne noſtro lachrymas in funere funde
Patria, nec longi ſigna doloris habe.
Non ego lugentes abij uelut exul ad umbras,
Altera te potior patria nacta mihi eſt.
Quam bene conditio uitæ eſt mutata prioris,
Quæ, mihi ſi quis ad hanc conferat, umbra fuit.
Creditus interijſſe tibi, nunc uiuere primum
Incipio, & uere muneris eſſe mei.
Nec tu ciue tuo te orbatam credere debes,
Qui nunc non minus eſt, quàm fuit ante tuus.
Cuius ab exequijs tibi maior imago reſurgat,
Fama quidem uiuis eſſe maligna ſolet.
Omnia mors aperit deterſo nomina fuco,
Nube ſub inuidiæ quæ latuere prius.

Quan=

Quanquã ego non latui, quanquã mea clara fuerũt
  Nomina, ſplendeſcent nunc tamen illa magis.
Nam tibi multa & magna ſatis monumenta reliqui,
  Illa meo quidem corpore maius habent.
Corpus iniqua quidem morbis attriuerat ætas,
  Ingenij ſemper gloria firma ſtetit.
Non hoc peſtis atrox, non hoc decliuior ætas
  Excuſſo potuit diſſoluiſſe ſtatu.
Manſit, & extremos firmum peruenit ad annos,
  Hoc mors non potuit cogere ſæua mori.
Nec tibi profuerat corpus quod inutile fecit,
  Mille modis ætas, crux data mille modis.
Profuit hic animus tibi patria, proderit idem,
  Dum decus ingenij corpore maius erit.
Quanquam dum ſolidas uires animoſa ſenectus
  Sufficeret, miles non tibi turpis eram.
Nec te credo mei poſt tot benefacta pudebit,
  Vtilis eſt uirtus nunc quoq; noſtra tibi.
Et ſi permittis de mihi dicere, poſtquam
  Inuidiæ ſtimulis gloria uera caret.
Plus tibi præſtiterant ſolidæ mea nomina laudis,
  Quàm foris aut uires diuitiæue domi.
Ipſe tuam foui per regna externa ſalutem,
  Ipſe tui uindex ſemper honoris eram.
Pro te ſæpe tuli diſcrimina maxima, pro te
  Sæpe ſteti ſupplex Cæſaris ante thronum.

Maximus eximijs me laudibus Aemilianus
Cæſar honoratum iuſsit habere locum.
Nec me Cæſarea potior fuit alter in aula
Conſilijs, rerum fructibus, ore, fide.
Nec mihi defuerant uirtutes militici
Bellica ſunt ductu ſigna relata meo.
Sed poterant de me ſpecioſius iſta referri
Pluraq; quæ prohibet dicere facta pudor.
Hæc tibi ſi qua poteſt exiſtere cauſa querendi
Abſtulit hæc duræ mortis auara manus.
Nec mihi profuit ingenuas cumulata per arteis
Gloria, quo caderet corpus inane minus.
Non ſacra magnorum myſteria cognita uatum,
Quidquid & arcanum litera ſancta docet.
Omnia non ſacri luſtrata uolumina iuris,
Non quidquid medicæ cura ſalutis habet.
Omnia non facili tenuiſſe mathemata ſenſu,
Quodq; aliquis magnos Rhetoras inter eram.
Non operata diu duplicis facundia linguæ
Deniq; non quidquid Pallas an a e poteſt.
Hæc mors cuncta tulit, nihil horum ingrata reliquit,
Si ſpectes miſeri corporis officium.
Si uero æternæ, quod debes, nomina famæ,
Talia cum uellet tollere dona, dedit.
Sicut enim corpus conſumit auara receptum,
Sic dona ingenij ſplendidiora facit.

Parte

Parte igitur meliore mei tibi chara ſuperſtes
Sum patria, hac nunquàm mortuus eſſe ferar.
Tu monumenta ſtude noſtri retinere fauoris
Si ſapis, ut maneant quàm diuturna tibi.
Inde mei ſimiles multos ut habere labores
Admonitam & memorem te ſatis eſſe uelim.
Ne placidi tantum ſpectes commertia lucri
Rei non indignæ ſi tueare modum.
Quod ſi diuitias ſtudijs ſapientibus ornes,
Aequari nulla laus tua ſorte queat.
Sicut enim flores rerum moderamine læto
Sic arteis debes læta fouere bonas.
Atq; animum ſtudijs tanto magis addere, quanto
Sordeſcunt iſto tempore ſpreta magis.
Quòd ſi non facies, neq; credes iſta monenti,
Quo te pœniteat iam tibi tempus erit.
Nec procul illud erit tempus, niſi cauta futuri,
Præuenias cladis triſtia damna tuæ.
Qua facere id poſsis, nec tu neſcire uideris
Nec decet hic manes conſuluiſſe tibi.
Quànquam conſilijs mens libera corporis æſtu,
Plus ualet, et propius cunctaq; ſéq; uidet.
Tu mihi ſi qua uoles impendere præmia honorum
Fac cineri ſoluas omnia iuſtà meo.
Hic ubi Pegneſus pulchram uagus alluit urbem,
Quæ de Teutonica Noridè nomen habet.

Hic mihi conſtitues clari monumenta ſepulchri
　In quibus abiecti corporis oſſa cubent.
Et poſitum in uiridi ſignabis ceſpite marmor
　Siue hoc, ſiue alio carmine ferre uoles.
Nuper in hac reliquum Bilibaldi condidit urna
　Quam ciui poſuit patria grata ſuo.
Hunc mihi tu ſtatues tumulum monumenta, per orbẽ
　Ipſe mihi feci non peritura.　Vale.

IN FVNERE SVMMI VIRI MERCVrini Principis Chattinariæ, diui Caroli Imp. Cæſ. V. Conſiliarij Ad Clariß. uirum D. Ioannem Dantiſcum Epiſcopũ Culmenſem, ac Regiũ Poloniæ Legatum, Epicedion.

Cvi ſua diuitias uirtus & honeſta laborum
　Opes honeſtas contulit patientia.
Scribere me Dantiſce iubes Epicedia magni
　Quæ Mercurini funus ornẽt laudibus.
Fas mihi mandatis animo parêre uolenti
　Tua cuncta iuſſa quem decet, capeſcere.
De me ſic meritus cum ſis, & ſic tua uirtus
　Et poſtulet haud uulgaris eruditio.
Accipe ſed lachrymis alieno carmina plectro
　Ratione ſcripta Mercurini nominis.
Quod quia ſpreuerunt Elegi tractaſſe rebelles
　Succeſſit his Iambus æquus arbiter,

Quondam

Quondam criminibus nunc aptis & ille querelis,
Et ante ſæpe lectus in funebribus.
Tempore quo tetricæ ruperunt fila ſorores
Tibi Mrecurine Chattinariæ domus
Eximium decus, ad tumulum uenere frequentes,
Diuæ daturæ iuſta funeri tuo.
Prima bonis uirtus comitata ſororibus ibat
Probitate, lege, pace, iuſtitia, fide.
Ibat & ipſa ſuis ſapientia cincta miniſtris,
Modeſtia, pietate, fortitudine.
Ex his triſte duæ pheretrum ſubiere priores
Capulum ſequentes ingemuere cæteræ:
Præcipue pax atq; fides, quas ille ſolebat
In tempus omne amare conſtantiſſime.
Iuſtitia indecores flebat laniata capillos
Audita ſiue hoc, ſiue tale quid loqui.
Quæ modo ab exilio duce te reuocata uidebar,
Te Mercurine abeunte rurſus auocor.
Conſcidit alma fides laceræ ſubtegmina pallæ
Et eiulabat ut ſolent miſerrimæ.
Ingemuit probitas ſolam ſe queſta relinqui
Quòd occidiſſet ipſius uerus pater.
Quis numerare queat, quot in illo funere diuæ
Bonis amicæ lachrymas effuderint?
Quas neq; crediderim tantum doluiſſe, cicuta
Quando extulere conſopitum Socratem.

Nec plures lachrymas magno fudiſſe Platoni
Cum ſternerent funebre diuerſorium.
Non ſic Democritum flerûnt non Pythagorei
Ad haud parum lachrymoſa buſta funeris.
Nec tantum ille chorus uirtutum Heroinarum,
Funebre ſoluit Mercurino debitum.
Verum etiam ſuper Aonides uenere puellæ
Nec defuere contorales Gratiæ.
Quæ procul è tumulo ſpectantes triſtia magni
Sed glorioſa Mercurini funera.
Conſtiterant mœſtæ gemituſq; dedere Camœnæ,
Collachrymantes adſtiterunt Gratiæ.
Cum ſic præ reliquis de ter tribus una loquuta eſt,
Fuiſſe credas Vranien amabilem.
Heu dolor, hoc etiam Parcis licuiſſe ſuperbis,
Quis æquiore pectoris ſenſu ferat?
Ecce iacet noſtri quondam defenſor honoris,
Nos ille ſemper excolebat unice.
Quanto noſtro ſalus orbata eſt præſide? quanto,
Orbata patre uera uirtus exulat?
Quale Auguſte tuo deceſſit lumen honori,
Letale uulnus hoc ne ſentis Carole?
Nemo tuæ melior, te principe, præfuit aulæ,
Meliusq; rebus nemo conſuluit tuis.
Pacis & armorum fuit arbiter æquus, & idem

Autor

Autoritate ſummus, inuictus manu.
Magnarum contemptor opum, pietatis imago
Rariſſima altæ fama temperantiæ.
Inuidere tuis talem fata impia rebus
Auguſte Cæſar ô beate præſidem.
Ne tibi quo poſſes ueterum uirtute priorem
Te gloriari dira ſors relinqueret.
Nam fuit ille tibi, quod Mecœnas fuit olim
Tuo bonus ter maximo cognomini.
Quod fuit Aeacidæ Phœnix, quod Neſtor Atridæ,
Quod Mentor inclyto ſenex Vliſſeô.
Quod fuit Aeneæ magno generoſius Achates,
Quod glorioſo Epheſtion Philippidæ.
Nunc tamen ille breuem tantus tenuatur in urnam,
Et uix inane nomen extat illius.
Vos mihi nunc mœſtæ date lilia pulchra ſorores,
Cumulemus ut ſepulchra floribus nouis.
His ſaltem illuſtrem decoremus honoribus umbram,
Fungamur hoc, quamuis inani munere.
Talibus Vraniæ dictis affata ſorores
Confuſa triſtes eiulatus ædidit.
Nec Charites tacuere, ſed è triſtibus una loquuta eſt
Thalian hanc fuiſſe floridam ferunt.
Nos larga dedimus cœleſtia munera dextra,
Tibi Mercurine queis placebas omnibus.

Luminibus blandam tibi nos afflauimus auram;
Nos uultui tuo perhennem gratiam.
Nos decus indidimus maieſtatemq; uerendam,
Tuoq; robur haud iniquum corpori.
Noſtrum munus erat quæ te facundia diuis
Aequauit ipſis, prætulit mortalibus.
Quid tamen hæc prodeſt tibi nos tribuiſſe deorum,
Benignitate copioſa munera?
Inuida poſtquam iſthæc mors abſtulit omnia, quando
Fuerant tibi datura fructum maximum.
Iam patrium linquens Hiſpani flumen Iberi,
Germaniam petis ſequutus Cæſarem.
Cum ſubito extinctum populi uidere colentes,
Montana regna ad Oenipontum nobile.
Scilicet inuidit fatum, ne magna uideres
Rheni ſuperbi, Danubiq; flumina.
Sed nihil immiti proſunt in morte querelæ,
Nullis ſuperba precibus unquam flectitur.
Nos tibi nunc tumulum facimus, tumulumq; coronis
Ornamus hiſce perpetuo uirentibus.
Vt dum uere nouo repetitus floreat orbis,
Tua glorioſa laude fama floreat.

IN FVNERE CASPARIS NVCELII
Præfecti ærario urbis Noricæ,
Epicedion.

Et me

ET merito, quid enim nõ lugeat omnis ademptũ
Norica res fato publica Nucelium?
Nam ſi parua leui languent diſcrimine, peius
Corporibus magnis uulnera magna dolent.
Sentit, & ipſa ſuum ſic fert animoſa dolorem,
Vt dextra uulnus diſsimulante tegat.
Quanquam non ita diſsimulat, quia languet honeſto
Vulnere, ut hac ſeſe clade dolere neget.
Non negat, imo graui ſe læſam ſorte fatetur,
Poſtquam Nucelium Parca maligna tulit.
Nunc igitur fato crudeli deflet ademptum,
Quæ prius urbs illo ciue ſuperba fuit.
Et merito lugens talem ſibi deflet ademptum,
Seu libeat natum dicere, ſiue patrem.
Nam quod dilectæ mater ſolet eſſe parenti,
Hoc nunquam patriæ non fuit ille ſuæ.
Quod nate genitor ſolet eſſe fidelis amanti,
Hoc tibi dum licuit Norica berga fuit.
Hunc non illa fleat? non huius iniqua queratur
Stamina poſterius non potuiſſe trahi?
Non ſi ſit Scythico ſub ſydere condita, non ſi
Inter inhumanos ſit ſita Beſſagetas.
Namq; fuit patrij ſtudioſus ſemper honoris,
Vrbanæ cuſtos utilitatis erat.
Ille ſua ſanctum ornauit uirtute ſenatum,
Plebei ſemper amans ordinis ille fuit.

Publica priuatis bona præpoſuiſſe ſolebat,
Nec propria quaquam commoditate trahi.
Conſilio bonus,ingenio fuit utilis acri,
Facunda eloquij dexteritate potens.
Cumq; magiſtratum gereret,non illius unquam,
Iure tumens,uoluit plus licuiſſe ſibi.
Natura facilis,ciuilis,& æquus in omnes,
Non aliqua faſtus aſperitate grauis.
Non rigidus,non ore minax affabilis omni
Tempore,ſeu iuuenis,ſeu loquerere ſenex.
Nulli unquam nocuit,multos adiuuit,& omnes
Officijs ſtuduit demeruiſſe bonos.
Cunq; Latina minus ſaperet,tamen illa fouebat,
Vnicus,& ſtudijs ſemper amicus erat.
Vidit enim pulchris ſtudiorum fructibus urbes,
Creſcere,& huic illis eſſe putabat opus.
O rara uirtute uirum,quam tempore noſtro,
Qui ſtudia ignorant deſpicere illa ſolent.
Quid memorem quanto illi fidem Chriſteida cultu,
Qua pietate animi ſimplicis extulerit?
Sancta renaſcentis diuini oracula uerbi,
Prima loco iuſsit ciuibus eſſe ſuis.
Quod Cato Romanæ quod erat Pompeius urbi.
Ille ſuæ,tantum dempſeris arma,fuit.
Nec ſic eminuit primum ut ſe uellet haberi,
Liberaies faſces debet habere pares.

In quibus eminuit tamen, illa fidelibus auxit,
Ipſe pares ſpectans, facta miniſterijs.
O clarum pietate uirum, cui ciuica certe,
Si ferat hæc ætas danda corona fuit.
Nam plus eſt in pace bonos bene ponere ciues,
Quàm medio in bello conſeruaſſe malos.
Ille etiam ſeu pacis erant, ſeu tempora belli,
Siue nec hoc certum, ſiue nec illud erat.
Nil alienum à ſe humani ratus eſſe negoci,
Pauperibus promptam ſæpe ferebat opem.
Munera iuditio non prætulit, omnia fecit
Vt ſcirent omnes & ſine teſte nihil.
Aequales ſumma pietate colebat amicos,
Sed nec inæquales ſpreuit amicitias.
Omnibus obſtrictum ſe maluit eſſe uideri,
Quàm male deuinctum quemlibet eſſe ſibi.
Moribus his fuerat quos, quam reprehendere, poſſet
Ipſe magis uera laude probare Cato.
Ornabat facilem generoſa modeſtia mentem,
Suſpicio luxus nec leuis ulla fuit.
Nemo magis ganeæ, nemo magis ebrietati
Nemo magis ludis turpibus hoſtis erat.
Talis hic, & tantus, quid ni doleatur ademptus?
Non fleat urbs tali Norica caſſa uiro?
Roma ſuum lachrymis Ciceronem fleuit acerbis,
Sed raptum exilio, non tamen exitio.

Atq; hunc reſtituit cupidæ Pompeius urbi,
Atq; alij, res hæc deteriore loco eſt.
Norica ſic gemit ex oculis urbs prorſus ademptum
Nucelium, ut nemo reſtituiſſe queat.
Si foret exilio bonus hic reuocandus ab illo
Nulla nimis ſpacij terra habitura fuit.
Ibimus extremos ultra Garamantas, & ultra
Aeſtiuæ Solis torrida regna plagæ.
Ibimus & Scythiam ſupra Tanaimq; niualem,
Quaq; ſtat æterno Tethyos unda gelu.
Nunc nec ab occiduis, nec ab Euri uallibus illum
Poſſumus in noſtros reſtituiſſe lares.
Illum ac nos inter mors ferrea limina fecit,
Limina quæ nulla frangere detur ope.
Illa Cyclopæis ualidas mago turribus arces
Extruit, humanas deſpicit illa manus.
Illa nec ambiri longarum ambago uiarum,
Nec falli quauis conditione poteſt.
Omnibus inſidias poſuit regionibus, omnes
Decipulis homines nocte dieq; capit.
Solius arbitrio nutu quatientis Olympum,
Aut ceſſat properans, aut furit incipiens.
Huius ab inſidijs poſtquàm eſt exceptus, & iſtas
Humani poſuit corporis exuuias.
Iam loca Nucelius placida & meliora frequentat,
Nunc tandem patriæ ciuis in urbe ſuæ.

Namq; hæc

Nanq; hæc non patria eſt nobis, quicunq; profecti,
Huc ex ætherea ducimus arce genus.
Hinc ſumus atq; iſtas poſt fata reuertimur oras,
Quicquid in his tenebris uiuimus, exilium eſt.
Illo Nucelium mortali ex orbe reuerſum,
Deſinite iniuſto uelle dolore queri.
Quin potius monumenta uiro uictura parate,
Ipſius ut longo tempore uiuat honor.
Hoc ciues decuit gratos, ſic ipſe tot annis,
De ueſtris meritus rebus & urbe fuit.
Sed ne forte olim ſpectetur inane ſepulchrum,
Impoſitum cineri littera ſignet opus.
Hoc quicunq; uides ſignatum carmine ſaxum,
Hic ſita Nucelij Caſparis oſſa ſcias.
Præfuit ille diu patriæ fœliciter urbi,
Pene ſenem morbi uis truculenta tulit.

y 3

FINIS.

INFVNERE CLARISS. QVONDAM VIRI, D. HIERONYMI EBNERI VRbis Noribergæ Aerario præfecti ſupremi &c. per Helium Eobanum Heſſum, Anno M.D.XXXII. Menſe Auguſto dictum.

CVm mihi funebres dictaret Muſa querelas,
Nuper, & augendis luctibus apta foret.
Frangebã calamos, & plectra loquatiá rupi,
Ad lachrymas iterum non habitura uiam.
Heu incerta hominum fiducia, nulla futuri
Spes animi certam debet habere fidem.
Nam mihi cum ratio non ullius ulla querelæ,
Fine uideretur poſſe uenire nouo.
Quàm ſubito in tenues ſpes illa euanuit auras,
Quàm ſubito eſt ratio carminis orta noui.
Scilicet illuſtres caneret dignasq; perenni
Laude animas, quæ nunc muta Thalia foret.
Non ita, nam fato iacet ille extinctus iniquo,
Ille decus patriæ præſidiumq; ſuæ.
Cuius ad interitum Nymphæ Pegneſides ægrum
Vorticibus rapidis exeruere caput.
Et quis io perijt? medijs nam ſenſimus undis
Inſignem meritis interijſſe uirum.

Cum ſubi-

Cum ſubito tenues uox eſt audita per auras,
Fallimur? an Genij Noridos urbis erat?
Dicite lugentes funebria carmina Nymphæ,
Ferali triſtes cingite fronde comas.
Occidit Ebnerus dubijs Hieronymus annis,
Nam potuit plures uiuere & eſſe ſuper.
Attigit undecimi uix dum confinia luſtri,
Rupit adhuc ſtabilem de tribus una colum.
Dicite crudeles infamia nomina Parcæ,
Hic uos nonne modum, non habuiſſe pudet?
Quàm uos utilibus ſublatam extinguitis annis,
Ah nondum uirtus debuit iſta mori.
Non ſibi ſed patriæ plures uixiſſet in annos,
Ebnerus patriæ uiuere doctus erat.
Quæ nunc ipſa patrem merito ſibi luget ademptum
Lugubre funereo puluere ſparſa caput.
Dicite lugentes funebria carmina Nymphæ,
Ferali triſtes cingite fronde comas.
Illum omnis luget populus, quiq; incolit urbem,
Quiq; extra populus mœnia celſa colit.
Omnis & hunc ætas, ſexusq; hunc omnis, ademptũ
Fœminei cœtus tota corona dolet.
Hunc deflent cecidiſſe uiri iuuenesq; ſenesq;.
Nemo puer, lachrymis nulla puella caret.
Omnes ille equidem pietate accepit eadem.
Omnibus ex animo fidus & æquus erat.

Mirum quòd tanto in populo uox nullius unquam
Auſa eſt de factis illius ulla queri.
Parte omni ex æquo uirtutes miſcuit omnes,
Par in eo grauitas dexteritasq; fuit.
Qualem diuitibus, talem ſe geſsit egenis,
Vnus erat candor pectoris, una fides.
Extulit æquatam non ulla ſuperbia mentem,
Nullius inſurgens perculit aura metus.
Quòd ſi iuſtitiam ſpectes, hæc ſumma feratur
Laudis, Ariſtides Noricus ille fuit.
Si quàm res animo prudenti geſſerit omnes,
Hic te pene, Fabi Maxime, maior erat.
Quos adeo forti non ſpreuit pectore motus,
Non merito ut dicas Cæſar & ille fuit.
Pulchra uerecundos comitata modeſtia mores,
Ante & Graiugenas Romulidasq; tulit.
Quanquam ſi libeat gentilia nomina noſtris
Conferre, innumeri qui peterentur erant.
Noſtra alia eſt ratio. ſancti quos unda lauacri
Abluit, & faſsi qui tua Chriſte ſumus.
Qui tua Chriſte ſumus faſsi, mortemq;, crucemq;,
Vulnera, flagra, genus, munera, uerba, fidem.
In quibus ille fuit tanto ſuccenſus amore,
Vt leue pro Chriſto duxerit eſſe mori.
Quàm bene pro ſolo uetera omnia nomina Chriſto
Spernimus, hic illi uitaq; duxq; fuit.

Rettulit

Rettulit omnia ad hunc, accepta huic cuncta ferebat,
Quæ data cognorat munera cunćq; ſibi.
Mille alias alij adnumerent uirtutibus iſtis,
Me uetat ingenuus dicere plura pudor.
Dicite lugentes funebria carmina Nymphæ,
Ferali triſtes cingite fronde comas.
At tu iudicio fatorum ablate maligno,
Quantus es eximia factus in urbe dolor.
Te non ſoli homines, non patria ſola, ſed ipſi
Penè etiam montes, mutáq; ſaxa gemunt.
Te nemus Hercynium, uitrea ue Noricus unda
Pegneſus, liquidi te gemuere lacus.
Nunc tua rure etiam Megalopagana queruntur,
Te ſine quòd placeat laudis habere nihil.
Coniugis ut caræ lachrymas gemitusq́; perennes,
Vt taceam ſanctæ pignora rara domus.
Quid tuus ille animi ſibi nunc aſſuanet Eraſmus?
Ille tui generis gloria, fama, decus.
Quantas ille tibi laudes, quantasq́; dicabit.
Ingenij dotes & monumenta ſui?
Tu tamen ò cœlo iuuenis gratiſſime, ne te
Ne procul à Muſis mors genitoris agat.
Cur tamen hæc metuam de te, quem læta iuuentæ
Gratia non paucos extulit ante ſenes?
Dicite lugentes funebria carmina Nymphæ,
Ferali triſtes cingite fronde comas.

Illius, ille chorus luget tua funera, cuius
Ordinis eximium tu decus unus eras.
Non quia non habeant ſimiles tibi, ſed quia tandem
Ex iſta non eſt integra parte ſui.
Quid loquor ingenuas quàm fouerit impiger artes
Quàm tulerit Muſis triſtibus unus opem?
Quo miſere afflictis ſtudio ſuccurrerit, & qua
Fulcierit lapſas dexteritate Scholas.
Nimirum ingenuas euectus & ipſe per arteis,
Artibus ingenuis uerus amicus erat.
Vidit enim quàm contemptæ ſpretæq; iacerent,
Quàmq; eſſet clades inde futura grauis.
Atq; ita conſuluit patriæ, quantum eſſet in ipſo,
Quantum etiam poſſent tempora dura pati.
Sed tamen inuidere uiri conatibus iſtis,
Numina naſcenti non ſatis æqua Scholæ.
Quod ſi digna Deo uirtus ſpectanda fuiſſet,
Hic uir ob hanc dignus ne moreretur erat.
Si probitas, ſi ſancta fides, ſi fixa Deo ſpes,
His ſatis armatus uiribus ille fuit.
Quid tamen hoc prodeſt? quid cingi talibus armis
Inuictas Diuûm profuit ante manus?
Dotibus à tantis cur non fatalia Parcæ
Numina, crudeles abſtinuere manus?
Vel ſi uirtutem nihil eſt coluiſſe, dediſſent
Viuere adhuc paucos huic licuiſſe dies.

Sed

Sed tamen eſt nimium ratio huius inepta querelæ,
Gratari & melius, quàm doluiſſe fuit.
Ponite lugentes funebria carmina Nymphæ
Ornatas uiridi cingite fronde comas.
Perdidit Ebnerus falſæ mala gaudia uitæ,
Inuenit uitæ gaudia uera nouæ.
Exuit arma ſui mortales corporis artus,
Induit arma animæ non moritura ſuæ.
Pone modum lachrymis urbs Norica, mitte querelas
Nil proſunt lachrymæ, nulla querela iuuat.
Quin gratare tui potius, quod uiuit alumni
Gloria, quod uirtus non obitura manet.
Non moritur quisquis tales poſt funera laudes
Inuenit, iſta bonis uita uenire ſolet.
Nam quis in hoc populo non miris laudibus illum
Euehit, & patriæ uulnera tanta dolet?
Quanquam ſtulta hominum uanos ſapientia motus
Fingit, & ipſa nocens anxia uita ſibi eſt.
Nullus enim miſeris modus eſt affectibus, & nos
Apparens falſi ludit imago mali.
Tanquam uel nobis proſit, uel lumine caßis,
Incuſare Deos, flere, dolere, queri.
Cum nihil hinc ad nos redeat, nihil adferet illis
Præter ſtultitiæ non habuiſſe modum.
Sicut ubi errantem ſequitur canis impiger umbram
Extimat eſſe aliquid, quod nihil eſſe liquet.

Aut ubi uana leues turbant inſomnia ſenſus,
Omnia quæ ueniens diſcutit hora uigil.
Nos quoq; qui lachrymis nimis indulgemus ineptis,
Non nimium à brutis turba aliena ſumus.
Quin magis hoc ipſis peiores nomine brutis,
Quod nos iudicio fallimur, illa minus.
Nam ratio eſt aliquo, quæ iudicat omnia ſenſu;
In nobis ratio eſt, hæc ratione uacant.
Cum uero rapidæ terremur imagine mortis,
Incautos animos ſomnia uana mouent.
Omnia quæ ueniens poſt mortem uita reuelat,
In media uiuos morte fuiſſe docens.
Quare agite ò uanas procul hinc auferte querelas,
Quos fata Ebneri mortis acerba mouent.
Ille quidem tetro mortalis carcere liber
Carceris, aſtriferi poßidet orbis opes.
Vnde hæc uana hominum ludibria ridet, & iſtas
Vndantes lachrymis non amat inferias.
Nos tamen hæc dedimus memori deſcripta libello
Carmina, ſic merito, qualiacunq; uiro.
Non quia uel manes his credam poſſe moueri,
Noſtra uel ætherias tangere uerba domos.
Sed quia quod, quem non potui, teſtentur honorem,
Seu quia quod uolui, nomen in aſtra ferant.
Vos quoq; qui bibitis ſacræ Permeßidos undas,
Quorum non paucos Noris amœna fouet.

Vos

Vos agite Ebneri cultis ſignate ſepulchrum
Verſibus, & grata condite buſta manu.
Ille quidem ueſtro ſemper ſic fauit honori,
Vt uix huic tulerint mœnia ueſtra parem.
At tibi Dij faciles, tibi ſit placabile cœlum,
O anima exceſſu facta beata tuo.
Molliter exigua corpus requieſcat in urna,
Donec in hoc licitum ſit rediſſe tibi.
Donec id aduentus tuba nuncia ſuſcitet horæ,
Per quam uita bonis, Mors erit una malis.

IN FVNERE CLARISS. ET INCOMPARABILIS ERVDITIONIS *uiri D. Eraſmi Roterodami Epicedion H. Eobani Heſſi.*

AD GERHARDVM NOVIOMAGVM

MAnibus ut magni funebria poſſis, Eraſmi,
Flebilibus numeris, docte Gerharde, canã.
Obſequerer, ſi noſtra ſuas in carmina Muſæ
Quas olim uires exhibuêre, darent.
Qualibus inualuit primæ calor ille iuuentæ,
Qui nunc extincto frigidus igne iacet,
Sicut læta uides primi noua gaudia ueris
Dum uiret, & uarias parturit annus opes.

Poſt ubi uernus honor defloruit omnis, ab illo
Omnia perturbat, tempore, triſtis hyems.
Sic mea uere ſuo, quæ floruit indole læta
Muſa ſenectutem ſentit adeſſe ſuam.
Non quia iam canas contraxerit illa pruinas,
Proq; ſacro gelidas hauriat amne niues.
Sed quia pomiferi ceu tempora proſpicit anni,
Nec iuuenem, nec ſe dixerit eſſe ſenem.
Et mihi iam tales iteranti ſæpe querelas,
Faſtidit ſolitum nauſea facta cibum.
Experiar tamen, & quantum ſe Muſa canenti
Ingerit, haud magno, quod petis, ore canam.
Nam tibi tam blando, tam pectore, iuſta petenti
Quis neget? & ſi quis, qua ratione neget?
Eximium fato functum lugemus Eraſmum,
Hoc duce qui Muſis addita turba ſumus.
Fatorum inuidia, quis enim dubitarit? Eraſmus
Hinc eſt ad ſuperas iuſſus abire domos.
Hic nihil inuidiæ eſt, ſed enim ſupereſſe licebat
Longius, hæc ſeries non properanda fuit.
Certa erat hæc illi requies à fine futura,
Tardior hic finis debuit eſſe tamen.
Vixiſſet paucos, & ad huc potuiſſet, in annos
Iuſta minus forſan noſtra querela foret.
Nunc quia non licuit ſupereſſe diutius illi,
Quàm decuit, querimur, plus libuiſſe tribus.

Dignus

Dignus erat Pylios qui uita exiſſet in annos,
Atq; etiam plures Neſtoras eſſe ſuper.
Tot, niſi uana ferunt, uiuaces ſecula cerui
Exuperant, cornix garrula tam fit anus.
Tam dedit anguſtos homini lex improba fines,
Naturæ ratio tam minus æqua fuit.
Vt tamen hac nobis non ſit ratione dolendum,
Quicunq; è media pars quota plebe ſumus.
Quantum erat ingenijs tam ſanctis parcere, & iſtâ
Fatali legem poſtpoſuiſſe die?
Nec de plebe fuit media, uirtutis Eraſmus
Nomine, ſemideûm par fuit ille choris.
Eripuere tamen terris hunc fata, quid ultra
Erepto hoc prodeſt flere, dolere, queri?
Quæ non abſtinuêre manus à funere tali,
Pene deos cogent impia fata mori.
Nam quid non habuit? quid non fuit ille, quod ipſæ
Fatales poſſent non timuiſſe deæ.
Eximium fato functum lugemus Eraſmum,
Hoc duce qui Muſis addita turba ſumus.
Ingenio fuit ille ſui clariſsimus æui,
Viribus eloquij maximus ille fuit.
Ille ſacris primus detractum nuper honorem
Reddidit, & cultus ueſtijt arte noui.
In lucem prauas monachorum protulit arteis,
Legitimoq; deum iuſsit honore coli.

Vt taceam quanto pietatem iuuerit auctu,
Innumerabilibus uiribus ingenij.
Infra ſe poſitis, & humi repentibus, omni
Quo potuit ſtudio profuit, arte, fide.
Tot ratione ſcholas ſtudiorum munijt omnes,
Quot nemo, ante ipſum, qui potuiſſet erat.
Quæ non abſtinuêre manus à funere tali,
Penè deos cogent impia fata mori.
Perpetuo præſens fuit illi copia fandi,
Dixiſſes magno cum Cicerone loqui.
Nec mea teſte caret uox hæc, monumenta reliquit
Plurima, quæ nullus neſcit in orbe locus.
Quæ legit immenſas Germania magna per oras,
Quæ legit Heſperiæ littus utrunq; plagæ.
Quæ legit à noſtro diuiſa Britannia cœlo,
Quæ legit Arctoo Dania cincta mari.
Quæ Scotus & Picti, quæ dites lacte Suēdi,
Quæ legit æripedi Sarmata paſtus equo.
Deniq; quæ totum legit omnis fama per orbem,
Sub quacunq; aliquod nomen Eraſmus habet.
Eximium fato functum lugemus Eraſmum,
Hoc duce qui Muſis addita turba ſumus.
Illum omnes fleuere boni, flêuere maliq;,
Vſq; adeò ſtudijs omnibus unus erat.
Illum Teutonici lugent uada cærula Rheni,
Et quicunq; ab eo nobile nomen habent.

Præcipue

Præcipue qua ſe præter Baſilea fluentem
Spectat, & occiduas mittit, ut intret, aquas.
Illa uiri cineres tanti, tumulumq́; recentē
Poßidet, illa ſuo condidit oßa ſinu.
Illum oræ celebrem nunc luget ad Albidos undam,
Quæ ſchola grande decus temporis huius habet.
Quæ non abſtinuere manus à funere tali,
Penè deos cogent impia fata mori.
Illum, parte ſui, mœrens, Erphurdia luget.
Hei mihi quòd totam dicere grande fuit.
Luxiſſet meliore modò, niſi forte fuiſſet
Non ſatis in Muſas officioſa meas.
Nos quoq́; qui patrio colimus loca proxima Lano,
Hic obitus merito flemus Eraſme tuos.
Hic ubi belligeri Martis cognomine Burgum,
Ardua præcelſæ culmina rupis habet.
Eximium fato functum lugemus Eraſmum,
Hoc duce qui muſis addita turba ſumus.
Quid moror in paruis? illum Germania luget,
Quanta ſub Arctoo, ſydere cumq́; iacet.
Extinctum hunc ab utroq́; mari terra Itala luget,
Gurgitis usq; ad aquas magne Pelore tui.
Hunc Tarteßiacas Hiſpania deflet ad undas,
Nunc miſtas lachrymis ducit Iberus aquas.
Hoc nūc armipotens uitali lumine caſſo,
Gallia quodq́; fleat, quodq́; queratur habet.

Hunc gemit aſsiduo populoſa Britannia fletu;
Hæc illi genitrix penè ſecunda fuit.
Omnis in occiduo quæ fluctuat inſula Ponto,
Turbata eſt fama mortis Eraſme tuæ.
Tam perculſa graui lugeret Græcia fato,
Si foret illa ſui iuris, ut ante fuit.
Quæ non abſtinuere manus à funere tali,
Penè deos cogent impia fata mori.
Tu tamen ante alios, niſi tu tua damna dolebis,
Dotibus inuideam dure Batauæ tuis.
Te magis illuſtrem tuus ille beauit alumnus,
Quàm, quibus immodice luxuriaris, opes:
Quàm quæ bellipotens duris te exercuit armis,
Olim Romanæ pars quota militiæ.
Ille tibi famam peperit ſine fine futuram,
Inuidet hanc laudem Romula terra tibi.
Tota tibi ſocio plaudit Germania cœtu,
Hac ille ingenue matre ſuperbus erat.
Illum nunc eadem tecum, tibi, luget ademptum,
Non ſecus ac nati uiſcera chara ſui.
Eximium fato functum lugemus Eraſmum,
Hoc duce qui Muſis addita turba ſumus.
Dicite fatales crudelia numina parcæ,
Hic nunquid uires uos habuiſſe pudet?
Vos quoq; uocales placidiſsima numina Muſæ,
An ne ego uos lachrymas hic tenuiſſe putem?

Non puto,nam blando coluit uós ſemper amore,
Totus erat ueſtri laus,decus,aura,chori.
Veſtris ille puer creuit nutritus in umbris,
Lac ueſtris infans ſuxit ab uberibus.
Hæc mihi dicenti,ſic reddidit una ſororum
Vraniæ,niſi me forma fefellit erát.
Nemo datas fato potuit præuertere leges,
Omnibus hæc certá eſt meta terenda rotá.
Qui tamẽ hac moritur,qua lege eſt functus Eraſmus,
Non moritur,ſed quo uiuere poßit habet.
Quare age mitte graues triſti de pectore curas,
Nec nos perpetuo tempore flere decet.
Quandoquidem uitam nunc primũ uiuit Eraſmus,
Quam recto uitam dicere iure queas.
Quin potius poſito uerſus inſcribe ſepulchro,
Quos propria ſcripſit blanda Thalia manu.
Quod reliquum magni buſtum breue clauſit Eraſmi,
Clauſit idem docta cum pietate fidem.
Non tamen hic totus tegitur,pars maxima terras
Implet,& hæc illi non ſatis urna fuit.

FINIS

HELII EO=

BANI HESSI SYLVA= RVM LIBRI IX.

LECTORI.

Alcinoi legimus, miramur Adonidis hortos,
Inuenit Heſperidum ſuccina ſylua fidem.
Quæ tandem inuidia eſt, non his permittere ſyluis,
Ficticij ſaltem nominis eſſe decus?
Fallor, an huc aliquis tamen ingredietur amicus,
Quem noua querceti diuitis umbra iuuet?

Ἰωαχείμου τοῦ Καμεραρίου.

ὕλην τὴν δ' ἐλθὼν εἰς ἄξυλον ἔργου ἀθρήσεις
οὐχ ὅδε βῆς ἄρξων ἀλλ' ὅδε ληξόμενος.
ἢ γὰρ γ' εἰ πάρα μυρί' ἔασι καλ' ἀλλά τε τέρψιν
ἕξει ὁμῶς πρότερον πᾶν πέλε κιασάμενον.
μᾶλλον δ' οὐδὲ πόνου κόρος οὐδέ σοι ἔστ' ἐρωὴ
πρὶν τάδ' ἀναγνώσει δένδρεα πάντα πέσῃ

OPTIMO AC

ORNATISS. PRINCIPI
Domino Ioanni Dantiſco Epiſcopo Culmēſi ac Adminiſtratori Pomeſaniēſi &c. Domino ac patrono perpetua fide colendiſſimo ſuo Helius Eobanus Heſſus

S. D.

CVM TANDEM conſtituiſſem ab amiciſſimis perſuaſus, Ioannes Dantiſce Præſulum decus eximium, libros ſyluarum mearum in publicum legendos emittere, coactus ſum uelut ad nouum partum rurſus elaborare ac eniti omnia, quæ ita ſparſim ac prorſus αὐτοσχεδίως, in chartulas ac uiles membranas conieceram, ut anxio primum labore eſſent perquirenda: deinde quoniam pleraq; mutila & acephala extabant, quædā & eorum longe maxima pars per incuriam mihi perierāt, hæc cum iactura omittēda, illa laborioſe erāt reſtituenda. Nunquàm enim ſic amaui meū ingeniū, ut tanquam lectu digna ſtudioſe cōſeruarem, quæ uelut in hoc ut perirent negligenter ſcripſeram, & ſubito, ac

bito, ut ille inquit, calore mihi effluxerãt. Collegi igitur magis quæ potui, quàm quæ uolui: nihil enim eorum extabat amplius quæ iuuenis luſerã, quæ quidẽ ipſa quanquàm ego quantũ ad naturã attinebat ſemper iudicaueram ex meis eſſe optima, tamẽ placebat magis ſupereſſe apud me quædam eius generis in quibus ſerior ætas ſeſe exercuiſſet, nã ea ipſa & plus iudicij habere, & minus indulgentiæ circa naturæ laſciuientis fluxũ & copiã, quæ plerũq; niſi moderêre, uicioſa ualde eſſe conſueuit; uidebantur. Nam quod ad Bucolica & Heroidas attinet, ea omnia, quanquã ipſa quoq; iuueni adhuc dũ exiſtenti mihi temere magis exciderant, quàm cum iuditio erant emiſſa, tamẽ annum iam natus fermè quadrageſimum, uelut ad iuditiũ & examẽ reuocata recognoui, recognitaq;, ac multis in locis locupletata, iterum ædidi, adeo ut iſtorum omnium, ſunt enim & alia pene infinita, æditionis minus me pœniteat, cum ea ex quibus potiſſimum mihi famam immortalitatis polliceri poſſe uidear, à primæ æditionis iniuria uindicata, denuo in uulgus exierint. Itaq; ut ad inſtitutum reuertar, hæc qualiacunq; habituri iudicaturiq; ſunt qui legent, in unum uelut aceruum ex mille Opiſtographis, in quibus ſparſa iacebant, coacta, in ſex hoſce libros, ne cõfuſus omnino ordo et inamabilis eſſet rerũ ſeries, diuiſi, & non aliter q̃ impeditum ſuapte mole corpus

in certa quadam, & melius ſibi inuicem cohærentia membra redegi. Ipſis deinde libris, cum emittendi ſpargendiq; in uulgus omnino eſſent, ſingulos patronos, ut & paratior eſſet clarorum nominum autoritate properatæ æditionis uenia, & lectorem ipſa magis oblectaret uarietas, dedi, quorum te ut uides non immerito principem eſſe uolui: & uidebar non inhoneſte ſequuturus clarorum in ſimili genere poetarum exempla, præcipueque Statij, qui idem, quod ego in his libris, in ſuis quoque ſyluis fecit. Sed iſta quidem ratio excuſatione non egebat, utinamque ne ipſa quidem æditionis præcipitatio. Harum igitur ſyluarum librum primum tibi Dantiſce Princeps optime ac erudítiſsime, nam hæ demum appellationes tibi uere conueniunt, iſta uulgo iacta uſitataq; uelut dignitatum magis quàm hominũ ac uirtutum propria interim nihil moror, merito tuo tibi nominatim inſcribendũ dedicandumq; exiſtimaui, qui cũ ſemper ſis de me optime ac magnifice meritus, quibus hoſtijs expiandũ ducerẽ, niſi nõ inter hos modo qbus hi libri inſcribuntur, ſed inter oẽs alios patronos & amicos meos principẽ locũ, quo nõ hic tantũ digniſsimus es, obtinuiſſes. Adde quòd hic liber uel eo nomine tibi debebatur, quòd totus eſt in tua patria, in qua aliquandiu me uixiſſe non ignoras, abſolutus, & elegias cõtinet unam atq; alteram ad te ipſum, Cracouiæ

olim in

olim inter celeberrimas regiarum nuptiarũ pompas, cum adhuc eo tempore in minoribus, ut uulgato more loquar, eſſes, ſcriptas. Nam q̄ *ea quæ nuper, cum* Auguſtæ *ac* Ratiſponæ *in* Auguſtalibus *comitijs, in quibus tu* Regium Oratorem *agebas tecum eſſemus ad te ſcripſi, his libris non inſerui, in cauſſa primum fuit libri ipſius magnitudo, quæ æquo plus excreuiſſet, ſi omnia quæ tum ad manum & nuper parata erant, adijcere uoluiſſem: deinde, quòd alium nunc locum requirunt quæ ad te ſcribũtur, quàm qui temere quibuslibet ſyluulis, ac de plebe nominibus inſeratur & cõſtituo ea, quæ ab eo tempore ad te ſcripta ſunt, & ad huc ſcribentur, ſeorſim & proprio libello breui ædere, qui faſtigio iſti, in quod tua te uirtus tuáq; eruditio utraq; ſumma, euexit, propius aliquanto reſpondeat.* Quid *quòd hic liber* Sereniſsimi Regis *tui* Sigiſmundi *laudes non ſane mediocres continet?* Quid *quòd patriæ tuæ clariſsimæ deſcriptionem aliquam? plenam dicere non poſſum, cum toto quadriennio, quod in ea uixi, uix minimam eius partem uidere ac cognoſcere mihi licuerit.* Accedit *ad has rationes etiam illa, quod intelligere te cupiebam, non excidiſſe memoria mihi, quod de* Homero *eſſem pollicitus, ad quem uertendum, præſertim latino carmine, tu cum ſis in ſtudijs noſtris eruditiſsimus, & cura & tempore longioribus opus eſſe non ignoras.* Interim

hunc ſyluarum mearum librum primum uelut præmetium futuræ meßis mittere ad te uolui, & hanc animo tuo fiduciam facere, ut cum uideas in minoribus hiſce tui non immemorem, de maioribus quibusuis poßis omnia tibi, quæ de amicißimo, polliceri, Bene ac fœliciter uale, ſtudiorum meorum Mecœnas unice, Ex Noriberga Menſe Martio. Anno Salutis

M.D.

XXXIII.

HELII EOBA
NI HESSI SYLVARVM LIBER PRIMVS QVI SARMA-
ticus inſcribitur.

AD SERENISSIMVM SIGISMVN-
DVM REGEM POLONIAE
*pro Magiſtratibus militiæ Teutonico
rum Pruſsiæ in conuentu
Petricouienſi.*

SI LICET, ET MAGnum *fas eſt orare Tonātē*
Eſtq; etiam pueris auris aperta Dei.
Cur non Rex Inuicte uaces mihi pauca roganti
Ocia, cognoſcas hoc breue donec opus?
Qui licet immenſa curarum mole graueris
Siſq; animo Regnis latior ipſe tuis,
Te tamen aſsiduas decet intermittere curas,
Ociaq; interdum non oneroſa ſequi
Quæ quamuis non pauca tibi ſolatia præſtent
Qualia tam magnis Regibus eſſe ſolent.
Hic tamen inuenies quod te quoq; forte iuuabit
Cognita ſi fuerit littera tota tibi.

Quam ſi reijcies prima uix fronte reuiſam
Contemnes certe quod placuiſſet opus.
Quod mihi ne timeam contingere poſſe, monebat
Maieſtas uultus illa benigna tui.
Præterea quæ te uirtus clariſſima multis
Prætulit, aut fecit Regibus eſſe parem.
Talem, ſi quæras, qua te ratione notarim
Sum fateor teſtis proximus ipſe mihi.
Ipſe ego te uidi Regalia ſceptra ferentem
Tunc cum legitimos ingrederere thoros.
Nec tantum uidi, ſed & hoc ſi ducere laudi eſt,
Contigimus dextram Rex generoſe tuam.
Præterea qua laude tua ſim cultus in aula
Talibus indignum ſcribere pene pudet.
Ipſe ego te meritis plus quàm Regalibus auctum
Non minimæ quodam laudis honore tuli.
Regales cecini thalamos pompáq; iugalem
Tradita ſunt manibus carmina noſtra tuis.
Quæq; tot exhibuit Cracouia docta poëtas
Tunc quoq; Teutonico uate ſuperba fuit.
Illa dedit noſtris de te ſupereſſe libellis,
Inq; tuas laudes hic & ubiq; legi.
Ergo ego non primum tua nunc Regalia pulſo
Limina, uirtutes diximus ante tuas.
Hinc etiam timidæ uenit fiducia menti
Te coram noſtras poſſe ualere preces.

Non

Non ego diuitias, non aurea dona precabor
Inq́; meo nullum carmine fœnus erit.
Verum ſi dederis quod carmine poſcitur iſto,
Quod dabis haud perdes, ſed magis ipſe feres.
Sed ne forte morer Regalem ambagibus aurem
In uerſu nubes non erit ulla meo.
Aſpice Sarmatici moderator maxime ſceptri
Aſpice rex meritis non habiture parem.
Aſpice quàm celebri concurrant undiq; pompa
Quàm ſolium ſtipent milia multa tuum.
Quid ſibi tot proceres? quare uenere? quid optant?
Præcipue quorum crux nigra pectus habet.
Nunquid ut inſurgant, rurſusq; abiecta reſumant
Inq́; plagas moueant arma reſumpta tuas?
An quia diuitias ſpecioſáq; munera quærunt?
An quodcunq́; aliæ conditionis habent?
Non ita, non alia te nunc ratione ſalutant
Quàm qua nulla tibi notior eſſe poteſt.
Rex memori ſub mente tenes, ſi forte reuoluas.
Non aliqua tecum de nouitate loquor
Quòd ſibi Sarmaticis Regnum fundârit in oris
Candida qui crucifer pallia miles habet
Prußia Parrhaſiis afflatia trionibus, olim
Sub duce gentili barbara terra fuit.
Vaſta ſitu, neglecta locis, deſertáq; cultu,
Sæpe fuit Regno pernicioſa tuo.

Sæpe tuos ualido uaſtauit milite fines
Impia Chriſtiferæ gens inimica cruci
Sanguine Teutonico, ſed poſtquàm fortiter empta eſt
Exuit antiquos Pruſsia tota Deos
Romana Imperij Friderichus ſceptra tenebat
Illius hic certe nominis alter erat
Cum Mahometigenæ capta Ptolomaide Turcæ
Teutonicam Syria deſtituere crucem,
Tum quòd erat gentilis adhuc atq; impia cultu
Hæc à Teutonicis terra petita fuit.
Annuit, atq; armis permittit quærere Cæſar
Si forte obtineant iura petita loci
Quæſitam obtinuit terram gens inclyta bello
Teutonicum ſubijt protinus illa iugum
Hinc urbes poſitæq; altæ uictoribus arces
Firmaq; ductilibus oppida cincta uadis
Pruſsia Teutonicæ merces data militiæ
Pruſsia Chriſtiferæ Regia facta cruci.
Floruit & plures latæ dominata per annos
Delicijs tandem languit ipſa ſuis.
Atq; ut cunctarum rerum eſt mutabilis ordo
Fortunæ inſtabilem ſenſit & illa rotam
Sic illa emerito cum iam polleret honore
Deflueretq; opibus molliter ipſa ſuis
Magnarum ueteres rerum eſt imitata ruinas
Viſa nec exemplo eſt interijſſe nouo.

Martia

Martia ſic rerum cum Roma potita uigeret
Lapſa eſt, Cecropiæ ſic cecidiſtis opes
Sic Thebæ, ſic Troia potens, ſic alta Corinthus,
Punica ſic Tyria mœnia ſtructa manu
Sic patrium amiſit Iudæa potentia ſceptrum
Non ſemel exciſam ſic Babylona ferunt.
Sic urbes, ſic Regna cadunt, ſic omnia mutat
Hæc Dea, quæ tectum ſindone lumen habet
Vindice punita eſt ira ſic forte tonantis
Illa redemptori facta maligna ſuo
Subq́; tuis afflicta iugum ſeruile coacta eſt
Ferre, licet miſeræ non placuiſſet, auis
Qualicunq́; tamen dignas pro crimine pœnas
Nunc dedit, & plagis ſaucia quærit opem.
Affer opem, nam tu medicas his febribus artes
Si Rex magne uoles exhibuiſſe potes.
Conueniunt toto nuſquàm cum corpore partes
Et queritur uiduum membra relicta caput.
Collige diſperſos diſtracti corporis artus
Conueniant capiti membra relicta ſuo.
Eijce graſſantes toto de corpore morbos
Recta ſalutifera pharmaca præbe manu.
Qua ratione queas non eſt opus indice, poſtquam
Hæc uia non ulli eſt quàm tibi nota magis.
Et potes, & non eſt Regum te fortior alter
Nec magis aſſidua qui ferat arma manu.

Omnia Parrhaſidos ſubiecta trionibus urſæ
Sunt tibi uictrici regna ſubacta manu.
Seu prope ſidentes Tanaim ſpectare niualem
Seu libet inuictos marte Boriſthenedas.
Quàm tamen iſta tuo concedant omnia Marti,
Dicere non elegi ſuſtinuere breues.
Quare age Rex inuicte crucem defende labantem
Et cauſam nolis deſeruiſſe tuam.
Hoc te tota rogat communi Pruſia uoto
Hoc te Teutonicam turba profeſſa crucem
Hoc rogat ille tui pars maxima ſanguinis, ille
Quo tua germana eſt germine facta parens,
Teutonicæ princeps Albertus militiei
Quem ſua nunc dominum Pruſia iure uocat.
Quodq; uocat ne qua poßit ratione negari
Rex quia poſſe tuum eſt, ſis memor eſſe tuum
Quantula Pruſiacæ ſeruit tibi portio terræ
Aſpice quàm regno ſit minor iſta tuo.
Tota tibi melius ſibi reddita ſeruiet, atq;
Partibus accedet fida miniſtra tuis.
Nunc iacet. & longo ceu conſopita ueterno,
Nec ſibi, nec regno eſt utilis illa tuo
Munera militiæ quæ nunc deſueta prioris
Turba negat, prompta ſurget in arma manu.
Tu modo rex iubeas, tibi ſint ea munera curæ,
Tu modo Rex cumules quæ minuuntur opes.

Quàm bene Regali ſtabit crux iuncta coronæ,
Non aliqua melius uincitur hoſtis ope.
Hoſtibus incutiet trepidantibus illa timorem,
Non aliquo maior miles ab enſe cadet.
Ibis in aduerſos cruce munitiſſimus hoſtes,
Inuicta ſternes impia caſtra manu.
Terribilem fecit qui cum moreretur in illa,
Morte ſua rerum terruit omne genus.
Non tua tunc celeres uaſtabunt Regna Valachi,
Tunc tibi ſubiectus Tartarus acer erit.
Tunc ſua deponent pharetrati cornua Ruſſi,
Et patriæ ſoluent iuſta tributa tuæ.
Regali gens nulla crucem diademate cinctam,
Infeſta poterit diripuiſſe manu.
Illa licet gelidam longe protecta ſub Arcton,
Frigida manantes de niue potet aquas.
Seu matutinis afflata refrigeret Euris,
Sæpius æſtifero membra perruſta die.
Dura ſub occiduo ſeu corpora ſole tepeſcat,
Siue truci Boreæ proxima regna colat.
Deniq; quocunq; eſt ſub aperti ſydere cœli,
Arma ferat forti qualiacunq; manu.
Nulla tuos poterit non accepiſſe triumphos,
Nec gens uictricem neſciet ulla manum.
Catholicus, tua ſigna, crucem uenerabitur orbis,
Et feret auctrices ad tua facta manus.

Aeternum crux imperium tibi proferet ultra
Colchidas, & ſæuos Marte Boriſthenidas.
Poſt ubi iam totus magnum Septentrio Chriſtum
Cœperit, Auroræ ſubdita regna petes.
Romanis tua ſigna Aquilis præeuntibus ibis,
Perq; tuam ſtatues oppida uicta crucem.
Cuncta Sigiſmundo cedent fœlicia Regi,
Et nullum fruſtra ſuſcipietur onus.
Teutonicæ accedet fauor, & noua gloria gentis,
Largiri imperium cui uolet illa poteſt.
Ergo crucem releua, quæ nunc rubigine ſqualet
Oblita, ſic Regum par tibi nullus erit.
Sic tua continuis dilatans Regna triumphis,
Sarmatico populus ſolus in orbe regas.

AD MVTIANVM RVFVM EPISTO
la Pruſsiæ deſcriptionem continens.

Mittit ab æquoreo tibi littore Ruſe ſalutem,
Heſsus amicitiæ pars modo iuſta tuæ.
Hic ubi Parrhaſium uicinior aſpicit axem
Pruſsia, Hyperboreo ſemiperuſta gelu.
Hinc ubi Sarmaticum latus æquoris alluit orbem,
Quod de Germanis nunc quoq; nomen habet.
Hic tuus ille Heſſus uiuit, quem ſæpe probabas,
Ludere ad auratam uerba canora chelym.
Qui licet & tantis & tot regionibus abſit,
Nunquam non præſens eſt tamen ille tibi.

Nam duo quæ ratio diſtantia corpora fecit,
Hæc animos uinclo proximiore ligat.
Et loca ſi nullum ſimul in diuerſa feratur
Corpus, ad hoc animum uincula nulla ligant.
Liber ut eſt, partes ita ſe dimittit in omnes,
Quo nil mobilius maximus orbis habet.
Non mare, non terræ, non aſtra, nec igneus æther,
Clauditur huic, penetrat corpora, numen habet.
Numen habet ſi ſe partem de ſemine cœli,
Incluſam lutea ſentiat eſſe domo.
Sentit, & ex iſtis ad te ſpaciatur arenis,
Pars eadem noſtri maxima, quando libet.
Ergo & adhuc animo non deficiente ualemus,
Fortunæ dominæ cætera credidimus.
Viuimus hic igitur non retroeuntibus aſtris,
Vno te nobis poſſe carere graue eſt.
Omnia præſtiterit ſi te fortuna mihiq;
Barbara quæ uiſa eſt patria terra foret.
Hæc eſt Chriſtiferæ regio Crucis ultima cultrix,
Præter quàm merito Liuo comoſe tenes.
Regna dein ſeruant pharetrati proxima Ruſſi,
Gens fera, ſed nigræ ſæpe ſubacta cruci.
Pruſsia & inſignis magno Liuonia Chriſto,
Sunt duo Teutonicæ ſubdita regna cruci.
Parte orientalem qua Pruſsia uergit in Eurum,
Liuonum gentes, & Lituana iacent.

Proxima nimboſis quæ flatibus irrigat auſter,
Mazouita & fortis rura Polonus arat.
Occiduum Saxones habent latus unde remugit
Hirſutus Boreas Balthica ſtagna tenent.
Pruſſia tam latas terrarum poſſidet oras,
Inclyta, plena, potens, cultibus ære, manu.
Hanc cruce ſignatus nigra pallaq; niuali,
Teutonicus partam ſanguine miles habet.
Scit uagus & magno fluuio par Viſtula Rheno,
Sanguine quem totum ſubrubuiſſe ferunt.
Viſtula Pannonijs oriens è montibus, omnem hanc
Quam longa eſt, terram perluit amne uago.
Inde uago lapſu magnum ſe condit in æquor,
Quod uarijs totam flexibus ambit humum.
Hic etiam uario naturæ munere lætus,
Omnibus ad uictum rebus abundet ager.
Dum finit & melior cum ſole reuertitur annus,
Has Cererem terras incoluiſſe putes.
Vsq; adeo plenis hos meſſibus aggrauat agros,
Vt queat hoc credi copia nata loco.
Horrea ſæpe ſuo non ſunt ſatis ampla colono,
Lataq; uix meſſis frugibus arua patent.
Eſt mare laudatæ lucroſum munere gemmæ,
Germanus gleſſum, ſuccina Roma uocat.
Sæpius hanc puerique legunt timidæq; puellæ,
Nec ſtupet à prima pes tamen udus aqua.

Eſt mare

Eſt mare, ſunt fluuij, ſunt ſtagna immenſa, lacusq́;
Non magis eſt uario piſce ſuperba Pharos.
Sunt & apum pulchris tenerarum examina ſyluis,
Qualia uix unquam Sicelis Hybla tulit.
Sæpe illis, res mira, loci ſatis eſſe negatur,
Quo dulces poßint accumulare fauos.
Sæpe ſub arboribus molliq́; in graminis herba,
Flaua laborifero poplite mella locant.
Conferat huc Rhodopen Panchæaq́; rura Lyeus,
Neſciet inuentos ſe docuiſſe fauos.
Sunt nemora & ſaltus, ſunt non deformia Tempe
Theſſala cum fluuio dixeris eſſe ſuo.
Pinguibus alta feris ſtabula & uenatio diues,
Menalon oderit hic ipſa Diana ſuum,
Hic poteras ſpreta iuuenis Theſæe nouerca,
Innocuos alio claudere fine dies.
Quid loquar ingentem pecorum uim, qualia nunquã
Armenta Arcadico germine paſta liquet,
Qualia non unquam colles uidere Lycæi,
Non quamuis diues Delphice paſtor eras
Maior in argento nuſquam nec largior uſus,
Vix tantum plumbi patria noſtra tenet.
Pocula craſſa Ceres Acheloia miſcet ariſtis
Hic bibitur nullo gratior orbe liquor,
Aduehit huc eciam peregrinis uector ab oris,
Per mare cum Rhodijs Cretica miſta cadis

Deniq; ad humanos quicquid conuertitur uſus,
Hic uelut ex cornu liberiore fluit.
Sunt etiam præclaræ urbes opibusq; ſuperbæ,
Vix habet his, mirum, Teutonis ora pares.
In mare qua tacito demergitur Iſtula lapſu,
Nobile Dantiſcum littora prima tenet.
Claßibus hæc portus, domus inclyta mercibus hæc eſt
Vrbs maris imperij parte beata ſui.
Altera diuitijs Monſregius, hanc quoq; ditat
In mare uelifera Bregela uerſus aqua.
Hæc modo militiæ ſedes eſt alta Magiſtri.
Hoc in eo princeps ordine nomen habet.
Structuris domuum reliquas Thuronia uincit,
Pulchra quidem ſed non diues ut ante fuit.
Hæc uetera exciſæ ueſtigia continet arcis,
Quam uagus undanti Viſtula lambit aqua.
Præterea Albingum reliquas imitata ruinas,
Eximium captæ diruit arcis opus.
Hinc Mariæburgũ quondã domus inclyta magnis
Principibus, nullo crimine facta nocens.
Sed tamen infœlix regi data ſerua Polono,
Cum reliquis miſere ſed ſine labe iacet.
Vbere læta ſolo Noganum ſita propter amœnum,
Extructa in terris non habet arce parem.
Non procul inde meis Riſeburgum nobile Muſis,
Arx uetus in paruo condita colle iacet.

Omnia

Omnia quis referat? ſed & hæc quæ pauca canebam
Vix ea ſunt minima parte relata mihi.
Viuit in his igitur baculo qui primus agreſti,
Teutona Romanum duxit in arua gregem.
At tu Ruſe meæ formator primę iuuentæ,
Per te uocalis debita fama lyræ.
Quid facit amiſſo grex errabunda magiſtro?
Quàm timeo ſæuos, monſtra cruenta, lupos?
Quid facit is merito cui pagina noſtra dicata eſt
Hei mihi quàm præceps noſtra carina fuit.
Quid mihi mentito Phileremus nomine dictus?
Ceßit? an in ſacra ualle moratur adhuc?
Quid Crotus ingenio plus quàm florente beatus?
Hærens principibus quid Spalatinus agit?
Nobilis hunc animum Petrei cura relinquet,
Cum flammæ glaciem, cum dabit unda faces.
Viuite delitiæ noſtræ, dum ueſter amicus
Longius à uobis quàm decuiſſet abeſt.
Qui tamen ut uultis uiuitq; ualetq; uidetq;,
Quàm non uobiſcum uiuere triſte nihil.
Quem precor ut ſolita ſemper uirtute colatis,
Ipſe ſub hoc etiam ſydere ueſter erit.

AD TEMONIVM AMANTEM. DE AMORE.

Væ ubi dum ſtudijs tecum frueretur eiſdem,
Ad patriam luſit carmina multa chelym

Quæ tibi clauigeri uiſuro limen Iuli,
Sic redeas auſa eſt dicere ſicut abis.
Hæc eadem optata te conditione potitum,
Muſa ſere criticis audet adire modis.
Excipe conſueta reſidem pietate Thaliam,
Temoni, & uacua quid ferat aure nota.
Quid uelit, unde ferat properatam inopina ſalutem,
Protinus ex ipſa fronte uidere licet.
Quòd ſi fronte minus patefacta, aut crine ſoluta,
Eſſe tibi ex ipſo nota colore poteſt.
Veſtibus ingreditur Tyrium referentibus oſtrum,
Qualis & in ueſte eſt talis in ore color,
Nulla uides niueo rutilant geſtamina collo,
Nulla ſub anguſto pectore bulla tumet.
Cur tamen in dextra laurum quam fronte ſolebat?
Cur gerit effuſis myrtea ſerta comis?
Ad te cur aliquo comitata cupidine uenit?
Veſte Venus poſita ſic ubi uiſa foret.
Quid ſit amor charum uenit inſtructura ſodalem
Qui ſedet, & nullum ſentit in igne malum.
Quid tibi cum Paphio caſtiſſima Pieris æſtu?
Turpe eſt uirginibus dicere quid ſit amor.
Non ita Temoni, quid enim de uirgine Muſa,
Quod de Veſtali turpe referre putes?
Illa Cytheriacos cum torqueremur ad æſtus,
Ignibus in medijs mite leuamen erat.

Heſſiaco

Heſiaco legitur notiſſima Flauia uerſu
Cum dolet, et uatem Muſa dolere uetat.
Arſimus & tacitum, dij quàm graue, ſenſimus ignẽ
Per mala tot uictor te duce Muſa fui
Illa meas flammas & uidit & ipſa ſequuta eſt
Quid dubitas caſtum turpia poſſe loqui?
Quis pudor eſt igitur? quid lumina contegis? aut q̃d
Virgine te tacito conueniente rubes?
Illa tibi inſanum non exprobrat ante tribunal
Per fora nec ſtricto publica fune trahit
Oportuna diu quæſiuit tempora, poſtquam
Sunt data quæ uoluit, uult ſine teſte loqui
Aeger es heu medicas uix iam ſanande per arteis
Dij faciant nequeas eſſe, fuiſſe queas
Aeger es, an papulis? an febribus? an ne podagra?
Quis dolor eſt? palles, hoc erat illud, amas
Morbus is eſt noui quia te pallere uidebam
Quid precor eſt quare palleat omnis amans?
Hac ego iamdudum læſum te peſte notabam
Talia qui ſenſit uulnera noſſe poteſt.
Sanus ad huc nullis conſtrictus legibus ibas
Effreni licuit quolibet ire tibi
Conueniſſe tuos poteras ſi quando ſodales
Lætitia nemo te potiore fuit.
Arguit inuictam facies tam florida mentem,
Heu quantum compos deſinis eſſe tui.

Vincula captiuus coniectus in impia langues,
Victima placandos ut ſolet ante deos,
Pectore mens abijt, color eſt mutatus in ore
Vix tenuis reſtat ſpiritus ipſe tibi
Non tamen hic in te, ſpeculo ſed uiuit in illo
In quo te uitam poſſe uidere putas
Victus es, & duræ ſubijſti pondera legis
Non licet, ut nuper, quolibet ire tibi
Conueniſſe potes charos ſi quando ſodales.
Triſticia nemo te potiore manet
Lumina demittis, ſuſpiria longa frequentas,
Multa ſub obſcura nubila fronte ſedent.
Fallor, an expertum nequicquam intelligo amorem
Non ita, ſigna ſui talia præbet amor
Pugil in hac annos aliquot iam uerſor arena
Quam teris ah nimium nota palæſtra mihi eſt
Et licet hunc totis attraxeris oſsibus ignem
Altaq́; iam prima uulnera tabe fluant
Ne tamen inſaniem poßint conſurgere, perfer
Auxiliatrices appoſuiſſe manus
Sed prius ex alto morbi natura uidenda eſt
Sæpe minus iuſte pharmaca ſumpta nocent.
Flamma latens amor eſt, ſapidũq; per oſſa uenenũ
Tormentumq; iuuans, exitiumq; placens
Qui ſimul icta leui penetrârit corda ſagitta,
Quem tetigit memorem non ſinit eſſe ſui,

Hinc oblitus amans proprij ueſanus honoris
Eſſe ſibi licitum dedecus omne putat
Dumq; exempla nequit uotis per honeſta potiri,
Fraude intentatum nil ſinit eſſe ſua
Thuringæ potius meßis numerabis ariſtas
Quàm quot poßideat crimina turpis amor
Vt taceam gemitus, lachrymas, ſuſpiria, cur
Sollicitas noctes, ſollicitosq; dies,
Num rationis agit puer hic obliuia? & altos
A ſe ipſis animos degenerare docet
Conſilia euertit iuſtum auerſatur & odit
Exiguo magnas tempore perdit opes
Sunt comites huic paupertas, infamia, morbi,
Stulticia in prima ſede pudenda ſedet
Mors quoq; nõnunquam. Quis .n. tot neſcit amantum
Saxa, ignes, laqueos, flumina, tæla, cruces?
Quæ tu cum uideas, & plura in amore, quid audes
In tam ſollicita longius ire uia?
Eſt puer, at puerum quisquis deuicit amorem
Hic decus ex meritis Hercule maius habet
Nam quid erat uaſtum Nemeæ ſub rupe leonem?
Quid fuit æripedi præualuiſſe feræ?
Infernum traxiſſe canem? uiciſſe Draconem?
Nubigenas claua perdomuiſſe uiros?
Cuncta quid ambitæ ſuperaſſe pericula terræ,
Quem puer infami uulnere uicit amor.

Tu quoq; cum ſuperes reliquæ ludibria ſortis
Turpiter imberbi uictus ab hoſte iaces
Sentis?an dubitas quàm ſis delapſus ab alto?
Quàm uel ab excelſo truſus ad ima loco?
Reſpicis?an ſimulas ſummo loca proxima cœlo?
Hinc es ad infernæ lapſus opaca domus
Qualiter incautus dubia ſub nocte uiator
Antra die claro non adeunda ſubit
Sic te per Paphiæ diſcrimina noctis euntem
Materna arcitenens duxit in antra puer
Prætulit exterius claram Venus aurea lucem,
Nox intus nigro te tulit atra ſinu
At tibi luce ſolet nox clarior illa uideri
Et cuperes nullum rurſus adire diem.
Sed furor hic tibi non furor eſt ſed blanda uoluptas
Vulneraq; , ut doleas, te iuuat iſta pati
Qualis cum miſeris dementia mentibus adſit
Dum calet hoc omnes igne perire iuuat
Omnes dicebam quot ſunt in amore puſilli
Ludus enim fortes non capit iſte uiros:
Fortis enim tenues ſtipulas ut flamma perurit.
Nec facili durus flectitur igne chalybs
Sic amor eſt timido muliebria pectora morſu
Fortia non aliquo lædere dente poteſt
Quoq; magis credas pauca eſt narrare uoluptas
Eſt uetus, at multa fabula plena fide.

Liquerat Idalium uolucri comitata puello
Sacraq; Pieridum uenit in arua Venus
Conſtitit aêrio Parnaßi in uertice montis
Muſarum in uiridi ualle chorea fuit
Mouit atrox pharetram prompturus tæla Cupido
Quem peteret mater dum rogat, ille refert,
Vicimus his iaculis totumq; ſubegimus orbem
In ſuperos uires hæc habuere Deos
Mouimus his manes dominumq; coëgimus orci,
Curribus inſolitis ad noua furta uehi
Senſit in æquoreo qui ſeruat regna profundo,
Aequoreæq; nurus, aêriumq; genus
Sola meas nondum ſenſit percuſſa ſagittas
Turba ſub hoc ducens culmine læta choros.
Noſtra quidem ſteriles contemnunt ſpicula Muſæ
Heu quid in his noſtrum languit imperium?
Tum Venus ex imo ſuſpiria pectore ducens
Tam quoq; conſtantes aggrediamur ait:
Et ſimul aërio de culmine lapſa reſedit
Virginibus Muſis taliter orſa loqui:
Quid iuuat uſq; adeo ſterilem producere uitam
Contemptrix nati turba nouena mei?
Marcet inutiliter ſine me conſumpta iuuentus,
Me duce quo melior germine fiat habet
Aut igitur mea ſacra piæ celebrate ſorores
Aut meus hæc uobis inferet arma puer.

Contra quam breuiter ſata eſt cui nomen amantis
Sic iuſsit ſacri Regia uirgo chori
Marti tæla Venus Marti Venus arma minare,
Torpet, & inter nos non uolat iſte puer
Pierides caſtæ caſtorum numina Vatum
Turbáq; bellipotens in tua regna ſumus.
Palluit ut ſperni uidit ſua tæla Cupido
Quem Venus in patriam ſuſtulit alta Paphum
Nunc quoq; ſe caſtis uictum dolet eſſe puellis
Vincere quem fortes non potuere Dei
Tu uir es, & tales uidiſti ſæpe puellas
Nec tantum culta eſt Pieris una tibi
Ecquid adhuc igitur tantis exercite ſacris
Ludicra non ceſſas iſta prophana ſequi?
Nec, quamuis poteras, audes uitare quod urget
Paſſáq; degeneri damna timore iuuas.
Ceu puer oſtenſi pauidus terrore flagelli
Concidit, & certum credit adeſſe mori
Quo ruis ab duris operate laboribus olim?
Te ne leuis mulier fortior una fuit?
Frange truces laqueos, retinacem frange cathenam.
Vincitum eſt fortem dedecus eſſe uirum
Quid retineris adhuc? qd adhuc nõ peſsima frangis
Vincula? fac fortes experiare manus
Exue ſi quid habes quod non decet, indue quod te
Eſſe hominem faciat, non ſinat eſſe feram.

Cum

Cum brutis tibi communis fuit iſta uoluptas
Quæ precor ut noceat eſſe, fuiſſe iuuet
Carmina ſic olim tibi noſtra fidelius ibunt
Si modo quod debes, carmina noſtra probas
Iam tibi quod longo uoluiſti tempore carmen
Antidotum morbo miſimus ecce tuo.
Quod ſi priſca manet ſub pectore flamma calenti
Iam uirtus Muſæ ueſtra iacebit iners
Vincere ſed caſtæ Venerem potuere ſorores
Cum quateret caſtis tela minatus amor
Et modo ſi ſolitæ ſuperant in carmine uires
Fertis ab immiti rapta trophæa deo
Ite triumphali rediture fronde Camœnæ
Ite, fugam timidus iam meditatur amor
At tu qui nimio doluiſti perditus æſtu
Iam nunquid quod ames diſplicet omne tibi?
Viue decus uatiſq; tui fratrumq; tuorum
Atq; hoc o utinam liber ab igne, uale.

AD ACHATIVM DE FORTVNA

LAus patriæ, ſpecimen raræ uirtutis Achati
Reddita mi frater ſunt tua ſcripta mihi
Hoc etenim tu me ueneraris nomine quanquam
Non tibi ſit uultus uiſa figura mei
Sic etenim ſcribis, non uiſo mitto ſalutem,
Si pateris fratri ſed tamen Heſſe meo.

Gratulor, oblatumq; libens amplector amorem,
Hic quoq; uirtutis pars habet iſta locum.
Hanc quoq; tu miſſam nunquam mihi uiſe ſalutem,
Fratris ab officio candide frater habe.
Scribis ut annorum nondum ſub mole labaſcens,
Floreat ætatis gratia uerna tuæ.
Hoc iniuſta tamen tempus ſub pondera cogi
Curarum, quæ uix cana ſenecta ferat.
Me quoq; grata ſuo uernans in flore iuuenta,
Quàm cuperem curis pluribus inuoluit.
Vt tu prima teris ſexti ueſtigia luſtri,
Nam tua ſic de te littera teſtis habet.
Sic mihi ſtat plenis ter ſeptima meſsibus æſtas,
Et quintam incipimus uiuere olympiada.
Sic nos pene pares ſpacium facit utilis æui,
Cætera fortunæ plus rationis habent.
Ad ſtudia accedunt animi communia noſtri,
Palladia eſt nobis unus in arce locus.
Hæc faciunt ut te ſi quid fortuna laceſſat,
De cumulo credam deperiiſſe meo.
Conqueritur ſiquidem pro te tua littera nobis,
Te nimis ingrata conditione premi.
Parce queri, non ergo tibi fortuna maligna eſt,
Si uerſo oſtendit pectore terga tibi.
Inſidet inſtabili fortuna uolubilis orbi,
Et nigra tectum ſindone lumen habet.

Paſsibus

Paſsibus incertis & in hæc & in illa uagatur,
Nec minimum conſtans temporis eſſe poteſt.
Tam ſouet indignos quàm dignos deprimit, errat
Non uidet, errorem quo tueatur habet.
Deijcit elatos, deiectos tollit in altum,
Peſsima ſæpe bonis, optima ſæpe malis.
Nulli fida diu, nulli conſtanter amica,
Nunc prius oſa cupit, nunc adamata fugit.
Ludit & oſtentat uires laſciua potentes,
Vtq; oculo orbata eſt, ſic ratione caret.
Spernere fortunam dubiæq; reſiſtere ſorti
Præcipua hæc uirtus, hoc ſapientis opus.
Diſce reluctantes rerum ſufferre procellas,
Quod fers perpetuum non erit illud onus.
Quoq; per aduerſum uadas patientius æquor,
Crede aliquem multo deteriora pati.
Non ita te fortuna gradu deturbat ab alto,
Vt loca non iterum tangere celſa queas.
Sis ne uir attentat, deductam uellicat aurem.
Admonet, & memorem te iubet eſſe tui.
Triſtia ferre docet duro te poſſe flagello,
Dum fauet, & fida eſt, non inimica tibi.
Nulla quidem miſeris uirtus obnoxia rebus,
Caſibus humanis cum ſapiente nihil.
Ridebat modici cultor Democritus horti,
Tam bona quàm uolucris triſtia facta Deæ.

Proxima nimboſis quæ flatibus irrigat auſter,
Mazouita & fortis rura Polonus arat.
Occiduum Saxones habent latus unde remugit
Hirſutus Boreas Balthica ſtagna tenent.
Pruſſia tam latas terrarum poſſidet oras,
Inclyta, plena, potens, cultibus ære, manu.
Hanc cruce ſignatus nigra pallaq́; niuali,
Teutonicus partam ſanguine miles habet.
Scit uagus & magno fluuio par Viſtula Rheno,
Sanguine quem totum ſubrubuiſſe ferunt.
Viſtula Pannonijs oriens è montibus, omnem hanc
Quam longa eſt, terram perluit amne uago.
Inde uago lapſu magnum ſe condit in æquor,
Quod uarijs totam flexibus ambit humum.
Hic etiam uario naturæ munere lætus,
Omnibus ad uictum rebus abundet ager.
Dum ſinit & melior cum ſole reuertitur annus,
Has Cererem terras incoluiſſe putes.
Vsq́; adeo plenis hos meſſibus aggrauat agros,
Vt queat hoc credi copia nata loco.
Horrea ſæpe ſuo non ſunt ſatis ampla colono,
Lataq́; uix meſſis frugibus arua patent.
Eſt mare laudatæ lucroſum munere gemmæ,
Germanus gleſſum, ſuccina Roma uocat.
Sæpius hanc pueriq́; legunt timidæq́; puellæ,
Nec ſtupet à prima pes tamen udus aqua.

Eſt mare,ſunt fluuij.ſunt ſtagna immenſa,lacusq;
 Non magis eſt uario piſce ſuperba Pharos.
Sunt & apum pulchris tenerarum examina ſyluis,
 Qualia uix unquam Sicelis Hybla tulit.
Sæpe illis,res mira,loci ſatis eſſe negatur,
 Quo dulces poßint accumulare fauos.
Sæpe ſub arboribus molliq;in graminis herba,
 Flaua laborifero poplite mella locant.
Conferat huc Rhodopen Panchæaq; rura Lyeus,
 Neſciet inuentos ſe docuiſſe fauos.
Sunt nemora & ſaltus,ſunt non deformia Tempe
 Theſſala cum fluuio dixeris eſſe ſuo.
Pinguibus alta feris ſtabula & uenatio diues,
 Menalon oderit hic ipſa Diana ſuum,
Hic poteras ſpreta iuuenis Theſæ nouerca,
 Innocuos alio claudere fine dies.
Quid loquar ingentem pecorum uim,qualia nunquã
 Armenta Arcadico germine paſta liquet,
Qualia non unquam colles uidere Lycæi,
 Non quamuis diues Delphice paſtor eras
Maior in argento nuſquam nec largior uſus,
 Vix tantum plumbi patria noſtra tenet.
Pocula craſſa Ceres Acheloia miſcet ariſtis
 Hic bibitur nullo gratior orbe liquor,
Aduehit huc eciam peregrinis uector ab oris,
 Per mare cum Rhodijs Cretica miſta cadis

Deniq; ad humanos quicquid conuertitur uſus,
Hic uelut ex cornu liberiore fluit.
Sunt etiam præclaræ urbes opibusq; ſuperbæ,
Vix habet his, mirum, Teutonis ora pares.
In mare qua tacito demergitur Iſtula lapſu,
Nobile Dantiſcum littora prima tenet.
Claßibus hæc portus, domus inclyta mercibus hæc eſt
Vrbs maris imperij parte beata ſui.
Altera diuitijs Monſregius, hanc quoq; ditat
In mare uelifera Bregela uerſus aqua.
Hæc modo militiæ ſedes eſt alta Magiſtri.
Hoc in eo princeps ordine nomen habet.
Structuris domuum reliquas Thuronia uincit,
Pulchra quidem ſed non diues ut ante fuit.
Hæc uetera exciſæ ueſtigia continet arcis,
Quàm uagus undanti Viſtula lambit aqua.
Præterea Albingum reliquas imitata ruinas,
Eximium captæ diruit arcis opus.
Hinc Mariæburgũ quondã domus inclyta magnis
Principibus, nullo crimine facta nocens.
Sed tamen infœlix regi data ſerua Polono,
Cum reliquis miſere ſed ſine labe iacet.
Vbere læta ſolo Noganum ſita propter amœnum,
Extructa in terris non habet arce parem.
Non procul inde meis Riſeburgum nobile Muſis,
Arx uetus in paruo condita colle iacet.

Omnia

Omnia quis refferat? ſed & hæc quæ pauca canebam
Vix ea ſunt minima parte relata mihi.
Viuit in his igitur baculo qui primus agreſti,
Teutona Romanum duxit in arua gregem.
At tu Ruſe meæ formator primę iuuentæ,
Per te uocalis debita fama lyræ.
Quid facit amiſſo grex errabunda magiſtro?
Quàm timeo ſæuos, monſtra cruenta, lupos?
Quid facit is merito cui pagina noſtra dicata eſt
Hei mihi quàm præceps noſtra carina fuit.
Quid mihi mentito Phileremus nomine dictus?
Ceßit? an in ſacra ualle moratur adhuc?
Quid Crotus ingenio plus quàm florente beatus?
Hærens principibus quid Spalatinus agit?
Nobilis hunc animum Petrei cura relinquet,
Cum flammæ glaciem, cum dabit unda faces.
Viuite delitiæ noſtræ, dum ueſter amicus
Longius à uobis quàm decuiſſet abeſt.
Qui tamen ut uultis uiuitq; ualetq; uidetq;,
Quàm non uobiſcum uiuere triſte nihil.
Quem precor ut ſolita ſemper uirtute colatis,
Ipſe ſub hoc etiam ſydere ueſter erit.

AD TEMONIVM AMANTEM.
DE AMORE.

Væ ubi dum ſtudijs tecum frueretur eiſdem,
Q *Ad patriam luſit carmina multa chelym*

Quæ tibi clauigeri uiſuro limen Iuli,
Sic redeas auſa eſt dicere ſicut abis.
Hæc eadem optata te conditione potitum,
Muſa fe: è criticis audet adire modis.
Excipe conſueta reſidem pietate Thaliam,
Temoni, & uacua quid ferat aure nota.
Quid uelit, unde ferat properatam inopina ſalutem,
Protinus ex ipſa fronte uidere licet.
Quòd ſi fronte minus patefacta, aut crine ſoluta,
Eſſe tibi ex ipſo nota colore poteſt.
Veſtibus ingreditur Tyrium referentibus oſtrum,
Qualis & in ueſte eſt talis in ore color,
Nulla uides niueo rutilant geſtamina collo,
Nulla ſub anguſto pectore bulla tumet.
Cur tamen in dextra laurum quam fronte ſolebat?
Cur gerit effuſis myrtea ſerta comis?
Ad te cur aliquo comitata cupidine uenit?
Veſte Venus poſita ſic ubi uiſa foret.
Quid ſit amor charum uenit inſtructura ſodalem
Qui ſedet, & nullum ſentit in igne malum.
Quid tibi cum Paphio caſtiſſima Pieris æſtu?
Turpe eſt uirginibus dicere quid ſit amor.
Non ita Temoni, quid enim de uirgine Muſa,
Quod de Veſtali turpe referre putes?
Illa Cytheriacos cum torqueremur ad æſtus,
Ignibus in medijs mite leuamen erat.

Heſſiaco

Heſsiaco legitur notiſsima Flauia uerſu
Cum dolet, et uatem Muſa dolere uetat.
Arſimus & tacitum, dij quàm graue, ſenſimus ignē
Per mala tot uictor te duce Muſa fui
Illa meas flammas & uidit & ipſa ſequuta eſt
Quid dubitas caſtum turpia poſſe loqui?
Quis pudor eſt igitur? quid lumina contegis? aut q̃d
Virgine te tacito conueniente rubes?
Illa tibi inſanum non exprobrat ante tribunal
Per fora nec ſtricto publica fune trahit
Oportuna diu quæſiuit tempora, poſtquam
Sunt data quæ uoluit, uult ſine teſte loqui
Aeger es heu medicas uix iam ſanande per arteis
Dij faciant nequeas eſſe, fuiſſe queas
Aeger es, an papulis? an febribus? an ne podagra?
Quis dolor eſt? palles, hoc erat illud, amas
Morbus is eſt noui quia te pallere uidebam
Quid precor eſt quare palleat omnis amans?
Hac ego iamdudum læſum te peſte notabam
Talia qui ſenſit uulnera noſſe poteſt.
Sanus ad huc nullis conſtrictus legibus ibas
Effreni licuit quolibet ire tibi
Conueniſse tuos poteras ſi quando ſodales
Læticia nemo te potiore fuit.
Arguit inuictam facies tam florida mentem,
Heu quantum compos deſinis eſse tui.

Vincula captiuus coniectus in impia langues
Victima placandos ut ſolet ante deos,
Pectore mens abijt, color eſt mutatus in ore
Vix tenuis reſtat ſpiritus ipſe tibi
Non tamen hic in te, ſpeculo ſed uiuit in illo
in quo te uitam poſſe uidere putas
Victus es, & duræ ſubijſti pondera legis
Non licet, ut nuper, quolibet ire tibi
Conueniſſe potes charos ſi quando ſodales
Triſticia nemo te potiore manet
Lumina demittis, ſuſpiria longa frequentas,
Multa ſub obſcura nubila fronte ſedent
Fallor, an expertum nequicquam intelligo amorem
Non ita, ſigna ſui talia præbet amor
Pugil in hac annos aliquot iam uerſor arena
Quam teris ab nimium nota palæſtra mihi eſt
Et licet hunc totis attraxeris oſsibus ignem
Altaq; iam prima uulnera tabe fluant
Ne tamen in ſaniem poſsint conſurgere, perſer
Auxiliatrices appoſuiſſe manus
Sed prius ex alto morbi natura uidenda eſt
Sæpe minus iuſte pharmaca ſumpta nocent.
Flamma latens amor eſt, ſapidūq; per oſſa uenenū
Tormentumq; iuuans, exitiumq; placens
Qui ſimul icta leui penetrârit corda ſagitta,
Quem tetigit memorem non ſinit eſſe ſui,

Hinc

Hinc oblitus amans proprij uesanus honoris
Eſſe ſibi licitum dedecus omne putat
Dumq; exempla nequit uotis per honeſta potiri,
Fraude intentatum nil ſinit eſſe ſua
Thuringæ potius meſsis numerabis ariſtas
Quàm quot poſsideat crimina turpis amor
Vt taceam gemitus, lachrymas, ſuſpiria, cur
Sollicitas noctes, ſollicitosq; dies,
Num rationis agit puer hic obliuia? & altos
A ſe ipſis animos degenerare docet
Conſilia euertit iuſtum auerſatur & odit
Exiguo magnas tempore perdit opes
Sunt comites huic paupertas, infamia, morbi,
Stulticia in prima ſede pudenda ſedet
Mors quoq; nõnunquam. Quis .n. tot neſcit amantum
Saxa, ignes, laqueos, flumina, tæla, cruces?
Quæ tu cum uideas; & plura in amore, quid audes
In tam ſollicita longius ire uia?
Eſt puer, at puerum quisquis deuicit amorem
Hic decus ex meritis Hercule maius habet
Nam quid erat uaſtum Nemeæ ſub rupe leonem?
Quid fuit æripedi præualuiſſe feræ?
Infernum traxiſſe canem? uiciſſe Draconem?
Nubigenas claua perdomuiſſe uiros?
Cuncta quid ambitæ ſuperaſſe pericula terræ,
Quem puer infami uulnere uicit amor.

Tu quoq; cum ſuperes reliquæ ludibria ſortis
Turpiter imberbi uictus ab hoſte iaces
Sentis? an dubitas quàm ſis delapſus ab alto?
Quàm uel ab excelſo truſus ad ima loco?
Reſpicis? an ſimulas ſummo loca proxima cœlo?
Hinc es ad infernæ lapſus opaca domus
Qualiter incautus dubia ſub nocte uiator
Antra die claro non adeunda ſubit
Sic te per Paphiæ diſcrimina noctis euntem
Materna arcitenens duxit in antra puer
Prætulit exterius claram Venus aurea lucem,
Nox intus nigro te tulit atra ſinu
At tibi luce ſolet nox clarior illa uideri
Et cuperes nullam rurſus adire diem.
Sed furor hic tibi non furor eſt ſed blanda uoluptas
Vulneraq; , ut doleas, te iuuat iſta pati
Qualis cum miſeris dementia mentibus adſit
Dum calet hoc omnes igne perire iuuat
Omnes dicebam quot ſunt in amore puſilli
Ludus enim fortes non capit iſte uiros:
Fortis enim tenues ſtipulas ut flamma perurit.
Nec facili durus flectitur igne chalybs
Sic amor eſt timido mulebria pectora morſu
Fortia non aliquo lædere dente poteſt
Quoq; magis credas parua eſt narrare uoluptas
Eſt uetus, at multa fabula plena fide.

Liquerat

Liquerat Idalium uolucri comitata puello
Sacraq́; Pieridum uenit in arua Venus
Conſtitit aêrio Parnaßi in uertice montis
Muſarum in uiridi ualle chorea fuit
Mouit atrox pharetram prompturus tæla Cupido
Quem peteret mater dum rogat, ille refert,
Vicimus his iaculis totumq́; ſubegimus orbem
In ſuperos uires hæc habuere Deos
Mouimus his manes dominumq́; coëgimus orci,
Curribus inſolitis ad noua furta uehi
Senſit in æquoreo qui ſeruat regna profundo,
Aequoreæq́; nurus, aêriumq́; genus
Sola meas nondum ſenſit percuſſa ſagittas
Turba ſub hoc ducens culmine læta choros.
Noſtra quidem ſteriles contemnunt ſpicula Muſæ
Heu quid in his noſtrum languit imperium?
Tum Venus ex imo ſuſpiria pectore ducens
Tam quęq; conſtantes aggrediamur ait:
Et ſimul aërio de culmine lapſa reſedit
Virginibus Muſis taliter orſa loqui:
Quid iuuat uſq́; adeo ſterilem producere uitam
Contemptrix nati turba nouena mei?
Marcet inutiliter ſine me conſumpta iuuentus,
Me duce quo melior germine fiat habet
Aut igitur mea ſacra piæ celebrate ſorores
Aut meus hæc uobis inferet arma puer.

Contra quam breuiter ſata eſt cui nomen amantis
Sic iuſſit ſacri Regia uirgo chori
Marti tæla Venus Marti Venus arma minare,
Torpet, & inter nos non uolat iſte puer
Pierides caſtæ caſtorum numina Vatum
Turbaq; bellipotens in tua regna ſumus.
Palluit ut ſperni uidit ſua tæla Cupido
Quem Venus in patriam ſuſtulit alta Paphum
Nunc quoq; ſe caſtis uictum dolet eſſe puellis
Vincere quem fortes non potuere Dei
Tu uir es, & tales uidiſti ſæpe puellas
Nec tantum culta eſt Pieris una tibi
Ecquid adhuc igitur tantis exercite ſacris
Ludicra non ceſſas iſta prophana ſequi?
Nec, quamuis poteras, audes uitare quod urget
Paſſaq; degeneri damna timore iuuas.
Ceu puer oſtenſi pauidus terrore flagelli
Concidit, & certum credit adeſſe mori
Quo ruis ab duris operate laboribus olim?
Te ne leuis mulier fortior una fiat?
Frange truces laqueos, retinacem frange cathenam
Vincitum eſt fortem dedecus eſſe uirum
Quid retineris adhuc? qd adhuc nõ peſſima frangis
Vincula? ſic fortes experiare manus
Exue ſi quid habes quod non decet, indue quod te
Eſſe hominem faciat, non ſinat eſſe feram.

Cum

Cum brutis tibi communis fuit iſta uoluptas
Quæ precor ut noceat eſſe, fuiſſe iuuet
Carmina ſic olim tibi noſtra fidelius ibunt
Si modò quod debes, carmina noſtra probas
Iam tibi quod longo uoluiſti tempore carmen
Antidotum morbo miſimus ecce tuo.
Quod ſi priſca manet ſub pectore flamma calenti
Iam uirtus Muſæ ueſtra iacebit iners
Vincere ſed caſtæ Venerem potuere ſorores
Cum quateret caſtis tela minatus amor
Et modo ſi ſolitæ ſuperant in carmine uires
Fertis ab immiti rapta trophæa deo
Ite triumphali rediture fronde Camœnæ
Ite, fugam timidus iam meditatur amor
At tu qui nimio doluiſti perditus æſtu
Iam nunquid quod ames diſplicet omne tibi?
Viue decus uatiſq; tui fratrumq; tuorum
Atq; hoc ò utinam liber ab igne, uale.

AD ACHATIVM DE FORTVNA

LAus patriæ, ſpecimen raræ uirtutis Achati
Reddita mi frater ſunt tua ſcripta mihi
Hoc etenim tu me uenerariſ nomine quanquam
Non tibi ſit uultus uiſa figura mei
Sic etenim ſcribis, non uiſo mitto ſalutem,
Si pateris fratri ſed tamen Heſſe meo.

Paſsibus incertis & in hæc & in illa uagatur,
Nec minimum conſtans temporis eſſe poteſt.
Tam fouet indignos quàm dignos deprimit, errat
Non uidet, errorem quo tueatur habet.
Deijcit elatos, deiectos tollit in altum,
Peſsima ſæpe bonis, optima ſæpe malis.
Nulli fida diu, nulli conſtanter amica,
Nunc prius oſa cupit, nunc adamata fugit.
Ludit & oſtentat uires laſciua potentes,
Vtq; oculo orbata eſt, ſic ratione caret.
Spernere fortunam dubiæq; reſiſtere ſorti
Præcipua hæc uirtus, hoc ſapientis opus.
Diſce reluctantes rerum ſufferre procellas,
Quod fers perpetuum non erit illud onus.
Quoq; per aduerſum uadas patientius æquor,
Crede aliquem multo deteriora pati.
Non ita te fortuna gradu deturbat ab alto,
Vt loca non iterum tangere celſa queas.
Sis ne uir attentat, deductam uellicat aurem.
Admonet, & memorem te iubet eſſe tui.
Triſtia ferre docet duro te poſſe flagello,
Dum fauet, & fida eſt, non inimica tibi.
Nulla quidem miſeris uirtus obnoxia rebus,
Caſibus humanis cum ſapiente nihil.
Ridebat modici cultor Democritus horti,
Tam bona quàm uolucris triſtia facta Deæ.

Tu quoq; ridebis ſtatuæ ludibria ſortis,
Non cadit in uanos mens generoſa metus.
Mens generoſa polos ultra uolat, ultima mundi
Tranſilit, ex iſta dicitur orta domo.
Semine cœleſti ſata mens cœleſtia quærit
Semina, terrenum cogitat illa nihil.
Hæc res humanas pereunti comparat umbræ,
Et bullæ ſcopulos percutientis aquæ.
Deſpicit & ſcopulos miſeræq; pericula uitæ,
Pertimuit fati nullius illa minas.
Pendet ab æterno cunctarum principe rerum,
Et quoties lædunt infera, ſumma petit.
Illic tuta, hominum ſordes ita reſpicit iſtas,
Ex illa rurſus nolit ut arce trahi.
Perlegis hæc animi mordaces paſſe tumultus,
Et mala adhuc dubitas quantulacunq; pati?
Non dubitas, quid enim dubitet qui ſæpe malorum
Speret mutatas poſſe redire uices?
Hoc te conſilijs decuit prudentibus uſum,
Hoc ut agas nunquam deſine, uictor eris.
Ipſe ego qui calamo primus rude carmen agreſti,
Teutonicis luſi temporibusq; meis.
Cuius habet ſcriptos Germania tota libellos,
Gloria non ſola eſt illa relicta mihi.
Fatis iactatus uarijs per mille labores
Voluor, ut in medio gurgite quaſſa ratis.

Nondum

Nondum quem uolui licuit contingere portum,
Errat adhuc dubia noſtra phaſelus aqua.
Omnia cum ſorti cedant, ſperare relictum eſt,
Per mala ſpes animos ad meliora leuat.
Sperandum eſt, bona ſperatis meliora dabuntur,
Deſperet quisquis non putat eſſe Deum.
Accuſare igitur fortunam parce, nec illi
Imperij certa ſoluere iura ſui.
Regnat regnabitq; potens animoſa uirago,
Omnibus inuictos fulminat ante duces.
Fulminet, inſurgat, ludat, laſciuiat, erret.
Sit Dea, nos illam nouimus eſſe nihil.
Siquid erit tamen, eſt rerum mutabilis ordo,
Diuerſas cœlo ſufficiente uices.
Viue igitur, non ſunt elegi maiora ſueti,
Per non præuiſas pondera ferre uias.
En tibi pro paruo non paruum epigrāmate carmen,
Expecto nunquid tu quoq; noſtra probes.

TEMONIO ROMAM ABEVNTI.

IBis Romuleos Temoni chare penates,
O utinam tantæ ſim comes ipſe uiæ.
Vade bono auſpicio terras uiſure beatas,
Linque Lycaoniæ ſubdita regna feræ.
Aßiduo peragra gaudentes Marte Polonos,
Et pete Myſnææ proxima rura plagæ.

Inde tuæ patriæ circumſita mœnia tranſi,
Quæ Thyringa ſinu diuite ſeruat humus.
Ingredere audaces, Baccho loca conſita, Francos,
Hoſpitium feſſo Norica rura dabunt.
Vindelici excipient bello gens clara Sueui,
Quiq; Atheſim circum Rhœtica rura colunt.
Quæ loca ſollicito peragras dum ſingula paſſu,
Qua debes Heſſum reſpice mente tuum.
Illum namq; aliqua ſine te uix parte quietum,
Frigida Sarmaticis detinet urſa plagis.
Iam mihi per Scythicasq; niues, & frigora ponti,
Iam tecum eſt ſæuos impetus ire Getas.
Scilicet & Romam ſine me Tyberimq; uidebis,
Et Capitolini diruta templa Iouis.
Quæq; referre mora eſt tantam ſpectanda per urbē
Sed loca præteritum non habitura decus.
Vade tamen, quoniam ſic te fortuna uolentem
Verſat, & à nobis tam procul ire iubet.
Vade Tridentinas arces, Atheſimq; ſuperbum
Traijce, & Adriaci regna Leonis adi.
Auſonias urbes ex ordine quamq; ſaluta,
Quæcunq; eſt aliquo nobilis ingenio.
Magna, tuo ſalue maior Verona Catullo,
Plinius hic cunas unus & alter habet.
Neſcio ſi Venetos iubeam ſaluere penates,
Cede deos faciles non habet iſte locus.

Dic tamen auſpicio ſed proſperiore, ualete,
Nullus in hoc iterum fulminet orbe Deus,
Inde ubi contigeris Thebanæ culmina Mantus,
Submiſſo geminum poplite flecte genu.
Hic uolat aſtriferum ſublimis ad æthera Cygnus,
Hic ſedet Andinas Tityrus inter oues.
Salue parua domo, meritorum maxima cultu,
Mantua præſentes digna uidere Deos,
Si libet ire potes periuri Antenoris urbem,
Hic tibi dum properas ſit mora longa caue.
Nam cladem Veneti nunc ſentit & ipſa Leonis,
Quaſſaq; Teutonici fulminis igne iacet.
Aſpicies alias noſtri non immemor urbes,
Et meus hic dices Heſſus adeſſe uolet.
Poſt exacta uiæ grauioris tædia, poſtquàm
Pene ſatis mediam uideris Italiam.
Aſpice Romuleos ſeptem miracula, colles,
Celſaq; Martigena mœnia ſtructa manu.
Vade caput mundi Romam, loca ſacra, ſaluta,
Illic ſumma tui meta laboris erit.
Salue terrarum domitrix, patrio æmula cœlo,
Heu tamen heu opibus perdita Roma tuis.
Protinus aſpicies ſecli monumenta uetuſti,
Hei qualis priſco tempore Roma fuit.
Cæſareas arces Capitolinumq; uidebis,
Forte litum multo puluere ſtare Iouem.

Enumerare piget quæ tu mirabere, quando
 Luſtrabis celebres cautus in urbe locos.
Vadis & heu noſtro iam non retineris amore,
 Dij faciant dextro ſydere ſemper eas.
Quæq; iterum referent nobis te fata precabor,
 Sic referant illo tempore, ſicut abis.

AD BONAEMILIVM, NON AMARE SE PVELLAM CVIVS EVM INSIMVLAVERAT.

LAeſe Cupidinea iam non ſemel arte Georgi,
 Me quoq; nũc aliquod uulnus habere putas
Vnde habeã? qs me feriat? qbus appetat armis?
 Quis mihi non merito tam ferus eſſe uolet?
Captus es, aiebas, laqueoq; reuinctus amoris,
 Non hoc expertum poſſe latere puta.
Namq; quid aßidui gemitus & crebra puellæ
 Vnius, & nimium mentio grata tibi?
Secreti tandem in latebras quid ab urbe receſſus?
 Quid rogo cum ſola uirgine ſemper abes?
Quid rogo quod tota nemo iam neſcit in urbe?
 Non hoc expertum poſſe latere puta.
Scimus & experto credendum in amore putamus;
 Mens tamen eſt teſtis uerior ipſa ſibi.
Parce comes, uitæq; precor pars altera, noſtri
 Non ego ſum Paphia pectora læſus acu.

Flauia

Flauia Sarmaticas nunquam deſcendit in oras,
Illa meas flammas abſtulit, illa tenet.
Non tamen eſt ratio cur non ego rurſus amarem,
Si, quod amem, tellus præbeat iſta mihi.
Sed quòd in has animum demittam Phyllidas, erras,
Pectora non tælum quodlibet iſta ferit.
Quam mihi tu memoras, quam me cauſaris amare,
Hei mihi quàm docto luditur iſta dolo.
Quamuis, ut fatear, non ſic hoſtiliter odi
Phyllida, ut hanc nobis quamlibet eſſe uelim.
Namq; meo infœlix ut amore fideliter ardet,
Non titulum fraudis debet habere meæ.
Si qua etenim ſacro dicatur amata poetæ,
Libatæ precium uirginitatis habet.
Non capit inuictum timidiſsima dama leonem,
Non tenet immitem parua capella lupum.
Si qua placere uolet placeat cui conuenit illa,
Nos cœlo uates proxima turba ſumus.
Parce igitur tali ſuccenſum credere flamma,
Qui iam molliculus deſinit eſſe puer.

AD IOANNEM DANTISCVM SECRETARIVM REGIVM.

QVæ pperata tuas mihi ptulit hora camœnas
Hæc eadem, ut cernis, reddidit iſta tibi.
Nā mihi uix ſpaciū quo reſpondere pararē,
Et calamo digitos applicuiſſe fuit.

Sed fuerit properata licet tua muſa, putares,
Conatam melius non potuiſſe coli,
Nulla Venus Phrygia formoſior eſſet in Ida,
Nulla uel in patrio flumine lota Dryas.
Excelſa uirides lauros in fronte gerebat,
Vincebant Paphias lumina bina faces.
Fratrabant niueo teretes in pectore mammæ:
O etiam magnis nympha petenda Deis.
Quo tamen implicitos odioſa Methaphora nodos?
Quid iacis incertos ſtridula muſa ſonos?
Tam mihi uiſa decens, tam uiuida, tamq́; diſerta,
In ſubito excuſsis eſt tua muſa modis.
Talia qui ſcribit ſubito dictata furore,
Qualia legitimo tempore ſcripta dabit?
Cedo libens, iſtoq́; tibi certamine palmam
Offero, laus Muſæ quantulacunq́; meæ eſt.
Nos canimus magno uictricia iubila Chriſto,
Vt cogunt uites humida prœla nouas.
Quod tamen hæc ſcribis ſubito fluxiſſe calore,
Plus quoq́; quàm credi quod potuiſſet erat.
Libera Muſa animos à carmine ſumit, & audet
Contrahere in paruas tempora longa moras.
Sed tamen iſta tuæ fuerit ſua gloria Muſæ,
Plus merito certe carmina noſtra probas.
Sum tuus æternoq́; tibi deuinctus amore,
Pro quo perpetuo tu quoq́; noſter eris:

Quod pe=

Quod petis ut ueniam conuiua rogatus, habeto
Quod pro me reddit littera noſtra tibi
Si potero rebus non inpedientibus iſtis
Me quibus implicitum cura moleſta premit
Principe ſi demum uacuo ſpirare licebit
Ad cœnam uenio dulcis amice tuam
Sed uenio, quid enim tibi non conceſſerit Heſſus,
Parca modo cœnæ pars uolet eſſe meæ
Non Venerem, non uina peto, ſatis ipſa ſuperq́;
Sufficis in partes has nihil adde precor
Si tamen adfuerint Venus & cornutus Iacchus
Accedet noſtro gratia tota choro
Hoc tamen accipies dictum ratione pudica
Nequitia à uerſu debet abeſſe meo
Viue uale, & placida properatam fronte Thaliam
Accipe, ſic tecum quem petis hoſpes erit.

AD EVNDEM DANTISCVM.

LEgimus heſterna ductas tibi luce Camœnas
Pauca, ſed æternum carmina digna legi
Noſtra tamen ſero tibi quod reſponſa leguntur
Eſt eadem nobis quæ tibi cauſa fuit
Scribis ut heſterno nimium madefactus Iaccho
Cyclopas capiti credis ineſſe tuo
Credibile eſt, nec enim nouitas hæc rara poëtis
Quos fouet in molli gratia blanda ſinu.

Sicut enim genio reliquis meliore beati
  Sic etiam uita liberiore ſumus
Præcipue ſi quando choro conuenimus uno
  Luxuriat blandis gratia picta iocis
Tunc nullos critica trutinamus fronte Platonas
  Tunc procul inuiſus cogitur ire Timon
Sed Veneri, & Muſis facile indulgemus, & illi
  Qui capiti fecit pondera tanta tuo
Tunc Venus Idæis circundata floribus ultro
  Aſpirat pictis nuda cupidinibus.
Tunc quoq; ſe nobis talem manifeſta fatetur
  Qualis ad Anchiſen dicitur iſſe ſuum
Lætior hic ſolito pulcher bona cornua Bacchus
  Sauciat infuſo pectora noſtra mero
Saucia concipiunt genialem pectora flammam
  Vrget in aſſuetos ebria Muſa ſales
Natura hinc ſurgunt ſubiti dictante lepores
  Innumeri riſus, innumeriq; ioci
Quocirca nihil eſt quod uel mirere grauari,
  Vel metuas Heſſo non placuiſſe tuo
Vina animos ut mane grauant, ita ueſpere tollunt
  Læticiamq; omnem frigide ſomne fugas.
Omnia quæ fueras Heſſo præſente loquutus
  Ne dubita in partem ſuſcipit ille bonam.
Atq; utinam quidam non deteriora loquantur
  Qui mihi neſcio quo iure nocere ſtudent

Quos

Quos, ubi me nequeunt iuſto comprehendere morſu
Non tamen iniuſta pendere lance pudet.
Tu uero celebres inter numerande poëtas
Scripta probas Heßi qualiacunq; tui.
Et quoniam noſtras laudas Dantiſce Camœnas
Te proprijs dignum laudibus eßе doces.
Ergo te merito noſtrorum inſcripſimus albo
Vltimus à primis ne uideare, Vale.

TREBELIO POETAE VT PARET CONVIVIVM

IAm nouus illunes dimouit Lucifer umbras
Et nitida totam luce colorat humum.
Milia per frondes auium noua carmina cãtant
Iam legit humentes uda puella roſas
Ad ſua mortales redeunt opera, ortaq; Phœbi
Lumina ſollicitis conſpiciunt animis
Lauta para non pulueribus condita Sabæis
Prandia, non Siculas, pontificumue dapes.
Auricomus medium cum ſol aſcenderit orbem
Et breuis ex omni facta erit umbra loco.
Ecce tuas uenio conuiua iniuſſus ad ædes
Spargito uirginibus muſica ſtrata roſis.
Formoſæ mecum Veneres tua tecta ſubibunt
Non quales uel Erix uel tenet alta Paphus
Sed quales Heliconue colit ſanctusue Cytheron
Quas male contingi laurea caſta uetat.

Hæc nec edunt epulas, nec uina liquentia potant,
Efficiunt ſaturas uerba leuesq́; ioci
Ridicula addideris mendacia protinus omnes
Inſana quatient tympana rapta manu
Oſcula libabunt non qualia Cypris Adoni
Sed quale Endimeon frigida Luna tibi
Qualia Aty phrygio Diuûm dedit oſcula mater
Mater in Idæis cognita diua iugis
Tu modo Pierias nunquam fugiture ſorores
Ex noſtro uates non abiture choro
Non ſupra charo duo fercula pone ſodali
Sintq́; ea lauta uelim quàm precioſa magis
Non ego condito ficus in iure natantes
Nec moror ardenti Myrrhina rubra croco
Non etiam Scythico uolucrem de Phaſide miſſam
Non etiam clunes aduena Turde tuas
Iſta iuuent quibus eſt ſignatæ gloria frontis
Quos exacta ſui paſcit opella gregis
Nos humiles gula non uexet laſciuior æquo
Luceat exiguo noſtra culina foco.

IN POETAM QVENDAM QVI PRO CHRISTO PHOEBVM IN carmiue inuocandum ſcripſerat.

CVm noua Sarmatici canerē connubia Regis
Vix bene præcipiti carmina ducta manu
Friuola mendacis reieci numina Phœbi
Inq́; meo primus carmine Chriſtus erat

Legerat hoc quidam diuini nominis hoſtis
Et falſo dixit nomina uatis habes
Vatibus aſpirat uictura poëmata Phœbus
Sordet & eſt Chriſto gratia nulla tuo
O furijs uox digna, tuo digniſsima Phœbo
Quid rogo Chriſticolam dicere peius erat?
Vana ne? pro ueris Phœbi ne ego numen adorem?
Num ferar ingratus maxime Chriſte tibi?
Cuius & hoc habeo præter tot milia munus,
Quòd mihi non tantum uena maligna fluit
Priſca Deos coluit lapides & ligna uetuſtas
Et tot fictitios nil niſi monſtra Ioues
Numina Chriſtigenæ docti meliora poëtæ
Imbuimus trino carmina noſtra Deo
Eſt Deus in nobis, non qualem Naſo canebat
Chriſto non Phœbo pectora noſtra calent
Eſt Pluto in uobis agitante caleſcitis illo
Sedibus infernis ſpiritus iſte uenit
Sed tamen eſt ratio cur Phœbum agnoſcere poſsis
Et Muſas dicas carminis eſſe duces
Non ut honore Deo, non ut uirtutibus æques,
Non ut adorandum numen habere putes
Muſæ, Mercurius, Phœbus, Pan, Liber, Apollo
Nomina ſunt uni contribuenda Deo
Ludere nominibus licuit ſemperq; licebit
Credere nequaquam numen habere licet

Sed quis in hac adeo tecum certârit arena
  Confoſſus iaculo concidis ipſe tuo
Tu tamen inſidijs mecum congreſſe, fateri
  Non audes nomen uane poëta tuum
Et cum me uerſu plus quàm frigente laceſſas
  In numero uatum uis tamen eſſe miſer
Nunc age reſponde, nunc te mihi perge fateri,
  In uiuis aliquod ſi modo nomen habes
An metuis quem ſic contempſeris, an ne timendus
  Qui nihil argutum concinit eſſe poteſt?
Deniq; ſi ſolus ſatis eſt in carmina Phœbus
  Qui potuit Phœbus cedere Chriſte tibi?
Phœbe magiſter ades te Marſia prouocat alter
  Ecce tibi hæc etiam dilanianda cutis
Non igitur uates triuiali cede poëtæ
  Sume age pro Phœbo fortiter arma tuo
Non ego ſecreto tecum luctabor in antro
  Sed doctos tecum ſtabimus ante uiros
Tu Phœbi tripodas, nos Chriſti ſigna feremus,
  Partaq; uictori gloria munus erit.

AD STVRNVM POETAM

STurne Latinorum conſors non ultime uatum
  Carmina Pieria clangere docte chely
Blandior & Paphijs genio ſpirante columbis
  Et quo nec moriens dulcior eſſet olor
Gratulor hoc primum quòd te patriæq; lyræq;
  Conſortem dederit Chriſtus Apollo mihi

Inde quòd obtigerit tanto placuiſſe poëtæ
Teutona qui Latijs fontibus arua rigat
Quòd mihi par ſtudium te coniunxiſſe fateris;
Cauſſà pari nobis conuenit iſta modo
Scilicet unus amor uatum, Deus unus, & unum
Quod ſtudium cœlo nos docet eſſe ſatos.
Quæ tamen ex æqua mihi carmina ſcribis amuſſi,
Non nihil immiſtum diſparitatis habent.
Namq; quid uſq; adeo muſam mihi ſubijcis iſtam
Teq; gradu nobis inferiore locas?
Sicut anas Aquilam, Phœbæum paſſer olorem,
Vt ſtatuo cedit Daulias ales Iti
Sic ego te ſuperò, ſic te poſt terga relinquo
O celebris titulo gloria parta meo
Sed placet hoc ueſtro quòd me dignaris in albò
Atq; aliquid tantæ ſortis habere putas
At tuus exiguis fidibus quàm grandia pulſat
Plectra? quibus numeris tantùs Apollo ſonat?
Sed puto legiſti, qui ſe abijcit ille reſurget,
Qui ſe ſuſtulerit, rurſus ad ima cadet
Hoc ita ſi reputas non erras, ſcilicet iſta
Ad ſuperos itur non potiore uia
Sed quòd amicitiam noſtram te uincere ſcribis
Neſcio qua dictum conditione putem
Si quia tu uates prior es concedimus iſtuc,
Si quòd amas uinclo proximiore, nego.

Semper enim ſacros colui ceu numina uates
Tantus in hoc uatum pectore flagrat amor
Sydera conuerſis prius omnia legibus ibunt
Quiq; modo eſt oriens, hic modo ueſper erit
Tota prius ſolitum curſum natura negabit
Vno conuenient ignis & unda loco,
Quàm nequeant toto uenerari pectore uates
Quos leuat ad ſuperas muſica uita domos
Ergo ego te uatem quo primum tempore uidi
Per muſas tacite deueneratus eram
Teq; ſalutatum uolui miſiſſe, ſed illam
Cauſſa uoluntatem quæ prohiberet erat
Ergo age noſtrarum patriæq; lyræq; ſodalis
Fer precor officium non ualuiſſe meum
Sic mihi qui cecinit uocalis carmina Sturnus
Luſciniæ dicam uincere ſæpe melos.

AD AMICVM CVR VOCETVR HELIVS

HElius unde meum ueniat prænomen in uſum
Indicio quæris certior eſſe meo
Accipe ne quicquam fruſtra petiiſſe queraris
Diſperiam poſſum ſi qua negare tibi
Helius Argiuûm, ſol eſt ſermone Latino
Helius eſt quisquis numina ſolis amat
Quid mage conueniens uati quàm nomina Solis
Quem uocat & ſentit muſica turba patrem?

Nomine maieſtas Solis non finit in uno,
Conueniant uni nomina plura Deo.
Quippe idem Sol, Mercurius, Mars, Liber, Apollo
Creditur, & ſignis pluribus eſſe liquet.
Ille regit uates, diuinum inſpirat amorem,
Solis ab influxu ſpiritus iſte uenit.
Et niſi diuini fallunt oracla Platonis,
Eſſe nequit uates quem fugit ille Deus.
Quin etiam ſi nullus ero & ſine numine uates,
Helius eſt certe qua ratione uocer.
Sol mihi naſcenti primo præluxit ab ortu,
Et quia prima mihi, Phœbi erat illa dies.
Grata Deo Soli Lyra tunc fulgebat in aſtris,
Natali primum ſurgere uiſa meo.
Iam ter quinq; ierant à nato ſecula Chriſto,
Annos deme tamen cum tribus inde decem.
Non ego falſa loquor, uertentem conſule mundum,
Sacra dies Iani Regibus illa fuit.
Has tibi de multis placuit conſcribere cauſſas,
Quas uera certe nominis huius habes.
Quas ipſas aliquo tamen olim carmine dixi,
Cuius cum nequeas ultima, prima uides.
Hæc ſiquidem ſuperant, perierunt illa, quòd olim
Sparſerat incauta ſtulta iuuenta manu.

FINIS.

DOMINO GEORGIO STVRTIADAE

Medico excellenti amico Summo ſuo Eobanus Heſſus

S. D.

QVI DONO LEpidum nouum libellum Arida modo pumice expolitum? Georgi tibi. Namq; tu ſolebas, meas eſſe aliquid; putare nugas: libuit enim elegantiſsimi poëtæ uerbis alloqui te Sturtiade chariſsime, ut ſtatim intelligeres non eo tantum nomine, quòd plurimi me facias, ſed & alijs de cauſsis ſecundum hunc Syluarum mearum librum tibi deſtinari. Qui cum & tuum nomen aliquoties, & aliorum quorundam Erphurdienſium amicorum celebret, tum ipſius quoq; ciuitatis in qua tu honorificentiſsime uiuis cauſſam agat, cui merito magis quàm tibi dedicaretur non uidebam, & iamdudum circumſpiciebam animo, quonam aliquo grati animi teſtimonio tuis in me tot collatis beneficijs aliqua ſaltem ex parte reſponderem. Cum autem hoc tempore ſex hos Syluarum mearum, ſic enim confuſiſsimam hanc uerſuum congeriem appellare li

pellare libuit, libros, cum diu iam uel delituiſſent apud me, uel peregrinati ac diſtracti mille modis exulaſſent, tandem aliquando uelut poſtliminio domū reuocatos, emittere ſtatuiſſem, uenit in mentem mihi non incommode facturum me, ſi congregatos non uni alicui, ſed ſingulis patronis ſingulos commendatos, non in ſeruitutem utiq́;, ſed emiſſos manu in libertatem traderem. Quid enim ſimile habent liber & mancipium? cum hoc ne efferre quidem pedem extra limina citra domini uoluntatem audeat, ille ne iubente quidem domino, ubi ſemel euagatus fuerit reuocari domum unquam poßit (uerbi ambiguitatem intelligis), Quanquā uero huiuſcemodi libertas periculoſa eſſe ſoleat, tamen multa ſunt quæ me conſolantur, & ſpem bonam faciunt, fore, ut minime uel damno uel pudori nobis futura ſit iſthæc audatia. Primum nominis tui autoritas, quæ non minimam librō gratiam uidetur conciliatura. Deinde quòd multorum in hunc usq́; diem ſimili ratione æditorum haud quaquam me pœnituit: nam & Theocritus meus, & alia non parum multa in hac Norica ciuitate à me ædita, ſummam mihi laudem etiam apud exteras nationes pepererunt, & ad reliqua quæ adhuc ſub manu ſunt, inter quæ potißima meo quidem iuditio, eſt Homeri uerſio, abſoluēda ædendaq́; multū animi adiecerunt. Nā de Heroidibus et Aphoriſmis tuendæ

ualetudinis noſtris, quid metuam, cum à me ipſo nuper ſumma diligentia recognita, multoq́; quã ante fuerant facta meliora, iterum in manus hominum exierint. Taceo mille alia in publicam lucem à me edita, quorum quàm pauciſſima, exceptis duntaxat quibuſdam quæ prima ætas incautius effudit, reuocata uellem. Quare mi Sturtiade librum hunc ſyluarum mearum ordine, ut uides, ſecundum, tibi etiam atq́; etiam commendo, rogoq́; ut eum tuo nomini, tuæq́; famæ immortali inſcriptum eo fauore eaq́; gratia proſequaris, quibus meipſum ſoles. Quod ſi facies & uoluntatem meam tibi fuiſſe gratam oſtendes, & me uel ad maiora deinceps audenda ceu propoſito exemplo animabis. Vale Noribergæ Menſe Martio M. D. XXXIII.

HELII EOBANI HESSI SYLVARVM LIBER SECVNDVS.

AD SENATVM ERPHVRDIENSEM *pro inſtauranda ſchola collapſa exhortatio.*

SAepe graues dubijs nutârunt caſibus urbes,
Quaſſatæq́; domus nec cecidere tamen.

Langui

Languida ſæpe ſuæ rediere in corpora uires,
Sæpe ſalus præter ſpem recidiua uenit.
Quòd ſi tam libeat quàm poſſumus iſta probare,
Quem dabis exemplis noſtra Thalia modum?
Quidue peregrinis cumulare domeſtica prodeſt,
Nulla magis læſo quàm ſua plaga dolet.
Ipſa ſuas & regna uices, & tempora mutant,
Quis uetet hac urbes conditione trahi?
Rebus in humanis ludit, laſciuit, & errat,
Nixa uolubilibus lubrica Diua rotis.
Atq; ita nobiſcum uires experta potentes,
Quæ modo ſpirabat blandior aura fuit.
Inclyta iam nimijs Erphurdia fracta procellis,
Sorte uidebatur commodiore frui.
Iam uelut optatum ſpectabat naufraga portum,
Innumerabilibus fluctibus icta ratis.
Horridus incubuit Boreas; & nubilus Auſter,
Tempeſtas ſubitam condidit atra diem.
Parce tamen dubijs inuoluere uera, tuoq;
Quæ canis Vraniæ carmina more cane.
Vos quibus eſt commiſſa ſalus; & cura tuendæ
Huius ut emineant, quam loquor, urbis opes.
Conſilijs quorum ueterem Reſpublica caſum
Sarcit, & utilibus damna priora leuat.
Conſcriptiq; Patres lectiq; ſacerq; ſenatus,
Res mihi uobiſcum eſt, uos mea uerba petunt.

Debuit hoc etiam ueſtris accedere fatis,
Huius ut occideret maximus urbis honor.
Vt uelut è manibus maiorum tradita uobis,
Eriperent aliæ commoda ueſtra manus.
Vt quam tot proaui uoluerunt dotibus auctam,
Vos maneant ueſtræ damna pudenda ſcholæ,
Qua quàm tum multos Erphurdia floreat annos,
Vtraq; iam Phœbi Regia ſcire poteſt.
Quæ nunc ægra ſuæ florem periiſſe iuuentæ,
Mœret honoratum puluere ſparſa caput.
Quippe iacent ſtudia, ingenijs laus omnis adempta eſt
Non eſt ingenuis artibus ullus honor.
Sed uelut indoctæ ſint facta opprobria plebi,
Dicuntur ſacris eſſe uenena libris.
Atq; adeo nusquam magis hæc ſentina malorum,
Non alibi peſtis fœdius iſta furit.
Non ſat erat ueteres rerum uidiſſe ruinas?
Non tanquam patriæ compoſuiſſe rogum?
Non ſatis extinctæ cineres legiſſe, nouamq;
Ceu de relliquijs conſtituiſſe ſuis?
Hoc niſi triſte malum uos inuaſiſſet, & omni
Parte laborantes depopulaſſet opes.
Qua tamen hæc culpa, quorũq; uenire querendũ eſt?
Quæ mala nunc ueſtri cauſſa doloris erant.
Non mala uis hominum, non ueſtra incuria patres,
Non aliqua cœlum peſtilitate nocens.

Non ne-

Non neglectus honor ſtudiorum, aut improbus ordo,
Vis alia accepti uulneris autor erit.
Nuper ut adſeruit Chriſto ſua ſigna Luiherus,
Romaniq; tulit friuola regna patris.
Iamq; ſatis populum multi doctiq; docerent,
Quorum clara patent nomina mille locis.
Irrepſere nouis ſtudiorum fraudibus hoſtes,
Turba ſatis ficta ſimplicitate potens.
Qui quoniam ſtudijs nihil inſumpſere laboris,
Nec niſi barbarica garrulitate ualent.
Hactenus abiecti miſerum & ſine nomine uulgus,
Inſcitiæ in pœnam delituere ſuæ.
Nunc quærendi aliquos, ceu nacti tempus, honores
Artibus indicunt bella nefanda bonis.
Inuenere etiam qui non modo cœpta probarent,
Verum etiam auxilijs proſequerentur opus.
Nam quis non uideat ſtudijs eademq; profeßis,
Maxima pars populi quàm ſit amica parum.
Opportuna malis ergo ignorantia uulgi,
Huic fomenta igni materiamq; dedit.
Qui quia tam late eſt in proxima quæq; uagatus,
Nequaquam extingui qualibet arte poteſt.
Veſtro opus auxilio, uobis ea cura relicta eſt,
Sitq; utinam, certe debuit eſſe Patres.
Aſpicite ut iaceant iſtæ ſine honoribus artes,
Maxima quæ uobis gloria nuper erant.

Vt taceam ueſtræ quantas inuexerit urbi,
Diuitias huius prodiga fama ſcholæ.
Hoc dicam, uos nulla magis commertia rerum,
Gentibus externis conciliaſſe liquet.
Vera magis Pythij non ſunt oracula Phœbi,
Quàm mea uerba aliquam uix habitura fidem.
Quàm late, quàm longa patet Germania, nuſquam
Fama obſcurá ſcholæ nominis huius erat.
Namq́; omni circum confluxit ab orbe iuuentus,
Ceu data pacificæ pignora amicitiæ.
Quæ cum diuitias multos hucusq́; per annos
Intulerit multas, extulit inde nihil.
Permutatio opum ciues exhaurit & urbem,
Sæpeq́; res uanis mercibus empta perit.
Hæc minime fallunt, hæc certa negocia ciues
Pauperie, nullo fœnore facta, leuant.
Adde quòd & ſtudijs Reſpublica floret, át illis
Si careat, florem non habet illa ſuum.
Quæ nunc uana animos dementia fregit, ut eſſent
Quorundam fallax qui ſequerentur iter?
Inde quid? inuidiæ? fraudes, diſcordia, ſectæ,
Falſaq; libertas, & ſimulata fides.
Multa referre piget, puduit quoq́; talia, uerum
Me ſtudiorum iſthæc ſcribere iuſſit amor.
Nec uoluit pius iſta ſeri documenta Lutherus,
Sed quid agat? pondus grandius ille tulit,

Non

Non potuit leuibus leges præſcribere linguis
Quæ grauibus propria ſponte uenire ſolent.
Illum alijs curis exercuit area Chriſti,
Horrea multiplici dum ſacra meſſe grauat
Veſter hic ergo labor, ueſtrũ hoc opus, urbis honorẽ
Quam colitis, prompta reſtituiſſe manu
Quod facile eſt ſtudijs ab iniqua clade redemptis
Reddere, prædones quod rapuere, decus.
Ergo agite adſcriptiq; Patres & lecte Senatus
Veſtræ conuulſas adſerite urbis opes
Reddite, quem ſtudij ferus abſtulit hoſtis honorem
Reddite labentis prodita regna ſcholæ.
Inter tot pudeat mala, & hæc ludibria paſſos
Quæ uix ſimplicitas debuit ulla pati.
Errorum populi pudeat fraudisq; malorum,
Sit ſatis armatas non habuiſſe manus
Sit ſatis iſta palàm ſcelerum licuiſſe miniſtris
Iam libeat nugis impoſuiſſe modum
Et quod oues decuit pro munere ſanguinis emptas
Ex omni urgentes parte cauete lupos
Neu populi ſanctos incauta licentia mores
Exuat, & falſo libera peius amet
Inclyta neue ſcholæ pereuntis gloria ceſſet
Hic ego per ſuperos uos monuiſſe uelim
Quoque modo id fiat non eſt graue dicere, uerum
Velle, ſatis magni ponderis inſtar habet.

Velle prius liqueat, tum qua ratione reſurgat
In promptu eſt miſeræ dicere fama ſcholæ
Veſter honos agitur, ueſtrum decus, omnia uobis
Scribimus hæc, uobis conſilia iſta damus.
Ipſe licet ueſtræ uix ſim quota portio plebis
Ferre aliquid poterit pars quota forſan opis.
Conſilia exiguæ modo ne contemnite Muſæ
Sæpe etiam magnos parua iuuare ſolent
Quòd ſi forte ſcholæ ſortem caſumq́; doletis
Hanc uelut è tenebris uos reuocaſſe canam.

IN EBRIETATEM.

NVper ut humanos Arete reſpexit ad uſus
Iuſſa loco uicijs cedere, liquit humum,
Quæ ſimul ac terris ſupera attigit alta reli(ctis,
Irrepſit ſcelerũ peſtis & omne genus.
Et ne forte iterum mortalibus influat, omnis
Ad terram, reditus quæſit, adempta uia eſt.
Namq́; ducem contra fortem Rex miſit Auerni
Illa eſt, ſi nomen quæritis, Ebrietas
Caſtra loco poſuit quo non habitatior alter
Olim uirtuti cœlitibusq́; fuit
Sed neq; degeneres adeo conſedit ad Indos
Extulit ad Numidas nec ſua ſigna uagos.
In medio Europæ ſedem ſtabiliuit, & armis
Teutonas inuictos illius arma premunt.
Orbis enim poſtquam fortiſſima mollibus armis
Occupat, hoſtiles non timet inde manus

Et quamuis alijs quoq; gentibus imperet, illam
Nulla tamen ſtudio ſeduliore colit
Illa adeo noſtrum peſtis ſibi ſubdidit orbem
Vt gerat arbitrio publica quæq; ſuo
Quandoquidē heu nimiū non eſt opus indice & iſtis
Temporibus conſtet notius eſſe nihil.
Quinetiam acceßit uicioſo gloria mori
Peccatoq; boni nomine uenit honor
Venit honor uitio, uirtus iacet, ocia regnant
Mollia, dum uentri uiuimus atq; gulæ.
Improba dum nimio facimus conuiuia luxu
Inq; malos mores prodiga turba ſumus
Languit omnis honor ſtudiorum militiei
Armaq; dura prius mollia facta iacent
Sæuior hac nunquam peſtis, nec atrocior hoſtis
Teutona uictrici uenit in arua manu.
Non adeo noſtras Romana potentia uires
Fregit, mille licet miſerit illa Duces
Quod non mille duces plures potuere per annos,
Continuis perdit cladibus iſta lues
Vt taceam famæ qualem denigret honorem,
Hei mihi quantum animis corporibusq; nocet
Ingenij exhaurit uires, animiq; uigorem,
Siq; quid eſt clari luminis omne rapit.
Corporis eneruat robur, ſuccumq; iuuentæ
Exprimit, ut uites humida præla nouas.

Omne decus formæ perimit,ſugitq; colores,
Laruarum ſimiles uultibus eſſe facit
Inde tot ærumnæ male ſani corporis,inde
Tot lædunt ſtomachum,tot nocumenta caput
Inde manus tremulæ,pallor,timor,anxia mentis
Conditio,& nunquam tuta animi requies.
Hinc matutinas exhalant ora mephytes
Deformat putres pendula bucca genas
Hinc ſemper grauibus ſtillantia lumina guttis,
Hinc ruga & ſcabie ſemper arata cutis
Hinc male conſiſtens titubantis inertia linguæ
Verbaq; inaudaci ſemiloquuta ſono
Nocturna infeſtant furiales tempora ſomni
Et lemurum miſcent Eumenidumq; choris
Horrida ſæpe etiam huic comes eſt epilepſia morbo
Quæq; cito in mortem membra apoplexis agit:
Vidi ego non paucos maniam traxiſſe moleſtam
E tam deformi luctificaq; lue
Atq; aliæ innumeræ,quis enim cõprehendere poſſit
Quot moueat peſtes tam Camerina nocens?
Quid referam quantis animam poſt fata ruinis,
Quanq; grauet pœnis intolerabilibus?
Tot uiciorum etenim genitrix,tot cauſa malorum,
Toxica peſtifera ſeminat atra manu
Iurgia:furta:doli:fraudes:iniuria:cædes:
Inceſtus:ſtuprum:raptus:adulterium:

Faſtus

Faſtus:auaricies:luxus:gula:liuor:& ira:
Pigrities:iſta ſunt ſata iacta manu
Probra:nefas:rixas:diſcordia:bella:rapinas:
Semina ſi neſcis illius eſſe ſcias:
At poterat Veneris tolerari blanda uoluptas
Illius & forſan cura futura fuit
Triſte malum hoc poſtquam radices altius egit
Quo magis euulſum eſt,hoc magis hæret humo
Adde quòd illa animos ita conficit improba peſtis
Vt nihil egregium præcipuumq́; petant
Sed uelut Aſphalti mens tacta bitumine ſtagni
Langueat,& miſeris defluat ægra modis
Tum carpit ſtupidos demens uecordia ſenſus
Tum ſpes deſtituunt,& ferit oſſa pauor
Flamma uelut nebula fumi compreſſa reſidit
Ebria mens proprio munere caſſa iacet.
Non opus æratas armare in bella cohortes
Victa iacet uitio Teutonis ora ſuo.
En uictrix noſtras ut Aſotia poſſidet urbes
Et miſeros cogit iura ſuperba pati
Quem ſemel ut noſtris pellamus finibus hoſtem,
Sit pudor in tantum degeneraſſe nefas.
Omnibus inuictas noſtri uicere parentes
Nunc uicia hæc nobis uincere noſtra graue eſt
Orbis uictorem populum diſcordia uicit,
Nos niſi uiciſſet,uicimus,ebrietas.

O quibus eſt igitur iuuenili in corpore robur
Et ſolidæ uires, ingeniumq; uiget.
Spernite degeneri conuiuia perdita luxu
Sit medium, & conſtans inter utrumq; modus
Nam ſemper ſapere & menſas odiße iocoſas
Id pecus eſt brutum uiuere, non hominem.

COMPARATIO VENERIS ET BACCHI

SI te forte iuuat tentare cupidinis arteis
Et Veneri longam ſoluere militiam
Illuuies Bacchi nimiás ad Bactra relega,
Multa fugant Venerem pocula, rara iuuant.
Nam tolerabilior Venus eſt hoc blanda Lyeo,
Quòd minus ingenijs corporibuſq; nocet.
Ipſa dat ingenuos mores, corrumpit Iacchus
Hæc animi uires inſtruit, ille necat
Mundiciem cuſtodit amor, temulentia ſordes
Inuehit, hæc formam deſtruit, ille facit.
Verum ſi quis erit qui ſpernere poßit utrumq;
Hunc cœlo dignum pectus habere puta

AD AMICI CVIVSDAM LITE ras laudatorias Reſponſio.

SI tamen, ut memoras, nunquam reſcripſit Vlyßi
Gaudia Penelopi quanta fuiſſe putas?
Ille pererratis multorum finibus exul
Deſtituit uiduam bis duo luſtra domum

Vxor

Vxor amans thalamo curis exhauſta pudico
Inſtantes docta reppulit arte procos.
Iamq́; fatigatæ florem poſitura iuuentæ
Conſpexit reducis reddita ſigna uiri.
Læticiam illius ſi tu metiris ab illo
Quód mea pauxillum Muſa loquuta tibi eſt:
Vel nimis indulges quo me ueneraris honori,
Vel tibi plus æquo carmina noſtra placent.
Quicquid id eſt, utrunq́; animum teſtatur amicum
Certaq́; non ficti ſigna fauoris habet.
Heßia, quam laudas, quot habet pecoroſa capellas,
Tot grates debet noſtra Camœna tibi.
Patria nec forti multum tua diſtat ab Heſſo
Vicina eſt patriæ Saxonis ora meæ.
Inclyta diuitijs tellus: operoſa metallis,
Vberis inſignis fertilitate ſoli.
Plena uiris, ducibuſq́; potens, animoſa Tyrannis,
Cæſaribus quondam facta beata ſuis.
At duri medijs habitant in montibus Heßi
Qua Lanus, & uitreas Aedera uoluit aquas
Gens armis generoſa, manu promptißima, quondam
Ipſa ſuo partis docta labore frui.
Parte alia glebis fœcunda patentibus aruis
Qua rapidus pingues Fulda ſalutat agros:
Collibus apricis, & amœnis inclyta ſyluis
Omnia perſpicuis fontibus arua ſcatent.

Mille per irruguas labuntur flumina ualles
Florida perpetuo gramine uernat humus
Quis queat errantes illic numerare capellas
Cornigerumq́; pecus, lanigerumq́; gregem?
Cum redit atq́; æſtas uernantes explicat herbas
Non aliquam pingit gratia maior humum
Tunc neq́; Theſſalicis Peneus amœnior aruis
Nec prior Heßiacis montibus Hemus erit
Pulchra nihil Siculæ uiridaria dixeris Aethnæ
Aruaq́; quæ uitrea lambit Helorus aqua
Illis te errantem credo uidiſſe Dianam
Montibus, & caſtam ſollicitaſſe Deam
Cum Satyris illic mãmoſæ Naiades errant
Heßiacum Phyllis non colit una nemus
Illic ſæpe latens tenera occultatus in herba
Excepi artifici dulcia furta dolo
Aonioq́; rudes turbabam carmine Faunos
Conceßit Muſis ruſtica turba meis
Tum mea ſylueſtres petierunt carmina nymphæ
Ipſe ego pro grato carmine tæla dedi.
Tu quoq́; degentes uidiſti in montibus Heſſos
Et laudas patriæ ſaxea rura meæ
Huius tanta tibi debetur gratia laudis
Quanta tu laudas carmina noſtra fide:

D. GEORGIO STVRTIADAE
Medico Venetijs agenti.

Gratulor

GRatulor incolumem uitam tibi docte Georgi,
Hoc tibi tam longe uiuere dulce queror.
Præcipue necdum portum tenuiſſe petitum,
Et tua adhuc dubio currere uela mari.
Hoc ego fortuna timui uariante futurum,
Quo ruere in præceps tempore cuncta uide.
Quo bello Europam uarioq; ardere tumultu,
Præcipue loca quæ tu petiturus eras.
Ipſum pene rapi quo tempore conſpicis orbem,
In ſtudia heu aliquem uix habitura modum.
Non tamen illa animi uirtus generoſa feſellit,
Quæ tibi fortuna contigit uberior.
Laudo animum rebus natum melioribus, & ſe
Audentem ætherea credere ſtirpe ſatum.
Incauti tamen eſt in aperta pericula ferri,
Qualibus hi ſuperant ſecula priſca dies.
Iam tibi tranquillam ſedem fortuna locabat,
Iam poteras partis rebus honore frui.
Nec tibi diuitiæ uirtutum præmia deerant,
Larga tibi iuſtas copia fudit opes.
Cum uarijs multas uidiſti moribus urbes,
Inq; tuo ſedit Pallas amata ſinu.
Inclyta te dignas Erphurdia præbuit ædes,
Namq; loco patriæ iam fuit illa tibi.
Ambibas titulos maioraq; præmia famæ,
Res eſt pulchra quidem dignaq; laude uehi.

Cur tamen hanc per tot terrarum emenſa petebas
Milia, cum poſſes emeruiſſe domi.
Noſtra tot eximias Germania poßidet urbes,
Quæ ſuperent ipſos Pallade Cecropidas.
Neſcio quàm placuit meliorem inuiſere gentem,
Dij rogo fortunent hoc tibi propoſitum.
Vt cito de Veneto ſoluat tua littore puppis,
Vt redeás tuto dum tibi forte licet.
Et tecum ſolita Cordum pietate reducas,
Conſortem patrij nominis atq; lyræ.
Hunc mihi præcipue multa uenerare ſalute.
Et memorem charæ coniugis eſſe iube.
Viuite delitiæ noſtræ, uos ille reducat,
Virgine qui ſolus natus Apollo dea eſt.

HEREBORDO MARGARITANO
ob honores Gratulatoria.

VT merito quantumq; tibi debere fatetur,
In reditu geſtit noſtra Camœna tuo.
Redditus en iterum patrijs fœliciter oris,
Spes tecum noſtras uir memorande refers.
Gratulor incolumi ſortem ceßiſſe benignam,
Addita uirtuti præmia iuſta tuæ.
Quod neq; Vindelicis Auguſta Palatia campis,
Viſaue ſint fruſtra Norica rura tibi.
Scilicet eſt aliquid longinquas uiſere terras,
Nomen ab externo clarius orbe uenit.

Si doctas

Si doctas nunquam Pomponius iſſet Athenas,
Tam bona non illi Roma futura fuit.
Colchida Tauridamas ſi non adiiſſet Iaſon,
Phaſias in patria nulla tuliſſet opem.
Quid memorẽ Alciden? qui tot niſi monſtra tuliſſet,
In patria poterat delituiſſe ſua.
Detrahit optati præſentia ſemper honori,
Perpetuoq; domi nemo placere poteſt.
Et quamuis tua magna domi ſit & inclyta uirtus,
Plus tamen ex merito debuit eſſe tibi.
Iam tibi detulerat te dignos patria honores,
Iam fueras domui gloria prima tuæ.
Caſtra dein ſequeris dum Cæſaris Aemiliani,
Legatiq; domo munere functus abes.
Virtutis tibi facta tuæ eſt clariſsima teſtis,
Noridos urbs claræ Teutonidumq; caput.
Namq; ut magnanimo generoſam in pectore mentẽ
Vidit fortunæ dotibus eſſe parem:
Gratificari aliquo dum uult tibi muniere, dignum
Connubio ciuis iudicat eſſe ſuæ.
Atq; ita patricio natam de ſanguine iungit,
Proxi[illegible] halamos eſt initura tuos.
Eya Hyme[illegible] nunc te maiore uocamus
Auſpicio, pu[illegible] nunc face dexter ades.
Linque Palæpaphios ignes Citheræa, tuoq;
Ad nos cum puero blanda fauensq; ueni.

Tu uero ô noſtræ bona pars Hereborde Thaliæ,
Pectore non humili fortia regna ſubi.
Nos quibus hoc ſuperûm pietas Muſæq; dederunt,
Deuoti uates in tua iura ſumus.
Nos tibi per Muſas Hymenæia ſacra canemus,
Carmine uiuetis nuptaq; uirq; meo.
Inde nec ipſe tuo Peleus certabit honori,
Te nec erit pulchro carmine ſtella prior.

AD BARTHOLOMAEVM GOTI-
VM THRAISENSEM.

MVſarum patriæq; comes uenerande mearũ,
Maxima pars animi Bartholemæe mei.
Viuere te ſuperaq; frui fœliciter aura,
Pectoris eſt certe cura ſecunda mei.
Quamuis exciderit fidi tibi cura ſodalis,
Dij faciant falſa ſuſpicione trahar.
Sol ſpacium emenſus tropicũ ſemel inter utrumq; eſt
Vnica uix de te littera lecta mihi eſt.
Multa ſed Heßiacæ tibi uenit epiſtola dextræ,
Non aliquo lapſa eſt crimine noſtra fides.
Perſtat, & ut nullos unquam decepit amicos
Sic eſt perpetuo firma futura tibi.
At potes, & debes culpam excuſare, quòd olim
Non eſt ad ueniam ianua clauſa tibi.
Longa uia eſt, ſpaciumq; ingens patet inter utrumq;
Iſtaq; uix rarus regna uiator adit.

Non po

Non poteras alicui ſcriptas committere chartas,
Vix paucis tuto ſarcina tanta datur.
Et ſcriptas forſan miſiſti ſæpe lituras,
Ire ſed in uultus non potuere meos.
Ah pereant per quos unquã data ſcripta premũtur,
Perfidiæ pœnas quas meruere luant.
Credibile eſt, nec enim tam debes fallere amicum,
Quam dederas nobis non uiolaſſe fidem.
Si caderet mores tam nobilis error in iſtos,
Hei mihi quem fucum tam bona forma capit.
Præterea ſtudijs animo ſociatus honeſtis,
Qui poſſes tanti criminis eſſe nocens?
Virtutes ſtudia aſſumunt meliora ſodales,
Eſſe nec hæ ſolæ, ſola nec illa queunt.
Perfidia ſtudijsq; nihil diſiunctius usquam,
Aut fuit aut ullo tempore forſan erit.
Tene igitur uiolaſſe fidem chariſsime dicam?
A potius linguam non habuiſſe uelim.
Hanc in te potius uellem defendere culpam,
Si modo, quod non eſt, hac agerere nocens.
Qui nunc Sarmaticis chariſsime frater in oris,
Frigida Parrhaſio regna ſub axe colis.
Diſcors Teutonicum qua Pruſsia terminat orbem
Et Codonæa breui littore ſtagna capit.
His ego te terris fato uoluente relictum,
Dij faciant uiuum rurſus ut inueniam.

At me læta fouet fœlici Myſna receptu,
Qua iacet herboſo Lypſis amœna ſolo.
Hic ego nec bifidi perplexa ænigmata Iuris,
Nec ſequor ambages magne Galene tuas.
Sed ſacra muſarum Phœbiq; æterna profeſſus
Numina, ſed quorum nomina Chriſtus amet.
Scis qualem diciq; uelim fieriq; poëtam,
Non mea ſunt falſis ebria corda deis.
Sunt tamen hic qui me ſatis admirentur amentq;,
Multorumq; frequens Heſſus honore color.
Tu quid agas, quæ fata feras, quæq; ocia tractes,
Fac tua me doceant tempore ſcripta breui.

D. GEORGIO STVRTIADAE VT
Kalendas Ianuarij celebret.

MVſarum Phœbiq; potens & amice Georgi
Sturtiade, noſtra ſæpe canende chely:
Pande fores, deprome penu, diſtẽde culinã,
Frondibus exorna limina, Ianus adeſt.
Ecce tibi auſpicijs aperit fœlicibus annum,
Lapſus ab æthere a clauiger arce deus.
Pande fores, iterumq; penu deprome, culinam
Inſtrue, frugales non amat iſte deus.
Ianus adeſt fauſtumq; tibi denunciat annum,
Accipe promiſſa nuncia certa fide.
Aucte bonis, augende bonis, aucture tuorum
Nomina, rem, titulos, ſtemmata, facta, decus.

Qui ſtu

Qui ſtudijs medicas auges uigilantibus artes
Et merita ex ipſis nomina rebus habes.
Perge, nec inceptum remoretur inertia curſum
Vlla, tuum præſens gloria ſternit iter.
Indulſit fortuna tuæ ſatis æqua iuuentæ
Nec iuuenem nec te deſeret iſta uirum.
Nondum impleuerunt ſeptem tibi luſtra ſorores
Et tuus in medio puluere ſudat equus.
Diuitijs flores, & quæ feciſſe beatum
Virtutes poterant quaslibet unus habes
Has in flore uirens æui nec inutilis uxor
Vno te, dotes, coniuge digna, polit:
Quæ nunc eximia faciet te prole parentem
Cui feret auctrices lucida diua manus.
Cætera quæ reſtant permitte fauentibus aſtris
Iam tibi Diuorum Regia tota fauet.
Sic deus ille tibi cecinit me uate biformis
Pluraq; conantem quærere deſeruit:
Ipſe tibi ſubito miſi perarata libello
Vt legeres ipſi uaticinata Deo.

GEORGIO PECTIO VORCHEMIO
ſuo Vuittenbergam abeunti.

TV quoq; non æquo currentibus ordine fatis
Deſeris heu uacuæ nomen inane ſcholæ
Quo fugis infractæ fidei mihi cognite Pecti?
Tam ſubitæ facta eſt quæ tibi cauſſa uiæ?

Quæ mihi nunc aderunt ſine te ſolatia? quorum
  Tam certa potero lætior eſſe fide?
Vnus eras certe quo non abeunte manebam,
  Qui migraturum ſiſteret unus eras.
Quem uel ad anguigeras Libyæ feruentis arenas,
  Quem cuperem fuſcum per Garamanta ſequi.
Nunc utinam nigros iſſet fera peſtis ad Indos,
  Quàm uereor ſubitæ cauſſa ſit illa uiæ.
Si tamen inuidiæ cedis, fidentior ito,
  Virtutem peſtis uincere nulla poteſt.
Illud ut interea rumpatur ἐθώσιον ἄχθος
  Qua nunc cœpiſti currere perge uia.
Perge ſalutatum pro me quos noris amicos,
  Quos inter Ionas nomina primus habet.
Ipſum præcipue: Muſarum dona: Philippum
  Salua ſit & Phacchi barba grauisq; fides.
Te ne ego prætere am lyrici decus ordinis Hace.
  Hace prius potero non meminiße mei.
At tu uade bonis auibus charißime Pecti,
  Subq; tuo noſtrum pectore nomen habe.
Interea quo tu pulchrum ſudabis ad Albim,
  Hoc ego fortunæ tempore ludus ero.

AD EVRICIVM CORDVM DE CARminibus à muribus corroſis iocus.

NOn adeo ueteris celebrata poëmata Codri,
  Quæ mures opicos dilaniaſſe ferunt.

Quàm

Quàm tua corroſas uulgo plorantia chartas
Nunc in Palladia carmina tuta domo.
Ipſa feros timidis obiectat muribus angues
Tu tamen hic ranas Corde fuiſſe putas.
Scripta momorderunt Thilum mordentia mures
Illius hos genios dæmonas eſſe puta.
Carmine ridiculo riſum mouiſſe uolebas
Luſit amabilibus ſeria Muſa iocis
Arua olim rapidi populabant Appula mures,
Culta rudi cecidit milite uicta Ceres.
Dicitur Hiſpanam fodiſſe cuniculus urbem
Quis genus hoc ſocium muribus eſſe neget?
Theſſala lucifugæ ſtrauerunt mœnia talpæ
Gallia de ranis pertulit excidium.
Agricolas Libycæ patria pepulere locuſtæ
Anguis Amyclæa uictor in urbe fuit.
Quid Romana canam Baleares arma colonos
Auxilia in mures ut petijſſe ferant?
Cum tua longa alio ueniat querimonia luctu
Iuſtior ex quadam parte querela tua eſt
Iam didicere loqui mures, quis credere poßet
Eſſe aliquo uiuum carmine Meoniden?
Quis tamen exprobret Heßiaco ſua ſomnia Cordo?
Queis queat Andinus uilior eſſe culex.

AD IONAM, INDIGNATVR QVOD *ſoluta oratione quædam ſcripſerit.*

Ege ſua poſitis ſat erat placuiſſe Camœnis
Quamque pedes melior forſan habebar eques.
Nunc quoniam pudor eſt filo neuiſſe pedeſtri
Indignor numeris uerba coacta legi.
Quis deus afflauit lento mea pectora flatu?
Quis mihi pro pennis lora rotaſq; dedit?
Cum maria ac terras poſſem ſuperare uolando
Ire laboranti cur pede uiſus eram?
Sic ego, ſic poſita lauro, citharaq́; remiſſa
Reddidit altiuago qui mouit axe diem.
Digne meis olim iam nunc indigne coronis
Quin merito paſſum deſinis Heſſe queri,
An tu Iuridico tantum confidis Ionæ?
Iamdudum nobis perfidus ille fuit.
Muſica deſeruit plebëia caſtra ſequutus
Tempore quo infelix excidit ipſe ſibi
Vere ſuo melior quam tempore meſſis adultæ,
Autumni ueras non habiturus opes.
Hei mihi qualē hyemem. Sed ſi mea caſtra relinquas
Diuite cum Iona tu quoq́; diues eris.
Verum diuitiæ tam noſtræ pluris habentur,
Quàm ſit corporibus quælibet umbra minor
Quare age iuridicis querere hæc tua dāna tribunis,
Forte dabunt illi quàm mea plectra magis.
Sic ille Aonij pater ordinis, at mihi blandum
Neſcio quis ueſtra riſit ab arce Solon.

Ipſe

Ipſe quoq; ereptum pene indignatus honorem
Abrupi irata plectra fideſq; manu.

IN PRAELECTIONE VIRGILIANA.

FAma eſt aëreis gelidi ſub rupibus Hemi
Orphæis celebrem manibus eſſe locum.
Frondoſo ſuſpenſa Tholo lyra pendet ab illa
Tempore, quo charam perdidit Eurydicen.
Hanc quotiens aliquis plectro percußit eburno
Frigidus immota conſtitit Hebrus aqua
Culmina uidiße Rhodopes nutantia ſummi
Saxa ſequi, montes currere, ſtare feras.
Scilicet Elyſeo uatem redijſſe putârunt
Nunc eciam ſuperos uelle mouere Deos
Quid feciſſe homines miracla ad tanta putandũ eſt?
An ſenſu ſolos hos caruiſſe putas?
Nos meliora damus, maioraq; plectra mouemus,
Orphea Virgilio quis putat eſſe parem?
Cuius blanda nouem ſaltant ad plectra ſorores,
Geſtit & uberibus gratia cincta roſis.
Pone ſequebantur mirantes Orphea ſyluæ
Barbaricum cithara concinit ille melos.
Hic Latia uerba alta tuba, mirandaq; Muſis
Intonat, & cœlo carmina digna canit.
Hunc nemo obſtupeat? nemo huius plectra ſequatur?
Hei mihi quàm nullum hæc tempora pectus habẽt

Quem non ſacra trahat tanti facundia uatis
Hunc natum ſilices inter & arma puta.

VOCAT AMICOS AD CONVIVIVM
Ioanni Groningo ſuo.

CRaſtina Phœbæos ubi tertia contrahet ignes
Iamq́; ſeneſcentem prouehet hora diem.
Chare ueni noſtras Groninge rogatus in ædes
Quo peream ſi quid dulcius eſſe poteſt.
Te mea non formoſa quidem nec amabilis uxor
Penia conuiuam, ſed generoſa, rogat.
Ne contemne preces dominæ tam iuſta rogantis
O utinam famulæ ſit magis illa loco.
Illa tibi calido gelidos pro ſumine ponet
Sed tamen & caſtos & ſine felle ſales
Implebunt uacuas uocalia carmina lances
Fallet inexemptam ſtridula chorda famem
Lauta miniſtrabunt præſentes fercula Muſæ
Qualia cum ſuperis Iuppiter eſſe uolet.
Fundet odoriferos genialis gratia flores
Plena miniſtrabit pocula caſtus amor
Talia ſi poßis conuiuia ſpernere dicam
Lætitiæ ueram non habuiſſe famem.
Quod ſi uera uoles, & debes uelle, fateri
Ex iſtis dapibus uita beata uenit.
Ingenium uis multa cibi ſuffocat & aufert,
Appoſitam mortem luxuria omnis habet

Quare age ne modicæ ſpernas elementa culinæ
Sæpe eciam Diuis uiſcera toſta placent.
Ipſe quidem melius cœnaſſe fatebere nunquam
Si non ſorduerint prandia noſtra tibi.
Ventriculúmq; referes ualidi uectoris egentem
Verſibus & uerbis ſi potes eſſe ſatur.

IOANNI ECCILIO SVO

I puer Eccilio, ſed noſtra uoce, ſalutem
Dic prius, inde ipſi talia uerba refer.
Cras ubi ſolis equi prono temone ferentur
Tertiáq; occiduum duxerit hora diem.
Heßiacas conuiua ueni, ſic iußit, ad ædes
O palatinas non habiture dapes.
Si tamen officium fidi ſpectabis amici,
Cœnabis melius Regibus & Ducibus.

MARCO SVO.

PAuperis officium ſi non contemnis amici
Et modico paſtus uiuere Marce potes.
Cras ubi Phœbus aquas ſtabit ſubiturus Iberas
Tertiáq; inſtantem traxerit umbra notam.
Hoſpes ad Heßiacos gratus diuerte penates
Qui uarijs nectunt florea ſerta roſis.
Conuiuæ tibi erunt Diuæ tres, una, nouemq;
Fercula tot numero non habiture. uale.

MARTINO HVNO SVO

HOſpes ad Heßiacæ regalia prandia menſæ
Cras tibi præſcriptis legibus Hune ueni.
Tertia cum Phœbum denunciat hora cadentẽ
Ne quid edas toto tempore neue bibas.
Vt dapibus poßis plenas aſſumere lances
Et toto calices euacuare mero.
Quod ſi forte times ne ſolus ad iſta uoceris,
Rite famem tecum duxeris atq; ſitim.

IOANNI DRACONI SVO

CVm medium cœli Sol aſpirabit ad axem
Signiferiq; umbras traxerit hora decem:
Accedas noſtras conuiua rogatus ad ædes
Dulcis & ante alios non metuende Draco.
Prandia ſi quæras tenui ponenda culinæ
Accipe, Pythagoras qualia mandet edi.
Et nos contenti ſcis qualibus eſſe ſolemus
Qui colimus ſacrum ſobria turba nemus.
Lauta tamen ſi non regali inſtructa paratu
Prandia ſi cupias & potes eſſe ueni.

IN AEDITIONE HYMNI PASCHALIS.

MVſa iterum uariata nouo te noſtra ſalutat
Carmine Muſarum quiſquis amicus ades
Ecce renaſcentem uariãt ſua ſydera mundũ
Et uariata nouo gramine uernat humus.
Sacra reſurgenti celebrauimus orgia Chriſto
Addidimus lyricæ Sapphica plectra chely.

Præterea adiectis quædam uariata parergis
Vt tibi diuerſum gratius eſſet opus.
Perlege, conueniunt noſtræ cum tempore Muſæ
Hoc quod te, dices, Heſſe decebat erat.

IN DIVISIONEM APOSTOLORVM.

VIs populi clauſit duodenos impia fratres
Vim populi ueniens ignea lingua tulit.
Claudere non potuit bis ſex Iudæa planetas
Imo uagus unus non ſatis orbis erat.
Illorum immenſum ſonuerunt uerba per orbem
Qui ſolem pendens inter utrunq; iacet.
Illorum hoc toti diuiſio profuit orbi
Infera quòd iunxit climata cum ſuperis.

MICHAELI NOSSENO SVO, *iocatur non eſſe ſtudendum.*

TOta luce domi feſta qui deſidet, illi
An ne aliquid uiui ſanguinis eſſe putas?
Præcipue ſtupidos inter mutoſq; libellos
Nil agere eſt idem quos & amare labor.
Quo mihi namq; leues ærumnoſæq; Camenæ
Has propter triſtis ſemper ut eſſe uelim.
Imo abeant potius ſtudiorum infauſta ſupellex
Turbaq; uicturis inuidioſa libri.
Me iuuet urbanis conuiuia libera dictis
Spargere, fabellis nec poſuiſſe modum.

Mollibus interdum caſte aſſediſſe puellis,
Et uenerem rudibus conciliaſſe modis.
Quandoquidē ſupereſt quod uiuimus una uoluptas
Fabula ſunt manes & furiæ, & nebulæ.
Quare age curarum fomenta relinque libellos,
Teq́; bonis natum dulcibus eſſe puta.
Vana ſuperciliosorum ludibria pone,
Pro lachrymis uinum, pro cruce ſumme roſas,
Poſtmodo lugebis, niſi pares uera monenti,
Qui de Mercurio principe nomen habes.

IN FORIBVS GYMNASII.

CVr taceā tot Ephebe dies dulciſs.me quæris,
Quæue Maronæū cauſſa moretur opus.
Inuida turbauit cœptum fortuna tenorem,
Hoc ſatis eſt, alio tempore plura ſcies.
Non tamen obiectæ pulſatum mole procellæ,
Turbida fluctiuagi ſubruet unda maris.
Cerberus & furiæ quartam peperere ſororem,
Nuper in exitium pernitiemq́; meam.
Hoc tibi ſi obſcura dictum ratione uidetur,
Nil moror eſt quare tectior eſſe uelim.
At tu ne dubita iacturam temporis huius,
Reſtituendam opera commodiore tibi,
Perfer, & interea muſis operare Latinis,
Quæ tibi ſunt ſtudio tradita ſacra meo.

PETREIO APERBACCHO SVO.

Quæ

QVæſitus tota,ſed nusq̃ inuentus,in urbe,
Dic ubi,uel quare te latuiſſe putem?
Dic age quid charis tam te furatur amicis,
Rarior ut nulli non uideare coli?
An ne iterum ueteri te Fuluia fune retraxit,
Oblitum Romæ Pieridumq́; chori?
Vt tamen offenſi redeat tibi gratia Regis,
Poſt epulas mecum balnea nigra petas.

D. GEORGIO STVRTIADAE AB ITALIA REVERSO.

QVæ procul à patria nuper te Muſa dolebat
Cedere,num reditu gaudeat illa tuo?
Gaudet,& hoc fieri uerſu teſtatur inepto
Itala iam ſentis terra relicta tibi eſt.
Illic Pierides Muſæa per oppida regnant,
Numinibus tantis barbara rura uacant.
Hic breuis alnoſa ſub arundine muſſat Hieras,
Si qua ſit in putri nympha coaxat aqua.
Mintius,Eridanus,Ticinus,Padus,Adria,Tybris
Nomina ſunt ipſis proxima cœlicolis.
Quare age Sturtiadum clariſſima fama Georgi,
His te iterum nugis ut capiare para.
Quòd ſi uerba animi nequeant depingere uultus,
Pro uerbis animum diſpice gratus erit.

MICHAELI MEYENBVRGO ſcribæ Northuſano ſuo.

Q Vam tibi debueram toties miſiſſe ſalutem,
Ne qui perferret falleret ipſe tuli.
Candide Muſarũ comes & patrone Michael
Scripta ne iam ſentis cuius & unde legas?
Heſſus arenoſi non ultimus accola Gheræ,
Pene ſuis manibus tradidit iſta tibi.
Tam tibi præſentem Northuſia tecta poetam,
Quem forſan nobis exhibuiſſe puta.

GEORGIO SPALATINO SVO.

M Axia pars quõdã noſtræ Spalatine iuuẽtæ,
O & adhuc animi maxima cura mei.
Hoſpes ad Albiorím tãdẽ tuus appulit Heſ
Heſſus Hyperborea iam niue frigidior (ſus
Namq; quis arctoas tam longe abiectus in oras,
Non aliquid cœlo de grauiore trahat.
Ergo age mi frater ueterem uiſurus amicum,
Vix quoq; quæ ſuperant illius eſſe puta.

EVRICIO CORDO SVO.

H Aſtato ſatis agricolæ ſi Corde diali,
Sacra peregiſti relligione, ueni.
Culmine ab aereo proſpectũ præbet amœnũ
Area clauigeri numine plena ſenis.
Inde racemiferos colles, flauentiaq; arua,
Lætaq; graminibus prata uidere licet.
Inde renidentis nymphæa rubentia ſyluæ,
Inde Suburbanæ cernere ruris opes.

Si minus

Si minus iſta iuuant oculis luſtrata, receſſu
In uallem tacito non oneroſa uia eſt.
Corde ueni iam mane nouo, iam ſole recenti,
Neſcio quid ſolito blandius aura nitet.

IN MOESTAM VIRGINIS MA
TRIS IMAGINEM.

*Q*Viſq; habes Mariæ fixos in imagine uultus,
Eſt aliquid præter uerba quod inde legas
Sic ſtetit illa uidens morientis uulnera Chriſti
Heu quali matrem fõderat enſe dolor.
Dicite mortali fœcundæ ſemine matres,
Dicite de uobis talia ſi qua tulit.
Nulla tulit, nulla eſt æuo latura ſequenti,
Illa ſed humani ſumma doloris erat.
Cauſſa fuit peccaſſe hominem nato atq; parenti,
Quod uolet hæc mortem, quam tulit ille, pati.
Et nihil huic ergo nihil illi ingrate rependis,
Quorum ſupplicio uita redempta tua eſt?

IOANNI CASSELIMAN-
NO SVO.

*T*V quoq; Phœbæos non ultimus inter olores,
Muſica præſenti numine plectra moues.
Gratulor applaudoq; tuæ chariſſime Muſæ,
Qua duce tot uerſus Caſſelimanne facis.
Diua potens numeris ad nos ne ſola ueniret,
Attulit Heßiaca munera facta manu.

Pocula fictilibus non inferiora cadiſcis,
Caſtalidum uitreis lucidiora uadis,
Quæ quia tam facile poſſunt feciſſe diſertum,
Sæpe racemigeno plena liquore bibam.
Cumq; bibam dulces inter non fictus amicos,
Qui potero ſtudij non meminiſſe tui?
Quare age ne dubita iam te quoq; pectoris huius
Fixum non minimæ partis habere locum,
Non tam muneribus quia me donâris amicis,
Quàm quia nobiſcum Muſica regna colis,
Macte animo, ſic te decuit, quia Martia tales,
Tamq; bonos uates Heßia ferre ſolet,

CVR VOCETVR REX

NOn ego crediderim citius prodiſſe poëtam,
Quē ſterilis raptū prædicat Aſcra ſenē.
Quàm mihi iamdudū Phœbæia ſigna ferenti,
Venit adoptato nomine Regis honor.
Hoc tamen unde feram qua manet origine nomen,
Stultum & ridiculum dicere pene fuit.
Scripſimus exiguo uulgata poëmata uerſu,
Scripta notis populo Lypſia clara dedit:
Legerat hæc gentis Reuchlinus fama Sueuæ,
Et dixit Regis nomen habere potes.
Inter enim quoſcunq; ferunt tua ſecula uates,
Rex es & eſt ratio nominis inde tui.

Nam

Nam Graij Regem dicunt Heſſena poëtæ,
Eſſe ita te Regem nomine req; doces.
Et uelut exerces agnatum in carmina regnum,
Recta ſtat in uerſu ſyllaba quæq; tuo.
Hoc ſcriptum excipiunt atq; amplexantur amici,
Et Regem clamant omnibus eſſe locis.
Ipſe ego quandoquidem nec publica ſcripta negare,
Nec poteram charis obſtruere ora uiris.
Rex inquã, rex ueſter ero, quando iſta neceſſe eſt
Tradita militiæ nomina ferre meæ.
Verum alios titulos, nec inepta inſignia ſumam,
Moria iamdudum cognita tota mihi eſt.
Vidimus Vtopiæ latiſſima regna ſuperbæ,
Tecta lucernarum ſunt peragrata mihi.
Fortunata meo luſtrata eſt inſula curſu,
Dulcia ubi æterno flumine mella fluunt.
Qua uiret ambroſiæ ſuccus, qua rupibus altis,
Nectara ut è cœlo præcipitata cadunt.
Gentis Hyperboreæ fœlicem uidimus oram,
Qua neq; mors homines, nec mala fata premunt.
Qua ſtant perpetuam facientia ſtagna iuuentam,
Qua licet in cœlum ſcandere quando libet.
Hæc per & hæc circum pulcherrima regna uolentẽ,
Moria me fida duxit amica manu.
Cunq; peragrãrim tot tantaq; regna, licebit
Stultitiæ titulos ſumere iure mihi.

Muſica legitimum ſumant in carmina regnum,
Qui ſunt Meonidæ Virgilijq́; ſuper.
Quàm mihi ſint nullæ ſcribenda in carmina uires,
Sentio, & ingenium metior inde meum.
Vos quia me Regem facitis, ſinite eſſe tyrannum,
Stultitiæ haud aliud me diadema mouet.
Sic ego, paruerant illi tam uera monenti,
Tradentes manibus Regia ſceptra meis.
Fecerit ergo licet Reuchlinia littera regem,
Non tamen hoc tantum contulit imperium.
Plurima Capnioni ſubſcribit turba, Quid inde?
Si rem complebunt nomina Cæſar ero.

DE EBRIETATE.

Auriculas aſini Phrygio mens ſtulta tyranno,
Torua Ioui tauro cornua fecit amor.
In porcos Ithaci comites pecuina uoluptas
Exuit, & balat Rex maris inter oues.
Decolor ira canem Ciſſeida fecit, olympo
Inuidiæ labes Arcton utramq; dedit.
Induit ora lupi ferus impietate Lycaon,
Cercopibus precium ſimia perfidiæ eſt.
Atq; alias aliæ peſtes fecere figuras.
Singulaq; artifices monſtra habuere ſuos,
Has tamen una poteſt omnes effingere formas
Omnibus in uicium doctior Ebrietas.

FINIS.

D.

D. HENRICO

APERBACCHO MEDICO EXCEL-
lenti amico ac patrono benemerenti ſuo
Helius Eobanus Heſſus S. D.

CVM LIBROS SYL
uarum ſex in publicū
eſſem æditurus, Hen-
rice Aperbacche *ami*
corum uetuſtiſſime, i
demq́; longe chariſſi
me, & alijs ex ami-
cis alios nuncuparē,
in ipſa humanitatis et ueræ amicitiæ iura peccare me
exiſtimabam, ſi nihil huius honoris tibi detuliſſem,
hoc eſt, nulli ipſorum te patronum adhibuiſſem. Scio
enim huius te nominis autoritate non modo nō gra-
uari, uerū etiā gaudere. Tertius *igitur hic ſyluarū li*
ber honori tuo datur, quòd in eo ipſo nō, ut opinor, in
cōmode carmen olim ad te conſolatoriū, id uero eſt
Epicedion *in funere filij tui primogeniti ſcriptū, ſed*
nunquā antehac uulgatum, tertio loco inſerui. Nam
primū & ſecundum merito duo ſummi Principes *ob*
tinent: & ut ingenue fatear, optime Aperbache, *erat*
à principio huius libri dedicatio fratri tuo germano
uiro doctiſſimo mihiq́;, ut ſcis, omniū mortaliū longe

HELII EOBANI HESSI SYLVARVM LIBER III.

ILLVSTRISSIMO PRINcipi Ioanni Fridericho S. R. Imp. Electori Duci Saxoniæ.

INCLYTE DVX *clarum genus alto à ſanguine Regum*
Qui patris & patrui Nobile nomen habes.
Patris Ioannes, Patrui Frideriche, potentum,
Quos inter diuos ſecula noſtra locant.
Hæc age pacifico Iuuenis digniſsime ſceptro
Hæc age placata carmina fronte uide.
Quæ tibi non aliquo qui fallat lumina fuco
Mittimus, aut leuibus ceu rapienda notis
Sed magis ex animo tibi quo clariſsime Princeps
Nullus in hoc populo iunctior eſſe poteſt.
Miſimus ergo rudes animo dictante Camœnas
Nec leue, nec tantum temporis huius opus.
Nam licet hæc breuibus claudatur epiſtola uerbis,
Longa tamen ſeries poſteritatis erit.

Cui tua perpetuum uirtus memoranda ſub æuum
  Mittitur hoc quali carmine cunq; meo.
Vt tu ceu primis clarus Heroas ab annis
  Indole præclara uincis & ingenio
Sic tua nobilior te digno munere uirtus
  Et fieret famæ clarior aura tuæ.
Quæ tibi ab hac certe pulcherrima parte futura eſt
  Qua chorus ante alios prodiga turba ſumus.
Nec tamen in quemuis: niſi enim digniſſima Muſæ
  Non celebrant: uirtus hoc dare ſola poteſt
Quæ quoniam æquales tibi contigit inter ephœbos
  Quam ſtupeat poſita flauus Apollo Lyra
Digne cani Iuuenis centum per carmina linguis
  Non debes meriti laude carere tui.
Ne tua præclaris tot dotibus aucta iuuentus
  Virtutis poſſit non meminiſſe ſuæ.
Quæ niſi ſeipſam acuat ſtimulante cupidine laudum
  Sæpe uelut languẽs excidit ipſa ſibi.
Quod tibi ne timeas Princeps animoſe futurum
  Plurima ſunt quæ te commonuiſſe queunt.
Fulget imaginibus primum domus inclyta, quæ te
  Regibus eduxit nobilitate parem
Clara ibi maiorum cum contemplabere facta
  Dignus ut huic generi cura erit eſſe queas.
Inde tuæ gentis primis Heroas ab annis
  Illuſtres tanta laude ſtupebis auos.

Totq; duces inter clariſsima nomina, ſummo
Summa loco Erneſti gloria ſtabit aui.
Innumerabilibus quo non fuit alter ab annis
Principe conſilijs, iuſticiaq́; prior.
Ad te iterum redeo ſanguis clariſsime, cui non
Par ſuperis patrui gloria nota tui eſt?
Ingentis quem non Friderichi nomen in orbem?
Quo non fama abijt? quo ue ſub axe latet?
Romani Imperij qui nunc Septemuir honorem
Gaudet, & ablatum reſtituiſſe decus.
Rara illi poterint conferri exempla priorum
Tam nihil eximiæ munere laudis eget
Quo neq́; Mecœnas ſtudiorum uerior unquam
Reddidit ætati Muſica regna ſuæ.
Qualibus ille opibus pulchrum deduxit ad Albim
Claram perpetua nobilitate ſcholam?
Qua pietate auget? meritis quibus afficit auctam?
Cætera ſunt elegis arduiora meis.
Quo tamen hunc qui te talem dedit ore canemus?
Non facit ad laudes illius ulla chelys
Ingenium maius, maioraq́; plectra meretur
Qui potuit tantum te genuiſſe decus
Et quamuis nulli ille Ducum uirtute ſecundus
Ceſſerit, hoc meritum nomine maius habet
Diuinum in terris animum te namq́; gerentem
Cum daret, orbi & opes diuitiasq́; dedit.

Cuius ut eximiæ flos indolis omnia ſpondet
Maxima, ſic debet non ſine teſte coli.
Sed neq; te merita cariturum luce timebis
Et nec in obſcuro fama futura tua eſt.
In tua certatim ſurgent præconia, quorum
Muſica diuinum pectora numen habent.
Macte animo, ueteres duce te reuocabimus annos
Nunc ſuus ingenijs reſtituetur honos.
Macte iterum clarum ſpecimen uirtutis auitæ
Per te Caſtalidum purior unda fluet.
Tu modo ſume animum te dignum Principe, teq;
Huius opus rarum temporis eſſe puta.
Hoc facies ſi te non ad mediocria natum
Maxima ſed partes noueris eſſe tuas.
Sollicitent alios tituli ſine rebus inanes
Ociaq; in magnis non habitura locum
Diuitijs inhient illi, & popularibus auris
Hos iuuet aßiduis luxibus eſſe graues
Tu qui uere tuo tam flores indole læta
Virtutem extendes per benefacta tuam
Sic tibi præſentis ſordeſcent nomina famæ
Curaq; uenturæ maxima laudis erit.
Ibis ab exemplis per ſplendida facta tuorum
Gloria Saxonicæ contigit aſtra domus.
Te patris & patrui regnum manet, unus obibis
Qua uice par ipſis regibus eſſe queas

Quam

Quàm decet & pulchra eſt ſocia uirtute poteſtas,
Nemo amat immodicas quæ timeantur opes.
Quare age uirtutem regnis adiunge paternis
Magnus ut es, magnos maximus inter eris.
Iamq́; renaſcenti fer opem pietatis honori
Quod facis, hæc res eſt principe digna uiro.
Quæ pius inſtaurat fidei deſueta Lutherus
Nomina, ſint animi pondera prima tui.
Impuros cohibe liquidis à fontibus apros
Quid lacerat miſeras paſtor auarus oues?
Nunc tamē inuolucris quibus hæc nō ſemp agemus
Non etiam tectis egimus ante notis.
Viue diu Princeps animo digniſsime tali,
Indolis & noli non memor eſſe tuæ
Sic tua nec dubita ſeros durabit in annos
Extremo uirtus non obitura die.
Quod tibi præſtabunt per amantes talia Muſas
Qui nunc Pieridum cunq́; fouentur aquis
Quos inter numero ſi me dignaberis ullo
Inuictum numeris experiere. Vale.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI GVILIELMO DVCI BRVNOSVIGENSI *apud hoſtes captiuo*

IMproba quàm dubijs fortuna uolatibus erret
Quàm poſsit certas non habuiſſe uices

Quàm plerumq; bonis atrox, quàm fida malignis
Audijt ipſa meo carmine ſæpe queri
Te quoq; in indignos caſus niſi ſæua tuliſſet
Non habuit leges Dux Guilielme ſuas.
Heu generoſa animi Regum clariſsime ſanguis
Quàm tua nunc merita gloria ſorte caret
Quàm uoluit nimium tecum fortuna iocari
Hic illam uires non habuiſſe uelim.
Nempe iaces blandi deceptus imagine Martis
Sic tamen ut poßis ſurgere nempe iaces.
Nec tua degeneri mens conſternata pauore eſt
Aut animi uirtus excidit ipſa ſibi
Nec tibi defuerant animoſæ in prælia uires
Semper ad armorum pondera fortis eras.
Vtq; tuus, Regum domitor, pater omnia uicit
Hic quoq; uicturus ſi licuiſſet eras
Inuidit fortuna tuis Dux inclyte cœptis
Quamuis & fratre eſt æquius uſa tuo
Fortibus Henricus qui te nunc uindicat armis
Magnanimo iuuenis cum patre dignus auis
Nec ponet, niſi te, quæ nunc agit arma, recepto
Auguror & res eſt iſta futura breui
Victor ad hoſtiles ita fulminat impiger arces
Mœnia ſic duro fortia Marte quatit
Perge inuicte animo iuuenis, ſic ſentiat hoſtis
Sentiat iratum perfida turba ſibi.

Præmia

Præmia perfidiæ defer ſua quanta meretur.
Qui tibi non proprio milite damna tulit
Qui te non uirtute ſua ſed fraude coëgit
Tot pro fratre pio cladibus eſſe pium
Sentit,& hoc ipſum iam Lunæburga iuuentus
Ipſe quoq; admiſſum deuouet autor opus
Vince armis igitur qui uincis pondere cauſæ
Hoſtes, ut pœnas quas meruere luant.
At tu fer placide duræ ludibria ſortis
Altera Saxonicæ lux Guilielme domus
Nec tibi turpe puta quia ſis deceptus ab illo
Qui quod erat non hoc debuit eſſe tibi.
Qui quia pars ueſtri non ultima ſanguinis eſſet
Credidit in uobis fraudibus eſſe locum
Et quia non potuit uirtute & uiribus impar
Vos petere inſidijs eſt licuiſſe ratus.
Sed dabit heu nimias tali pro crimine pœnas
Nec dubita, uates præſcia turba ſumus
Iam uideo undantes inimico ſanguine foſſas
Iam uideo ærata mœnia mole quati.
Aſpicio uaſtos incendia lata per agros
Vix aliquem iuſtis cædibus eſſe modum
Heu improuida mens hominum atq; ignara futuri
Quàm tua ſupplicio eſt culpa luenda graui!
Tu tibi commiſſæ curares commoda plebis
O ſacer, ò populo præſul inique tuo.

Martia bella duces non ſacra corona miniſtret
Pontifices nunquam Martia bella decent:
Sacra bonus tractet uerbo myſteria paſtor
Bella gerant reges, quos decet iſte labor
Tu tamen oblitus uicis illorumq; tuæq;
Pro libris clypeos, pro cruce tæla geris
Sed mihi nec tecum ratio eſt ſuſcepta querelæ
Quàm bene pro patria feceris ipſe uides
Horrida circumſtant etenim te bella, nec usquam
Qui tibi nunc armis auxilientur habes.
Hoc erat infidis Gallis patria arma paciſci
Hoc tibi, prima mali cauſſa Sicamber, erat.
Nunc ad te inclyte Dux redeo Guilielme, querentem
Tradita uirtutiq; præmia iniqua tuæ
Vtq; feras animo non hortatoris egente
Des patris Henrichi manibus iſta precor
Per patris inferias belli uirtute potentis
Dum licuit ſecli laus fuit ille ſui.
Per genus à proauis longa quod origine ducis
Cæſaribus, quibus eſt inclyta ueſtra domus:
Quæ te magnorum de gente creauit Othonum
Quos Romæ dominos uos genuiſſe liquet
Aedite magnorum regum de ſanguine debes
Virtutis nunquam non meminiſſe tuæ.
Et patris & fratris te & auorum uiuida uirtus
Excitet ut poſsis fortiter iſta pati.

Nam

Nam neq; te primum dubio fortuna feſellit,
Sæpe alijs uultu deteriore fuit.
Vt ueteres taceam nuper tibi perfida Brugi,
Maximus in uinclis Aemilianus erat.
Huic quoties captiuus erat, quem Geldria pugnax
Sæpe iniuſta ſuum miſit in arma Ducem.
Aſpicis extorrem patria procul arce Sucuum,
Non aliquam reditus poſſe parare uiam.
Quis uetet & profugum Danorũ his addere regem,
Quàm miſere regnis excidit ille ſuis.
Quo nunc ille abijt quem Burgum nobile Lunæ,
Tam ſibi non fidum nollet habere ducem?
Hunc quoq; uix propria manſurum in ſede putarem,
Qui tibi fortunæ conditor huius erat.
Quare age ſume animos inuicto principe dignos,
Et quia ſic opus eſt fata fer iſta libens.
Non erit æternum quod nunc dolet, ultima primis
Expectanda tibi, ſed meliora puta.
Quod nunc tu pateris paſſi perſæpe fuerunt
Innumeri reges innumeriq; duces.
Neue quòd immerito pateris cruciere, per iſtas
Ceu nebulas uirtus ſurgere uera ſolet.
Adde quòd hæc cautes ad honeſta pericula reddunt,
Clade ſua doctus qui ſapit ille ſapit.
Adde fidem famæ de te non falſa loquutæ,
Et nunc iſta uiri nomina fortis habe.

Et quia te Muſis doctiſq; fatentur amicum,
Carmina quæ luſi conſule pauca boni.
Iuſsit nanq; fides tibi debita pectoris huius
Fortunæ caſum condoluiſſe tuæ.
Tempus erit quo tu deuictis hoſtibus ultor,
Extendes patriæ florida regna tuæ.
Tunc meliora fluent noſtræ tibi carmina Muſæ,
Tunc tua, tunc fratris Martia facta canam.
Tu modo uerſiculis ne ſpernas uilibus auſum,
Vt legerent oculos ſollicitaſſe tuos.
Sis fœlix fortiſq; diu, uiue optime princeps,
Omnia & ut poſsis uincere dura. Vale.

DOMINO HENRICO APERBACCHO MEDICO IN FVNERE COSMAE FILII EPICEDION.

FLeuimus extincti nuper tibi fata parentis,
Hic finis querulæ debuit eſſe Lyræ.
Nunc quia quã nollẽ cauſſa eſt Henrice dolendi
Ipſe locum certe debet habere dolor.
Et miſeris addit quædam ſolatia luctus,
Fata ubi non poſsis uincere flere iuuat.
Hæc igitur mœſto tibi uenit epiſtola uultu,
Vltima mœſtitiæ ſit precor illa tuæ.
Quæq; ego debebam naſcenti iubila Coſmæ,
Soluo immaturi funeris inferias,

Heu di

Heu diuûm impietas,heu ferrea iura ſororum,
Quantum erat hic auidas non habuiſſe manus?
Tam licet inſontes etiam uiolare?piumq; eſt,
Qui uix dum uiuus cœperit eſſe,mori?
Nondum illi magnum Phœbus ſemel egerat orbem,
Flos tener heu nimium floruit ille diu.
Lætior arriſit poſt ſydera prima,ſecundo
Inuida natali non reditura dies.
Indolis egregiæ iam ſpes promiſſa parentem
Extulit,elatum ſed cito deſeruit.
Tum cito uere nouo uix dum roſa nata,pruinis
Aut matutino frigore tacta cadit.
Quid iuuat humanis etiam nunc fidere rebus,
Si tam ſpes miſeros fallere certa poteſt?
Heu puer,heu quondam uita digniſſime ſanguis,
Hanc auram,hunc ſolem deſeris ante diem?
Vix mundum ingreſſus retro fugis, an ne dediſſe
Te ſuperos credam pœnituiſſe deos?
Diſsimilis rerum ſeries,& iniqua deûm lex,
Tempore quàm conſtant optima quæq; breui
Tot ſuperant hominum peſtes uitæq; tyranni,
Quos melius uitam non habuiſſe fuit.
Vnica naturæ blande arridentis imago
Concidis,heu longum uiuere digne puer.
Tranſiſſes utinam primi confinia luſtri,
Forte deo poteras non reuocante mori.

F 2

Iam nunc inuidia eſt, quis enim negetꝰ illa deorum
Vix ortum, terras deſeruiſſe decus.
Iam tibi certa duæ ducebant fila ſorores,
Cum tibi demiſſum tertia rupit opus.
Herculeis toties iuuenum dea, preſſa lacertis,
Tum primum uiſa eſt indoluiſſe palam.
Tunc immaturo conſumptum funere Coſmam,
Ipſa parens rerum pene erat auſa queri.
Conciliatrices diuæ crudelia queſtæ,
Fata, coronantes depoſuere roſas.
Iam Muſas, quoniam ſpes tam blandita fefellit,
Monte ſub obſcuro delituiſſe ferunt.
Tu quoq; uocalis Cytharæ geſtator Apollo,
Fregiſti irata plectra Lyramq; manu.
Illi namq; choro quantum decus ille futurus
Hei, fieri iuuenem ſi licuiſſet, erat.
Autori ſimilis Phœbo pater arte medendi,
Ferre Machaoniam te docuiſſet opem.
Quódq; ſenex Chiron puero præſtabat Achilli,
Vixiſſes utinam præſtitit ille tibi,
Muſarum uirides patruus Petreius hortos,
Et Ciceronæas explicuiſſet opes,
Is tibi ſponte ſua ſalientia plectra dediſſet,
Seu libeat numeris ludere, ſiue loqui.
Sed fruſtra. Quid enim uanas iterare querelas
Orphea ſublatæ proderit Eurydici?

Ille qui

Ille quidem gelidi latis in uallibus Hemi,
Eurydicen querula concinit usq; chely:
Sylua feræq; ſtupent, montes & ſaxa ſequuntur,
Miratus curſum comprimis Hebre tuum.
Non tamen audit atrox deuoti regia Ditis,
Illa ſtat ad cunctas ianua ſurda preces.
Quin igitur fallaci animum lacerare dolore,
Deſinis & luctus diſcis habere modum.
Quin ſubit humanæ ſortis meminiſſe, quòd huius
Vsq; adeo inſtabile eſt conditionis opus.
Nulli usquam certus uitæ ſtatus omnibus horis,
Fimus & occidimus, naſcimur & morimur,
Falce ſua mors cuncta metit diſcrimine nullo,
Cum ſenibus pueros, cum puerisq; ſenes,
Quid facis inuidiam ſuperis? ſpes nulla reuerti
Quem ſemel in Stygio uexerit amne Charon.
Mortua tam ſtultum eſt deflere cadauera, quàm ſi
Te doleas fieri non potuiſſe deum.
Ergo immaturo quanquam tibi funere raptum,
Ne doleas omni tempore filiolum,
Adde modum lachrymis, ſtultum eſt ſine fine dolere:
Pene erat hoc uita non abeunte mori.
Quin potius noua buſta para ſignaq; ſepulchrum
Quoq; notes, carmen, ſi libet, illud habe,
Natus Aperbacchæ domui noua gloria Coſmas,
Vix ſibi conſpectam deſeruit patriam.

AD LVDOVICVM CHRISTIANVM EPISTOLA.

VAde datam pro me fer epiſtola fida ſalutem,
Illi cui nunquam non placuiſſe potes.
Vade iterum noſtra Ludouicum uoce ſaluta,
Qui graue de ſecta Chriſtide nomen habet.
Et ſi longa uia eſt, non ſit uia longa timori,
Non eſt, ut fuerat, puluerulentus ager.
Nunc gelidi ſæuis conſtant Aquilonibus amnes,
Iam uirides ponit flaccida ſylua comas.
Mutantur ſolitis uiduata coloribus arua,
Vſta pruinoſis noctibus albet humus.
I mea Muſa tamen, ſed non, quæ nuper amabas,
Serta coronata ſpicea fronte geras.
Hoc decuit cum te Thyringia læta foueret,
Nunc potes acceptis frondibus eſſe decens.
Nam quia tranſibis loca ſaltibus obſita, debes
Impexum folijs implicuiſſe caput.
Et quia nota tui Ludouici tecta ſubibis,
Hunc quoq; ne cultum neſciat unde feras.
Sed ſciat è regione ſibi Myſnēidos oræ,
Talia non falſa nuncia miſſa fide.
Dum te triſtis habet dubijs Erphurdia fatis,
Et ſtudij fructum fers Ludouice tui.
Ille tuus tumida uates aſſueſcit in aula,
Ocia mutata ſorte ſuperba pati.

Si quid

Si quid agat quæris, uiuit, ualet, hoc tamen unum,
Quód ſolito tecum non licet eſſe, dolet.
Hoc etiam doluit memini cum nuper abiret,
Te dare ſupremum non potuiſſe uale.
Exijt ingratam paucis comitantibus urbem,
Cur non è paucis qui foret unus eras?
Non ſecus indoluit teneri quàm doctor amoris,
Cum Tomon & Scythicam quæreret exul humũ
Sæpe relinquendam reſpexit triſtis ad urbem,
Et dixit, quamuis non mereare, uale.
Sed tamen & merito eſt quód ſuſtulit illa iacentem,
Sed non ſuſtinuit quem tulit, ergo nocens.
Nanq; quid legitime ſi natum diues adoptet,
Nolit adoptatum prolis habere loco.
Viue tamen dixit quoniam in te uiximus, atq;
In te dum licuit uiuere dulce fuit.
Sic ait, & lachrymis in uerba cadentibus ibat,
Turbida multiplici grandine ſæuit hyems.
Non magis obſcurus, nec erat nymboſior aër,
Qui te Dardanio iunxit Elyſa uiro.
Ibat ut ignota lacer in regione uiator,
Heu ſine te uiduo turture flebilior.
Quartus ab Oceana proceſſit Lucifer unda,
Ad noua quæſitæ littora uenit aquæ.
Illic ſecura tandem ſtatione quieuit,
Vnde ego ſum uultus miſſa uidere tuos.

Nunc abiiſſe puto, quo me tibi tempore miſit
Nora adhuc abitus tempora nulla ſui.
Nunc ego longa uiæ feci diſpendia, nunc me
Poſtquam miſſa fui Luna ſecunda uidet.
Verum ubi ſit, quid agat, quibus et cum uiuat amicis,
Si uiuet Muſa liberiore leges.
Hoc tamen adiecit ſibi non ut libera nuper
Ocia, ſed faſtus luxuriamq; coli.
Nunc primum tornata loqui meditataq; uerba
Diſcit, & inſolita flectere lege genu.
Ridet, & ingreſſæ totum ſe accommodat aulæ
Et ſtudia accepto plena fauore colit.
Nobilis obfuſcat uulgares purpura ueſtes,
Ferre tamen Muſas aula ſuperba poteſt.
Has colit, has præfert, & adhuc ueneratur in aula
Dij faciant facto candidiore. Vale.

AD LVDOVICVM PLACENTAM MELOSINGVM.

HAnc tibi ſi neſcis mitto Ludouice ſalutem,
Teutonicas auſus ludere primus oues.
Nāq; quod aſpectu non eſt tibi cognita primo
Cauſſa ſigillatæ ſtigmata frontis erant.
Annulus hanc etenim chartam ſignauit adulter
Quod mihi uobiſcum gemma relicta mea eſt
Si qua liturarum forſan diſpuncta uidebis,
Crimina difficilis noueris eſſe uiæ.

Sæpe ego cum ſummo limarem pumice, dixi
  Nunc tibi habenda tui cura decoris erit.
Ibis ad ora uiri Muſarum iudicis, illi
  Si potes informis ne uideare caue
Sed tibi nec facies putri eſt pingenda ceruſſa
  Caſtas Pieridas non decet iſte color.
Non calamiſtra tuos criſpent nec ſulphura crines
  Neglecta poteris pulchrior eſſe coma.
Vnio nec collum, nec tempora contegat aurum
  Sit demiſſa tuos ueſtis aduſq; pedes.
Nec nimis emineant teretes in pectore mammæ
  Sic Venus Anchiſæ cum peteretur erat.
Non iaceant madidi per eburnea terga capilli
  Hoc eſt in caſta uirgine turpe decus.
Nec tibi magna nouæ quærenda tonitrua uocis
  Hic ſatis à ſolita ruſticitate places
Hac inſtructa decens potes & formoſa uideri
  O requies uatis blanda Thalia tui.
Arguit inceſtum ſpecies laſciua pudorem
  Raraq; liberius fœmina culta proba eſt.
Sic ego, ſic fanti Nymphæ ſubriſit, & inquit
  Multa tenet mentem ſollicitudo tuam.
Non ego ſum proprij, mihi crede, oblita pudoris
  Cultibus ut malim luxuriare nouis
Non adeo extollor, non ſic ſublime tumeſco,
  Vt ſim fortunæ non memor ipſa meæ.

Et mea ſimplicitas Meloſingo ſæpe placebat,
Sæpe idem noſtro captus amore fuit.
Sic mea Calliope cecinit, ſic fata quieuit
Me tamen audaces impediente ſonos
Doctus ut es ſtudijs potes hæc cognoſcere, in iſtas
Quæ ſit, quo conſtet fabula noſtra modo.
Quo uult progreditur laſciua licentia uatum
Corpore non Proteus liberiore fuit.
Hæc & plura olim tecum memorare ſolebam
Propoſiti nunc eſt altera cauſſa mei.
Vt ualeas longos & agas fœliciter annos
Aſpicient animæ numina ſumma tuæ
Hoc ſimul atq; tui ne ſis precor immemor Heßi
Qui tibi quo licuit tempore frater eram.

AD IVSTVM IONAM PEREGRE REVERSVM.

IN patria exacto dum te rediiſſe Decembri
Pars quota iam populi quæ loqueretur erat
Fama meas nunquam iucundior attigit aures
Dum ſextam reficit menſtrua luna rotam.
Dumq; ultro citroq; uagor, conſuetaq; nuper
Luſtra peto, Iona nil minus inuenio.
Vt lateas an forte redis? an fallis amicum?
Et crucias lenta pectora noſtra mora?
Sic poteras abſens etiam rediiſſe uideri
Tu licet & fuſcos incoleres Arabas.

Non fuit Arctoo magis hoc latuiſſe ſub axe
Frigida qua len o plauſtra Boote ſtupent.
Sic poteras ultra extremos Garamantas & Indos
Nobiſcum nihilo uiuere & eſſe minus.
Perfide an hoc debes tam fido reddere amico?
Officium non hoc debuit eſſe tuum.
Non ſat erat nuper furtiuo abiiſſe receſſu
Ni mihi ſic redeas, ut rediiſſe negem?
Qua tamen accuſere ſubeſt iniuria maior
Teq; reum Muſis quando libebit agam.
Iam cauda feriente nocens Sol attigit aſtrum
Cum tua deſeruit littora noſtra ratis
Humidus excepit Phœbæia lumina Chiron
Poſthinc ſemicaprum Pana ſubiſſe liquet.
At Deus ut fluida properat Ganimedis ab urna
Sub gelidis quintum piſcibus egit iter
Iamq; ouis Aetæum peragrauit Colchidos aurum
Cum ſubit Europæ cornua fulua Proci.
Plena fuit toties: toties uaga Luna renata eſt
Septima iam Diuæ ſigna rubere uides
Poſt quam nulla mihi quæ poſſit epiſtola uenit
Dicere de Iona, quem colis Heſſe, uale.
Candidus ex iſta ſaltem mihi parte fuiſſes
Miſiſſes aliqua ſcripta notata manu
Eſſet quod de te quererer minus, & tua certe
Quæ nunc pene iacet, ſtaret ut ante, fides

Sed quò quàm uolui me longius euehis? aut quò
  Mordaces numeros ebria muſa iacis?
Nil tua facundum perturbat inertia Ionam,
  Defendi cauſis pluribus ille poteſt
Atq; utinam poſſes, me ſic cogente, probare
  Me potius certam non tenuiſſe fidem.
Quod quia non poteris, culpam fateare neceſſe eſt,
  Illa uia ad ueniam ſola relicta tibi eſt.
Tu quoq; falſa licet fingas peccata uiciſſim
  Argue me cultæ non ſat amicitiæ.

AD EVNDEM.

IAm pater acceptum luſtrarat Februus annum
  Idibus antiquo lux erat orta Ioui
Tum quoq;, ſi cœlum uideas, & ſigna requiras
  In cœlo coruus crater & anguis erant
Sydera mirabar docto gratiſſima Phœbo
  Inq; meo quædam pectore flamma fuit.
Ac ſi magnorum ſenſiſſem numina Diuûm
  Phœbæum terris explicuiſſe iubar
Seu quandoq; hominum mens eſt præſaga futuri
  Seu facit hoc nullo lumine Diua potens.
Huic animo ſupra iam ſydera ſumma uaganti
  Terreno propior uenit ab igne calor.
Nam tua me uanis adhibentem luſibus aurem
  Propoſitum non eſt littera paſſa ſequi.

Quæ mihi tum meditanti animo diuerſa laborum
Præmia fortuna reddita teſte fuit.
Ite alió miſerorum elegi ſolatia amorum
Ite alió Lyrici carmina noſtra pedes.
Non ego nunc ueſtro Veneres in ſanguine paſcam
Nullus ab hac iterum uite rubebit amor.
Stat mens certa ſequi uanis meliora relictis
Vana pudor uatum numina Phœbus habet
Sicut enim ſtipulæ multo iam ſole peruſtæ
In flammas totæ, ſi quis adurat, eunt.
Sic tua iam calidam ſuccendit epiſtola mentem,
Quæ Muſis credi ſcripta fuiſſe poteſt.
Qua neq; Reginæ Charites, Veneres ue benignæ,
Qua neq; Phœbæus blandior eſſet olor.
Gratulor ergo tuæ bona chariſſime dextræ
Quæ mihi tam pulchro munere dextra fuit.

AD DESYDERIVM ERASMVM ROTERODAMVM, EPISTOLA LOVANII SCRIPTA.

NVnquid ut acceptam relegis uir docte ſalutẽ
Longinquo miſſam credis ab orbe tibi?
Deſine, nam ſubijt diſpendia nulla uiarum
Sydere nec torpet, nec riget uſta gelu.
Aſpice quàm nulla tritæ ſint parte tabellæ
Quàm rudis à calamo littera pene fluat.

Vnde igitur quæris? uel cuius epiſtola uenit?
Vt iam cœpiſti perlege, utrunq; ſcies.
Hic ubi Louanium, te famæ uindice, floret
Quantum non aliquo quælibet ora ſuo.
Heſſus inaudaces tibi mittit Eraſme camœnas,
Qualibus ò utinam dignus es ipſa cani.
Iam quid, & unde legas certus, qd in hoſpitis hæres
Nomine, & eſt nouitas hæc peregrina tibi?
Qua nouitate tamen tibi nil antiquius eſſet
Hunc florem uellem perdere, & eſſe ſenex
Sed tamen ut noris quis, & unde aduenerit Heſſus
Aedita quàm paucis ſint ubi multa uide.
Inclyta ubi aërias Erphurdia deſpicit arces
Thyringam ueniens Ghera ſaluta humum.
Inde etenim repetam, properatam utcunq; ſalutem,
Quis tibi, dum meditor, perferat, ipſe tuli
Et ne forte putes quæ nunc legis ædita nuper
Sunt mihi præcipiti carmina facta mora.
Signa recognoſces, fateor doctiſſime Eraſme
Tu mihi iam dudum numinis inſtar eris.
Tantum ego mirabar quæ te ſcripſiſſe uidebam
Scripta ſub æternos certe abitura dies.
Non tamen audebam triuiales mittere uerſus
Maxima te coram cura uidere fuit.
Quod quia non licuit ſperabam poſſe licere
Fata ſed heu uotis ſemper iniqua meis.

Fama fuit noſtras uenturum te quoq; ad oras
Seruabam in tacito gaudia clauſa ſinu.
Hac me deluſum ſpe deſerit unus & alter,
Nunc eciam in curſu tertius annus erat
Parte ſui fœlix Baſilæa ſuperbit Eraſmo
Inuideo hoc lumen maxime Rhene tibi
Dum propero excepit clamoſa Moguntia triſti
Auſpicio:nam te teſtis abiſſe fuit.
Quid facerem?retrone ferar,patriamq; reuiſam?
Plurimus in patrio limine naſus erat.
Qua licet ire libet,non me nec ſaxa,nec ignis
Ipſaq; triſte minans non prohibebit hyems
Protinus euadam non qua Germania ſolum
Deſinit,& refluo clauditur Oceano
Sed quacunq; aliquid terrarum Phœbus oberrat
Aſpiciam uultus donec Eraſme tuos
Sic mihi da ueniam,furioſa in cœpta ruenti,
Milia ſunt pedibus bis quater acta decem.
Donec anhelantem populoſa Brabantia currum
Iam non manſuetos ſiſtere iuſſit equos
I nunc inueſtes quoſdam curriſſe ſub Indos
Iſſe ad Iſiacas iſſe Platona domos
Quantum Pythagoræ debetis Gymnoſophiſtæ
Quod pudet hoc auſus dicere pene fui
Nil tibi Apolloni ueneratus debet Iarbas
In phiala quiddam nectare maius erat.

Da mihi te facilem ſuper hoc erit omnia, nec me
Placatos credam plus habuiſſe Deos
Sed quis ut exorem labor eſt? oracula non ſunt,
Si qua fides famæ, Delphica certa magis
Et niſi non referunt animum quæ ſcribis eundem
Te nihil uſquam uno mitius eſſe poteſt.
A quoties cum ſcripta tuæ chariſſima dextræ
Perlegerem mecum non ſatis ipſe fui
Nomina ſunt per te magis illuſtrata meorum:
Hei mihi cur doleo nomen abeſſe meum?
An fuit illa mali grauis inclementia fati?
An patriæ nocuit barbara terra mihi?
Vel quia te nobis ſperabam ſæpe futurum
Si quis habere poteſt ſomnia ſpemq; ſimul
Quicquid id eſt potui leuiter peccaſſe, repenſum
Quod tamen officio nunc grauiore fero.
Liuius extremos fama commouit Iberos
Vt peterent urbem Romule magne tuam
Quem tu non moueas? quod non capiatur Eraſmo
Hoc ſilicem & ferrum pectus habere putem.
In patria conceſſa agere ocia, & eſſe quieto,
Quis credat per te non licuiſſe mihi,
Et iam, uerna prius, ſenuit poſuitq; nitorem,
Frigore iam tellus languit uſta nouo.
Nec mihi, ut ex iſta contemptrix turba poetæ
Parte ſumus, largas copia fudit opes.

Magnus

Magnus in hoc iter eſt animus pro munere ſumptus
Hoc ego ſum Crœſo ditior atq; Mida.
Nec me uiniferi ſcopuloſa uolumina Rheni,
Nec pluuia ſpirans terruit Auſter aqua:
Inſidias, regio quibus eſt hæc plena, uiarum
An ne etiam Muſæ pertimuiſſe queant?
Sæpe ego per gladios, per tæla inimica, per ignes
Cum Muſis, Phœbo Præſule, tutus eram.
Nunc etiam his terris cum ſæuiat improba peſtis,
Seruauit uatem Chriſtus Apollo ſuum.
Tu modo Germanæ laus unica & ultima famæ
Aſpira uotis, ſi peto iuſta, meis.
Nec fruſtra ueniſſe pati uir maxime debes,
Eſt aliquid laudis forte quod inde petas.
Sed mihi non auro, non eſt Eufratide gemma,
Quo ſit opus de te non aliunde uenit.
Scribimus à cœna ſcribentem frigora cogunt
Appetere adſtantis plumea ſtrata thori.
Cætera ſi dabitur tecum, quæ plura, loquemur
Quæ niſi nos nemo debuit, ipſe feram.

AD IONAM COMMISSA SCRIPTA REPETIT.

Collige quæ dedimus docti tibi carmina Ruſi,
Ad dominum fas eſt iam remeare ſuum.
Iam ſatis urentes tineas pauere, ſituq;
Carmina plus nimio puluerulenta iacent.

Et niſi cum primis Reuchlinia ſcripta remittas,
Vix aliquam credam te coluiſſe fidem.
Namq; quid eſt toties repetita, remittere nondum,
Quæ dedimus paucos inſpicienda dies.
An quia deſinimus ſtudijs iuuenilibus uti,
His me delitijs poſſe carere putas?
Quod te per ſuperos & ſacra ſilentia teſtor,
Per Venerem quæ te non ſinit eſſe tuum.
Redde meos Ruſos, Reuchlinum redde docentem,
Moliri audaci Muſica regna manu.
Noſter idem, ſed non ſæuus Draco, poſcit Iona,
Omnia ridentis carmina redde Croti.
Præterea Hutteni quo nam ſit epiſtola fato
Perdita, uel qua nam nocte ſepulta iacet.
Ne toties pergas certa ſpe fallere amicum,
Innocui uates & ſine fraude ſumus.

AD PETREIVM APERBACCHVM ut dialogos ſcribat.

Qualem docta ſuũ numeris Verona Catullum,
Iactat, & Aufidiam terra Capena Lyrã:
Quales Parthenope iactat Tyrrhena poetas
Alterius ſyluas, alterius tumulos.
Diſperéam niſi te talem tua patria poſsit,
Si pede quo numeri contineantur eas.
Quòd ſi forte uoles filo ueniſſe pedeſtri,
Non alio maior palma futura tibi eſt.

Non te

Non te blanda tui Iouiani fabula uincet,
Non Samozateni friuola probra ſenis. †Luciani.
Ante quoq; ad Stygiam te deſcendiſſe paludem
Vidit in obſcura quælibet umbra domo.
Nunc age ſi pudor eſt Petrei petere infima rerum
Peruia ſcanſuro quis neget aſtra tibi?
Vade age, quid dubitas? animæ ſi in morte loquuntur
Armet uiuentes garrula lingua deos.

IN PRAELECTIONE LIVIANA

Quisqs ades lege, ne lacera, nec diripe lectū
Si quid habes cordis, ſi quid habes fidei.
Publica non debent fieri priuata, nec unquā
In proprios uſus res aliena trahi.
Cur ita? ſunt quædam quæ multos ſcire uelimus,
Non mihi tu ſolus conueniendus eras.
Vt niger aereo ſudans in puluere meſſor,
Iam medijs uerum curſibus urget opus.
Audax ut dubio deprenſus in æquore nauta,
Iam facili cœptum remige ſulcat iter.
Fortis ut inuiſum delatus miles in hoſtem,
Iam rotat audaci tela coacta manu.
Sic ego qui ſubij magni penetralia Liui,
Quid faciam potius quàm mea cœpta ſequar?
Sic iuuat, eſtq; animus, ſeu te tua candide pubes,
Fata trahunt alio, ſeu meliora monent.

Iam nunc inuidia eſt, quis enim neget? illa deorum
Vix ortum, terras deſeruiſſe decus.
Iam tibi certa duæ ducebant fila ſorores,
Cum tibi demiſſum tertia rupit opus.
Herculeis toties iuuenum dea, preſſa lacertis,
Tum primum uiſa eſt indoluiſſe palam.
Tunc immaturo conſumptum funere Coſmam,
Ipſa parens rerum pene erat auſa queri.
Conciliatrices diuæ crudelia queſtæ,
Fata, coronantes depoſuere roſas.
Iam Muſas, quoniam ſpes tam blandita feſellit,
Monte ſub obſcuro delituiſſe ferunt.
Tu quoq; uocalis Cytharæ geſtator Apollo,
Fregiſti irata plectra Lyramq; manu.
Illi namq; choro quantum decus ille futurus
Heu, fieri iuuenem ſi licuiſſet, erat.
Autori ſimilis Phœbo pater arte medendi,
Ferre Machaoniam te docuiſſet opem.
Quodq; ſenex Chiron puero præſtabat Achilli,
Vixiſſes utinam præſtitit ille tibi,
Muſarum uirides patruus Petreius hortos,
Et Ciceroneas explicuiſſet opes,
Is tibi ſponte ſua ſalientia plectra dediſſet,
Seu libeat numeris ludere, ſiue loqui.
Sed fruſtra. Quid enim uanas iterare querelas
Orphea ſublatæ proderit Eurydici?

Ille qui

Ille quidem gelidi latis in uallibus Hemi,
Eurydicen querula conciņit uſq; chely:
Sylua feræq; ſtupent, montes & ſaxa ſequuntur,
Miratus curſum comprimis Hebre tuum.
Non tamen audit atrox deuoti regia Ditis,
Illa ſtat ad cunctas ianua ſurda preces.
Quin igitur fallaci animum lacerare dolore,
Deſinis & luctus diſcis habere modum.
Quin ſubit humanæ ſortis meminiſſe, quòd huius
Vſq; adeo inſtabile eſt conditionis opus.
Nulli uſquam certus uitæ ſtatus omnibus horis,
Fimus & occidimus, naſcimur & morimur,
Falce ſua mors cuncta metit diſcrimine nullo,
Cum ſenibus pueros, cum puerisq; ſenes,
Quid facis inuidiam ſuperis? ſpes nulla reuerti
Quem ſemel in Stygio uexerit amne Charon.
Mortua tam ſtultum eſt deflere cadauera, quàm ſi
Te doleas fieri non potuiſſe deum.
Ergo immaturo quanquam tibi funere raptum,
Ne doleas omni tempore filiolum,
Adde modum lachrymis, ſtultum eſt ſine fine dolere:
Pene erat hoc uita non abeunte mori.
Quin potius noua buſta para ſignaq; ſepulchrum
Quoq; notes, carmen, ſi libet, illud habe,
Natus Aperbacchæ domui noua gloria Coſmas,
Vix ſibi conſpectam deſeruit patriam.

AD LVDOVICVM CHRISTIANVM EPISTOLA.

Vade datam pro me fer epiſtola fida ſalutem,
Illi cui nunquam non placuiſſe potes.
Vade iterum noſtra Ludouicum uoce ſaluta,
Qui graue de ſecta Chriſtide nomen habet.
Et ſi longa uia eſt, non ſit uia longa timori,
Non eſt, ut fuerat, puluerulentus ager.
Nunc gelidi ſæuis conſtant Aquilonibus amnes,
Iam uirides ponit flaccida ſylua comas.
Mutantur ſolitis uiduata coloribus arua,
Vſta pruinoſis noctibus albet humus.
I mea Muſa tamen, ſed non, quæ nuper amabas,
Serta coronata ſpicea fronte geras.
Hoc decuit cum te Thyringia læta foueret,
Nunc potes acceptis frondibus eſſe decens.
Nam quia tranſibis loca ſaltibus obſita, debes
Impexum folijs implicuiſſe caput.
Et quia nota tui Ludouici tecta ſubibis,
Hunc quoq; ne cultum neſciat unde feras.
Sed ſciat è regione ſibi Myſnëidos oræ,
Talia non falſa nuncia miſſa fide.
Dum te triſtis habet dubijs Erphurdia fatis,
Et ſtudij fructum fers Ludouice tui.
Ille tuus tumida uates aſſueſcit in aula,
Ocia mutata ſorte ſuperba pati.

Si quid agat quæris, uiuit, ualet, hoc tamen unum,
Quòd ſolito tecum non licet eſſe, dolet.
Hoc etiam doluit memini cum nuper abiret,
Te dare ſupremum non potuiſſe uale.
Exijt ingratam paucis comitantibus urbem,
Cur non è paucis qui foret unus eras?
Non ſecus indoluit teneri quàm doctor amoris,
Cum Tomon & Scythicam quæreret exul humū
Sæpe relinquendam reſpexit triſtis ad urbem,
Et dixit, quamuis non mereare, uale.
Sed tamen & merito eſt quòd ſuſtu ut illa iacentem,
Sed non ſuſtinuit quem tulit, ergo nocens.
Nam quid legitime ſi natum diues adoptet,
Nolit adoptatum prolis habere loco.
Viue tamen dixit quoniam in te uiximus, atq;
In te dum licuit uiuere dulce fuit.
Sic ait, & lachrymis in uerba cadentibus ibat,
Turbida multiplici grandine ſæuit hyems.
Non magis obſcurus, nec erat nymboſior aër,
Qui te Dardanio iunxit Elyſa uiro.
Ibat ut ignota lacer in regione uiator,
Heu ſine te uiduo turture flebilior.
Quartus ab Oceano proceſſit Lucifer unda,
Ad noua quæſitæ littora uenit aquæ.
Illic ſecura tandem ſtatione quieuit,
Vnde ego ſum uultus miſſa uidere tuos.

Nunc abiiſſe puto, quo me tibi tempore miſit
Norat adhuc abitus tempora nulla ſui.
Nunc ego longa uiæ feci diſpendia, nunc me
Poſtquam miſſa ſui Luna ſecunda uidet.
Verum ubi ſit, quid agat, quibus et cum uiuat amicis,
Si uiuet Muſa liberiore leges.
Hoc tamen adiecit ſibi non ut libera nuper
Ocia, ſed faſtus luxuriamq; coli.
Nunc primum tornata loqui meditataq; uerba
Diſcit, & inſolita flectere lege genu.
Ridet, & ingreſſæ totum ſe accommodat aulæ
Et ſtudia accepto plena fauore colit.
Nobilis obfuſcat uulgares purpura ueſtes,
Ferre tamen Muſas aula ſuperba poteſt.
Has colit, has præfert, & adhuc ueneratur in aula
Diiſ faciant facto candidiore. Vale.

AD LVDOVICVM PLACENTAM MELOSINGVM.

Hanc tibi ſi neſcis mitto Ludouice ſalutem,
Teutonicas auſus ludere primus oues.
Nãq; quòd aſpectu non eſt tibi cognita primo
Cauſſa ſigillatæ ſtigmata frontis erant.
Annulus hanc etenim chartam ſignauit adulter
Quod mihi uobiſcum gemma relicta mea eſt
Si qua liturarum forſan diſpuncta uidebis,
Crimina difficilis noueris eſſe uiæ.

Sæpe

Sæpe ego cum ſummo limarem pumice, dixi
Nunc tibi habenda tui cura decoris erit.
Ibis ad ora uiri Muſarum iudicis, illi
Si potes informis ne uideare caue
Sed tibi nec facies putri eſt pingenda ceruſſa
Caſtas Pieridas non decet iſte color.
Non calamiſtra tuos criſpent nec ſulphura crines
Neglecta poteris pulchrior eſſe coma.
Vnio nec collum, nec tempora contegat aurum
Sit demiſſa tuos ueſtis aduſq; pedes.
Nec nimis emineant teretes in pectore mammæ
Sic Venus Anchiſæ cum peteretur erat.
Non iaceant madidi per eburnea terga capilli
Hoc eſt in caſta uirgine turpe decus.
Nec tibi magna nouæ quærenda tonitrua uocis
Hic ſatis à ſolita ruſticitate places
Hac inſtructa decens potes & formoſa uideri
O requies uatis blanda Thalia tui.
Arguit inceſtum ſpecies laſciua pudorem
Raraq; liberius fœmina culta proba eſt.
Sic ego, ſic fanti Nymphæ ſubriſit, & inquit
Multa tenet mentem ſollicitudo tuam.
Non ego ſum proprij, mihi crede, oblita pudoris
Cultibus ut malim luxuriare nouis
Non adeo extollor, non ſic ſublime tumeſco,
Vt ſim fortunæ non memor ipſa meæ.

Et mea ſimplicitas Meloſingo ſæpe placebat,
Sæpe idem noſtro captus amore fuit.
Sic mea Calliope cecinit, ſic fata quieuit
Me tamen audaces impediunt ſonos
Doctus ut es ſtudijs potes hæc cognoſcere, in iſtis
Quæ ſit, quo conſtet fabula noſtra modo.
Quo uult progreditur laſciua licentia uatum
Corpore non Proteus liberiore fuit.
Hæc & plura olim tecum memorare ſolebam
Propoſiti nunc eſt altera cauſſa mei.
Vt ualeas longos & agas fœliciter annos
Aſpicient animæ numina ſumma tuæ
Hoc ſimul atq; tui ne ſis precor immemor Heßi
Qui tibi quo licuit tempore frater eram.

AD IVSTVM IONAM PEREGRE REVERSVM.

IN patria exacto dum te rediiſſe Decembri
Pars quota iam populi quæ loqueretur erat
Fama meas nunquam iucundior attigit aures
Dum ſextam reficit menſtrua luna rotam.
Dumq; ultro citroq; uagor, conſuetaq; nuper
Luſtra peto, Iona nil minus inuenio.
Vt lateas an forte redis? an fallis amicum?
Et crucias lenta pectora noſtra mora?
Sic poteras abſens etiam rediiſſe uideri
Tu licet & fuſcos incoleres Arabas.

Non

Non fuit Arctoo magis hoc latuiſſe ſub axe
 Frigida qua lento plauſtra Boote ſtupent.
Sic poteras ultra extremos Garamantas & Indos
 Nobiſcum nihilo uiuere & eſſe minus.
Perfide an hoc debes tam fido reddere amico?
 Officium non hoc debuit eſſe tuum.
Non ſat erat nuper furtiuo abiiſſe receſſu
 Ni mihi ſic redeas, ut rediiſſe negem?
Qua tamen accuſere ſubeſt iniuria maior
 Teq; rcum Muſis quando libebit agam.
Iam cauda ferriente nocens Sol attigit aſtrum
 Cum tua deſeruit littora noſtra ratis
Humidus excepit Phœbæia lumina Chiron
 Poſthinc ſemicaprum Pana ſubiſſe liquet.
At Deus ut fluida properat Ganimedis ab urna
 Sub gelidis quintum piſcibus egit iter
Iamq; ouis Actæum peragrauit Colchidos aurum
 Cum ſubit Europæ cornua fulua Proci.
Plena fuit toties: toties uaga Luna renata eſt
 Septima iam Diuæ ſigna rubere uides
Poſt quam nulla mihi quæ poſſit epiſtola uenit
 Dicere de Iona, quem colis Heſſe, uale.
Candidus ex iſta ſaltem mihi parte fuiſſes
 Miſiſſes aliqua ſcripta notata manu
Eſſet quod de te quererer minus, & tua certe
 Quæ nunc pene iacet, ſtaret ut ante, fides

Sed quò quàm uolui me longius euehis? aut quò
Mordaces numeros ebria muſa iacis?
Nil tua fœcundum perturbat inertia Ionam,
Defendi cauſis pluribus ille poteſt
Atq; utinam poſſes, me ſic cogente, probare
Me potius certam non tenuiſſe fidem.
Quod quia non poteris, culpam fateare neceſſe eſt,
Illa uia ad ueniam ſola relicta tibi eſt.
Tu quoq; falſa licet fingas peccata uiciſſim
Argue me cultæ non ſat amicitiæ.

AD EVNDEM.

IAm pater acceptum luſtrarat Februus annum
Idibus antiquo lux erat orta Ioui
Tum quoq;, ſi cœlum uideas, & ſigna requiras
In cœlo coruus crater & anguis erant
Sydera mirabar docto gratiſſima Phœbo
Inq; meo quædam pectore flamma fuit.
Ac ſi magnorum ſenſiſſem numina Diuûm
Phœbæum terris explicuiſſe iubar
Seu quandoq; hominum mens eſt præſaga futuri
Seu facit hoc nullo lumine Diua potens.
Huic animo ſupra iam ſydera ſumma uaganti
Terreno propior uenit ab igne calor.
Nam tua me uanis adhibentem luſibus aurem
Propoſitum non eſt littera paſſa ſequi.

Quæ

Quæ mihi tum meditanti animo diuerſa laborum
Præmia fortuna reddita teſte fuit.
Ite alió miſerorum elegi ſolatia amorum
Ite alió Lyrici carmina noſtra pedes.
Non ego nunc ueſtro Veneres in ſanguine paſcam
Nullus ab hac iterum uite rubebit amor.
Stat mens certa ſequi uanis meliora relictis
Vana pudor uatum numina Phœbus habet
Sicut enim ſtipulæ multó iam ſole peruſtæ
In flammas totæ, ſi quis adurat, eunt.
Sic tua iam calidam ſuccendit epiſtola mentem,
Quæ Muſis credi ſcripta fuiſſe poteſt.
Qua neq; Reginæ Charites, Veneres ue benignæ,
Qua neq; Phœbæus blandior eſſet olor.
Gratulor ergo tuæ bona chariſsime dextræ
Quæ mihi tam pulchro munere dextra fuit.

AD DESYDERIVM ERASMVM ROTERODAMVM, EPISTOLA LOVANII SCRIPTA.

NVnquid ut acceptam relegis uir docte ſalutẽ
Longinquo miſſam credis ab orbe tibi?
Deſine, nam ſubijt diſpendia nulla uiarum
Sydere nec torpet, nec riget uſta gelu.
Aſpice quàm nulla tritæ ſint parte tabellæ
Quàm rudis à calamo littera pene fluat.

Vnde igitur quæris? uel cuius epiſtola uenit?
Vt iam cœpiſti perlege, utrunq; ſcies.
Hic ubi Louanium, te famæ uindice, floret
Quantum non aliquo quælibet ora ſuo.
Heſſus inaudaces tibi mittit Eraſme camœnas,
Qualibus ò utinam dignus es ipſa cani.
Iam quid, & unde legas certus, qd in hoſpitis hæres
Nomine, & eſt nouitas hæc peregrina tibi?
Qua nouitate tamen tibi nil antiquius eſſet
Hunc florem uellem perdere, & eſſe ſenex
Sed tamen ut noris quis, & unde aduenerit Heſſus
Aedita quàm paucis ſint tibi multa uide.
Inclyta ubi aërias Erphurdia deſpicit arces
Thyringa n ueniens Ghera ſaluta. humum.
Inde etenim repetam, properatam utcunq; ſalutem,
Quis tibi, dum meditor, perſera , ipſe tuli
Et ne forte putes quæ nunc legis ædita nuper
Sunt mihi præcipiti carmina facta mora.
Signa recognoſces, fateor doctiſſime Eraſme
Tu mihi iam dudum numinis inſtar eris.
Tantum ego mirabar quæ te ſcripſiſſe uidebam
Scripta ſub æternos certe abitura dies.
Non tamen audebam triuiales mittere uerſus
Maxima te coram cura uidere fuit.
Quod quia non licuit ſperabam poſſe licere
Fata ſed heu uotis ſemper iniqua meis.

Fama

Fama fuit noſtras uenturum te quoq; ad oras
Seruabam in tacito gaudia clauſa ſinu.
Hac me deluſum ſpe deſerit unus & alter,
Nunc eciam in curſu tertius annus erat
Parte ſui fœlix Baſilæa ſuperbit Eraſmo
Inuideo hoc lumen maxime Rhene tibi
Dum propero excepit clamoſa Moguntia triſti
Auſpicio:nam te teſtis abiſſe fuit.
Quid facerem?retrone ferar,patriamq; reuiſam?
Plurimus in patrio limine naſus erat.
Qua licet ire libet,non me nec ſaxa,nec ignis
Ipſaq; triſte minans non prohibebit hyems
Protinus euadam non qua Germania ſolum
Deſinit,& refluo clauditur Oceano
Sed quacunq; aliquid terrarum Phœbus oberrat
Aſpiciam uultus donec Eraſme tuos
Sic mihi da ueniam,furioſa in cœpta ruenti,
Milia ſunt pedibus bis quater acta decem.
Donec anhelantem populoſa Brabantia currum
Iam non manſuetos ſiſtere iuſſit equos
I nunc inueſtes quoſdam curriſſe ſub Indos
I fer ad Iſiacas iſſe Platona domos
Quantum Pythagoræ debetis Gymnoſophiſtæ
Quod pudet hoc auſus dicere pene fui
Nil tibi Apolloni ueneratus debet Iarbas
In phiala quiddam nectare maius erat.

Da mihi te facilem ſuper hoc erit omnia, nec me
Placatos credam plus habuiſſe Deos
Sed quis ut exorem labor eſt? oracula non ſunt,
Si qua fides famæ, Delphica certa magis
Et niſi non referunt animum quæ ſcribis eundem
Te nihil uſquam uno mitius eſſe poteſt.
A quoties cum ſcripta tuæ chariſſima dextræ
Perlegerem mecum non ſatis ipſe fui
Nomina ſunt per te magis illuſtrata meorum:
Hei mihi cur doleo nomen abeſſe meum?
An fuit illa mali grauis inclementia fati?
An patriæ nocuit barbara terra mihi?
Vel quia te nobis ſperabam ſæpe futurum
Si quis habere poteſt ſomnia ſpemq; ſimul
Quicquid id eſt potui leuiter peccaſſe, repenſum
Quod tamen officio nunc grauiore fero.
Liuius extremos fama commouit Iberos
Vt peterent urbem Romule magne tuam
Quem tu non moueas? quod non capiatur Eraſmo
Hoc ſilicem & ferrum pectus habere putem.
In patria conceſſa agere ocia, & eſſe quieto,
Quis credat per te non licuiſſe mihi,
Et iam, uerna prius, ſenuit poſuitq; nitorem,
Frigore iam tellus languit uſta nouo.
Nec mihi, ut ex iſta contemptrix turba poetæ
Parte ſumus, largas copia fudit opes.

Magnus

Magnus in hoc iter eſt animus pro munere ſumptus
Hoc ego ſum Crœſo ditior atq; Mida.
Nec me uiniferi ſcopuloſa uolumina Rheni,
Nec pluuia ſpirans terruit Auſter aqua:
Inſidias, regio quibus eſt hæc plena, uiarum
An ne etiam Muſæ pertimuiſſe queant?
Sæpe ego per gladios, per tæla inimica, per ignes
Cum Muſis, Phœbo Præſule, tutus eram.
Nunc etiam his terris cum ſæuiat improba peſtis,
Seruauit uatem Chriſtus Apollo ſuum.
Tu modo Germanæ laus unica & ultima famæ
Aſpira uotis, ſi peto iuſta, meis.
Nec fruſtra ueniſſe pati uir maxime debes,
Eſt aliquid laudis forte quod inde petas.
Sed mihi non auro, non eſt Eufratide gemma,
Quo ſit opus de te non aliunde uenit.
Scribimus à cœna ſcribentem frigora cogunt
Appetere adſtantis plumea ſtrata thori.
Cætera ſi dabitur tecum, quæ plura, loquemur
Quæ niſi nos nemo debuit, ipſe feram.

AD IONAM COMMISSA SCRIPTA REPETIT.

COllige quæ dedimus docti tibi carmina Ruſi,
Ad dominum fas eſt iam remeare ſuum.
Iam ſatis urentes tineas pauere, ſituq;
Carmina plus nimio pulueruIenta iacent.

G

Non te blanda tui Ioviani fabula uincet,
Non Samozateni friuola probra ſenis.
Ante quoq; ad Stygiam te deſcendiſſe paludem
Vidit in obſcura qua libet umbra domo.
Nunc age ſi pudor eſt Petrei petere infima rerum
Peruia ſcanſuro quis neget aſtra tibi?
Vade age, quid dubitas? animæ ſi in morte loquuntur
Armet uiuentes garrula lingua deos.

IN PRAELECTIONE LIVIANA

QVisqs ades lege, ne lacera, nec diripe lectũ
Si quid habes cordis, ſi quid habes fidei.
Publica non debent fieri priuata, nec unquã
In proprios uſus res aliena trahi.
Cur ita? ſunt quædam quæ multos ſcire uelimus,
Non mihi tu ſolus conueniendus eras.
Vt niger aereo ſudans in puluere meſſor,
Iam medijs uerum curſibus urget opus.
Audax ut dubio deprenſus in æquore nauta,
Iam facili cœptum remige ſulcat iter.
Fortis ut inuiſum delatus miles in hoſtem,
Iam rotat audaci tela coacta manu.
Sic ego qui ſubij magni penetralia Liui,
Quid faciam potius quàm mea cœpta ſequar?
Sic iuuat, eſtq; animus, ſeu te tua candide pubes,
Fata trahunt alio, ſeu meliora monent.

Sed moueant potius quæ ſunt pulcherrima, namq;
Ingenij memorem te decet eſſe tui.
Fallit inutilibus deſumpta laboribus ætas,
Præcipua eſt uirtus optima poſſe ſequi.
Perditur à ſtudijs alienum tempus honeſtis,
Tu ratio ad ſtudium quæ ſit honeſta uide.
Eſt aliquid nouiſſe uiam qua recta petantur,
Quam niſi cognoris, uiuere ſomnus erat.
Fertur ab Oceano quoſdam traxiſſe, potentis
Liuius eloquij dexteritate fluens.
Te mea non moueant etiamſi uerba Maronem,
Si referant uatem Biſtonis ora tuum.
Nec loca ſunt adeunda tibi longinqua, nec ullo
Tempore quam perges puluerulenta uia eſt.
O bona nobiſcum nata & fœlicia ſecla,
Ipſe tuas clamat Liuius ante fores.
Teſtor mundi ignes, oculum Iouis, omnia uellem
Maxima pro noſtræ laude ſubire ſcholæ.
Atq; utinam tandem, ſpes eſt bona, uera uidentes
Ceſſemus quædam qualiacunq; ſequi.
Sed tamen hæc aliâs, nec enim nunc iſta uolebam,
Non illum petijt noſtra ſagitta ſcopum.
Hortor & admoneo ne ſis ceſſator in illis,
Addita quæ faciunt uiuere, ſpreta mori.
Nunc opus in curſu eſt, media nunc feruet arena,
Romana inuictus pugil in hiſtoria.

Eſt operæprecium Romæ ſpectare iuuentam,
Ad florem niti, iam cupere eſſe ſenem:
Diſpeream ſi non impenſam rite locabis,
Si licet impenſam dicere, pene nihil.
Lector abi, quoniam ſatis eſt legiſſe, ualebis
Dexter, & hoc Heſſum deſipuiſſe feres.

AD PETREIVM APERBACCHVM

Moenia ad obſeſſæ mala permutatio Troiæ
Armorum Glauci cum Diomede fuit.
Armis arma tamẽ mutata rependere fas eſt,
Nec preciũ ſemper põderis inſtar habet.
Tu quoq; non precium ſed amici commoda ſpectans,
Exiguum magno merce rependis opus.
Nunc uideor Samij chlamydem poſuiſſe tyranni,
Pro lacera fœlix infula ueſte datur.

AD EVNDEM.

Hac noctu Romam tecum ſum uiſus adiſſe,
Et luſtraſſe oculis omnia uiſa tibi.
Narrabas monumẽta Ducũ, digitisq; notabas
Mirificum tanta quicquid in urbe fuit.
Omnia miranti tecum intrauiſſe putabam,
Tempore quæ longo culta taberna tibi eſt.
Qualia ibi bibimus, Dij qualia uina dediſtis?
Non memini quicquam dulce fuiſſe magis:
Quòd tamen hoc gratum fuit inter ſomnia, grator
Quòd Romam mihi uel ſomnia rettulerint.

AD MARTINVM HVNVM.

CVm gelidus decimam Sol aſpirabit ad umbrā
Sumpturus mecum prandia parca ueni,
Gaudia nam ſuadet magni natalis Ieſu,
Vt nouus hic nobis candidus annus eat.
Hoc tua promittunt nobis data munera, & iſtam
Spem Martine ratam tu facis, ergo ueni.
Sit tibi ſit fœlix, & eat ſine nubibus annus,
Cuius nunc aperis proxime Iane fores.

AD IOANNEM DRACONEM.

TErtia Phœbæos ubi traxerit hora iugales,
Et fuerit noſtra clauſa palæſtra manu.
Balnea, loturi ſqualentia membra, petemus,
Qualia tam caſtos poſſe decere putes.
Tunc comes uenies? quid enim Draco candide nolis?
Candidulos etiam ſæpe lauare iuuat.

AD EVNDEM.

DElitiæ, noſtrumq; decus Draco candide ſi uis
Conuiua ut ueniam prandia lauta para.
Nam q̄ heri cœnā neglexim9, eſſe fatemur
Vix dignum uenia quod patiare nefas.
Quòd ſi nunc etiam bonus aduentârit Ionas,
Haud epulo uellem candidiore frui.

PARTHENIO TRANQVILLO
DALMATAE.

Non

NOn ego Phœbæa uinxi mea tempora lauro,
Non etiam uatis nomine dignus eram.
Hoc tamē ex animo tibi gratulor optime uates
Tam bona quòd facta eſt lubrica diua tibi.
Sed quia, quod ſcribis, non Heßica tecta ſubiſti,
Ex illa nobis parte maligna fuit.
Vel quia ſic Genius uoluit natiuus, ab illo
Quo ſacra Dijs geniti ſydere turba ſumus.
Vel quia non noto uoluiſti illudere amico,
Quod nullo Clarium pectine tangat ebur.
Verum age per commune ſacrum Tranquille Dearū
Quas colis: hic Heſſum ne latuiſſe uoles.
Cras ubi purpureum matuta retexerit orbem,
Da uideam uultus docte poeta tuos.

IN PRAELECTIONE LIVIANA.

VT ferus Auſonias bello quatit Annibal urbes
Vt domat Hiſpanas Scipio uterq; plagas.
Fulmina Trinacriæ Marcellus ut eripit Aetnæ
Atq; ortus aperit Diua Arethuſa tuos.
Præterea ex omni certantes æquore claßes,
Littora ut effuſo ſanguine tota rubent.
Eſt precium præclarum operæ cognoſcere lector,
Omnia quæ magno Liuius ore ſonat.

Deſine mentitæ mirari prælia Troiæ,
Hic eſt Thebani fabula nulla rogi:
Hic mille Aeacidas, mille Hectoras eſſe putabis,
Non aliâs tantis uiribus orbis erat.
Quis pudor eſt totis non hæc ambire medullis,
Queis habet eximius littera ſcripta nihil.

PETREIO

AD tua ducturum comitantes prandia Muſas,
Dum uideo, nullæ quæ ſequerentur erant.
Quærenti cauſam, quæcunq; ſit illa Dearum
Quæ tamen hæc miſero redderet una fuit.
Tu ne deas, quas, te quoq; teſte, Petreius omnes,
Cui uult arbitrio datq; adimitq; ſuo.
Aut igitur ſine me prande uel redde puellas,
Quas mihi te totas ſurripuiſſe dolet.

AD EVNDEM.

BIs tua pulſabam regali limina dextra,
Inſula pulſanti bis tua muta fuit.
Quam male iura regis cõmiſsi credita regni,
Si tam deſerta eſt inſula ſæpe tua:
Ni fortaſſe tuas ſeruet Seruatius ædes,
Iam puto de regno eſt alea iacta tuo.
Interea dulcis precor obliuiſcere Coſmæ,
Accipiunt nullas impia fata preces.

AD MICHAELEM NOSSENVM:

Callide

CAllide turdorum docili lectuſcula cultro
Et philomelæas execuiſſe nates.
Huc ades umbra diē decimæ cũ proferet horæ
Ponet & ingentes muta cathedra minas
Prandia tum noſtræ ponent tibi lauta miniſtræ
Qualia cum Danaë Iuppiter eſſe uolet
Ad quæ cum geminis Aglaia ſororibus iſſet
Cunq; ſuis mater nuda Cupidinibus.
Tam tibi non uiles patinas tam bella paramus
Fercula, tam noſtræ eſt aurea uena gulæ
Pinguibus accedent bona condimenta catinis
Verba, ioci, riſus, ſcommata, probra, ſales
Vina bibes quæcunq; uoles, ſiue illa roganti
Proximus exigua pro ſtipe uendit amor,
Siue ea Thyringi manant de fronde racemi
In nos tota ſuas copia fudit opes.
Huc ades infernæ peſti metuende Michael
Angelicum nunc te pectus habere doce.

AD MARTINVM HVNVM.

VT tibi debemus multo quàm ſoluere poßim
Plura, nec officij eſt gratia parua tui
Sic quia te meritis non poſſum uincere, debes
Ipſe tibi uictor conſtituiſſe modum.
Nam niſi quæ certas habuit uictoria leges
Quàm bona ſæpe fuit tam ſolet eſſe nocens;

Vince tamen, quia ſic nobis erat utile uinci
Gaudentem uinci uincere poſſe leue eſt.
Hos tibi deferimus titulos Martine, quòd olim
Gloria non paruo conſtitit iſta tibi.
I nunc Antheos memora uiciſſe, poëtis
Quando decus uictis Hercule maius habes.

AD EVNDEM.

SI fuit heſterna gratum tibi nocte iocari
Xenophilis hoſpes Regibus Hunc ueni.
Lauta bonus dederat Groningus fercula, uerum
Regia nos dabimus prandia, lauta minus.
Pauca ferunt noſtræ nil præter oluſcula menſæ
Pauca auido ſtomacho ſi potes eſſe, ueni.

Finis Tertij libri
Syluarum

CLARIS- VI-

RO DOMINO IVSTO IONAE PRAEPOSITO VVITTENBERGENSI AMICO

incomparabili ſuo Helius *Eobanus* Heſſus

S. D

PRIORES TRES *ſyluarum mearum libros, optime ac doctiſſime* Iona, *ſingulis amicis nominatim dedicaui, quartum tuo clariſſimo nomini reſeruaui, nō quòd in eo tantum tuū nomen celebretur, ſed quòd primus hic eſt, qui* Lyrica *contineat, quibus te ſemper mirifice delectari ſolitum eſſe non ſum neſcius, cum & in eo genere, ſicut & in eligiaco multa luſeris, hodieq; ludere ſoleas, quoties animum illum uere generoſum à grauioribus curis, quæ tuæ dignitatis ratione nunquam ferè tibi nō ſunt obeundæ, remiſiſti.* Quid *enim eſſe poteſt uno te urbanius? quid ciuilius? quis morum elegantia ornatior? quis ad riſus liberales, & iocos cum dignitate facetos aptior? Cum.n.ab ineunte ferme ætate eiſdē initiati ſtudijs, magna ex parte una uixerimus, qd mirū ſi*

te uix quiſquam nouit, quàm ego melius? Eſt profectò inquis, in Elegia dignitas maior, & naturæ uis amplior, fateor, ſed in iſto genere uel triſtia uel non ſatis pudica deſcribuntur, magna ex parte, neq; enim ſic præfractus ac rigidus eſſe uelim, ut honeſtatem ac grauitatem elegis adimam. Nam Philippus quidem noſter eo genere pſalmos ipſe ſcribit, & ab alijs exigit. In Lyricis uero gaudia, ioci, riſus, ſales, amores, & alia id genus dominantur, non tamē adeo ſola hæc ut ſeria non admittant. Nam ego quidem ut in elegia ab impuritate rerum & uerborum ſemper abeſſe uolui, ſic lyræ iocos & laſciuiam ſæpe grauitate ſententiarum atq; eciam rerum quātum quidem ego potui, temperaui: id quod etiam hoc lib. quarto factum obſeruabis, quem non ideo tibi dedico quia quartus eſt, ſed quia uitæ moribusq; tuis aptiſsimus, nihil enim impuritatis habet admixtum. Nam ſi hic ratio tuæ dignitatis, in qua te tua collocauit eximia uirtus, habenda fuiſſet, non quartus modo ſed omnes hi libri tibi fuerant dedicandi, ſic ut non in frontiſpicio tantum ſed etiam in omnibus alijs libri partibus poneréris, & ut noſtro more iocemur, ſub nullo nō arbore totius huius ſyluæ ſpaciareris. Et ego ſatis ſciebam pro ſummo animi tui candore nihili facturum te quacunq; in parte libri nomen tuum legeretur. Nam & in tertio inter elegias conſpicitur, qd ita? quia nolebā mœſtos

uerſiculos

uerſiculos paulo lætioribus commiſcere, cum alioqui non magnum in collocandis ac ordinandis huius ſyluæ arboribus, delectũ adhibuerim. Nam & quintus qui pauciſsimis exceptis totus Ioachimi eſt ex maxima ſui parte Lyricos continet, quãquam argumenta iſtic ſunt non parum liberiora. Non dubito mi Iona chariſſime quin ſi hos libros legas iucunda tibi ſit futura ſtudiorum noſtrorum ac dulciſsimarum conſuetudinũ recordatio: quod dum facies ſimul cogitabis non omnia imo perexiguam partem eorum quæ ſcripſi in hos libros cogere me potuiſſe, cum innumera eorum & mea ipſius incuria & prauo amicorũ de me iudicio, hoc eſt, nimia meorum auiditate perierint: & ego ſemper ſic fuerim ingenij mei contemptor, ut multorum ne exemplar quidẽ apud me retinuerim, ſed ipſa αὐτόγραφα *in quæ effuderam ſæpenumero, nunquam deſcripta amicis dederim, & erat horũ quoq; haud dubie bona pars peritura, niſi quæ adhuc extabant in multas manus peruenire curauiſſem. Vale mi Iona, & librũ hũc meq; ſimul in patrocinium ſuſcipe. Ex urbe Norica Menſe Martio. Anno M. D. XXXIII.*

HELII EOBANI HESSI SYLVARVM LIBER QVARTVS LYRICORVM ET ALIORUM

rum quorundã promiſcuus ad Philippum Melanth.



PTIME, NAMQVE
negas paſſurum plura, Philippe
Nolis uelis ue noſter omnibus modis.
Quando ita Saxonicum pulchre exercetis ad Albim
In iſta monſtra liberam Tyrannidem,
Quæ Romana parit ſed plus quàm Lerna malorum
Nos hic ſedemus ocioſi & abditi
Non tamen uſq; adeo in tenebris, quin lumine claro
Fieri iſta recte conſpicemur & probe.
Sed tamen ô nimium meliori ſydere natos
Adeſſe de tur optimo ut negotio
Quàm doleo, niſi forte lyræ doluiſſe pudendum eſt?
Qui rebus hiſce tam petendis arcear.
Seu procul obiectum radijs illuminat orbem
Latetue propter inferos Dieſpiter.
Vos mihi præſentes curæ, uos pectoris huius
Vt una ſic amica cogitatio.

Nunc

Nunc pia ueriloqui Martini ſcripta reuoluens
Bonis malisq́;, nam mea refert nihil,
Proloquor, inculcoq́;, nec eſt cui cedere poßim
Martinianæ laudis in certamine.
O quali pietate uirum, quàm uincere dignum
Manente flore uitæ, mille Neſtoras
Nunc tüa, quæ poſſunt credi dictante Minerua
Tuenda iuſſa litteris fidelibus
Nūnc iucunda mei Spalatini cura reducit
Amabilem illius neceßitudinem.
Nunc ſubit inuicti grauitas non improba Phacchi
Fidesq́; certa ſemper uſa teſte ſe
Nunc ego præcipue uobiſcum uiuere uellem
Cum ſic habetis libera iſtic omnia
Friuola pontificis contemnere regna tyranni
Vt audeatis & queatis fortiter
Et merito quis enim rationis lumine fultus
Bonaq́; mente Chriſtianus approbet
Quæ ferus exhauſtum, iam non pater, ille per orbem
Venena ſpargit, & minatur fulmina?
Fulmina molliculum non decuſſura papauer
O nos metu deterritos inutili
Siſte tamen iuſtum Muſa indignata dolorem
Res eſt agenda grandioribus modis,
His age nunc noſtro numeris blandire Philippo
Inter ſedenti muſicos cupidines.

Gratulor Albidibus Venerem ſociaſſe Camœnis
Philippe te, commune & hoc mecum tibi eſt.
Dij precor hunc auctent gratum Muſis Hymenæum
Parens ut eſſe prole te digna queas.

AD IVSTVM IONAM STERILES ESSE MVSAS.

SI quoties laudas mea carmina dulcis Iona,
Feram ſtateras quot dediſſe Cherilo
Narrant Cecropidas, quis Regum ditior alter
Aequauerit me cõpiarum mercibus
Sed tamen hoc fatuis gratum ſolet eſſe poëtis
Quicunq; laudis aura flante paſcimur
Eſurit interea Phœbus frigentq́; Camœnæ
Et inde laudas improbanda carmina.
Eſuriens culicem ſcripſit Maro, Cyrin, & Aetnam
Satur duces ad arma Dardanos uocat
Prælia ranarum cecinit ieiunus Homerus
Troiam repletus & laborem Vlyſſei
Nos quoq; qui ſteriles uacui torquemus Iambos
Heroa quemlibet canemus aurei.
Quid tamen iſta iuuat deſpectæ incommoda Muſæ
Queri, negante ſe Dea uolubili?
Illa quidem ſignis ut aberrat ſemper ab ipſis
Bonis iniqua eſt. æqua ſemper improbis
Nec pudet incertam quoſdam dixiſſe poëtas
Ea nihil cum conſtet eſſe certius.

Nam

Nam ſi non certa eſt, quod adhuc non errat in Heſſo,
Sinitq; talibus premi ludibrijs.
Quem uultu nunquàm uidit ridente, ſed auctis
Videnda terga præbuit laboribus.
Cui Deus ingenium ſæuit mediocre, ſed illud
Fortuna rebus arcet indecentibus.
Nam qui per ſuperos uictura poëmata pangat,
Qui uix labore uiuit improbo ſatis.
Tu tamen hæc laudas, quæ, tanquàm ſomnia, nullo
Nec hoc agentibus fluunt negocio.
Nec laudare tibi ſatis eſt quæ digna uidentur,
Virtus remunerata nulla non tibi eſt.
Magna tuis meritis debetur gratia Iona,
Beate Iona, ſed future ditior.
Hoc tuus ille animi ſpondet uigor altus, & extra
Conuexa mundi iam prouectus limina,
Macte animo terrena nihil meditante, nec ullis
Obnoxio libidinum Sirenibus.
Magna tua nobis ſpes eſt pietate futurum,
Vt arceatur hæc tenax neceßitas.
Quam tamen usq; adeo patienter in omnia paßi
Solamur hiſce cunq; qualibus modis.
Nam niſi ſint quædam miſeris ſolatia Muſis,
Labore pectus hoc malisq; occumberet.

AD VITVM VERLERVM VIRTV*tem inuidiæ obnoxiam eſſe.*

Dvlcis amicitiæ noſtræ comes, unica ueræ
Fidelitatis gloria.
Optima pars uitæ melioris, deniq; uitæ
Beatæ Vitæ candida.
Quem nemo bonus odit, amãt, uenerantur, honorãt,
Quicunq; non ſunt peßimi.
In uiridi nobis nuper ſpacia ntibus umbra,
Propter ſuſurrantes aquas.
Multaq; de ſtudijs conſueto more loquutis,
De Liuido ſermo incidit.
Queſtus eras, memini, quàm te ſine crimine liuor
Morſu flagellet improbo.
Ne doleas, uirtus hæc præmia ſola meretur
Apud furentem Zoilum.
Vidit & indoluit ſummis te laudibus auctum,
Ille ille cunq; quisquis eſt.
Doctus es, & facilis floret tibi gratia linguæ,
Quis Liuor hoc tantus ferat?
Comis & urbanus cum ſis, conſtansq; piusq;,
Venas miſer depaſcitur.
Per fora, per plateas, per compita, templa, uiasq;
Laudaris, hoc liuor dolet.
Deniq; cuncta tibi ad uotum ſuccedere ſpectans,
Penè euiratus concidit.
Nil miſerabilius rebus mortalibus ortum eſt,
Sic ſemper ardente inuido.

Ardet

Ardet & occulto miſeras calet igne medullas,
Cupido non tantum furit.
Sæpe graues miſero flammæ minuuntur amanti,
Hic igne nunquam liber eſt.
Non maiora aliquis dederit tormenta Perillus,
Non impius Mezentius.
Et tantum, res mira, ſibi nocet & duntaxat
Se carnifex euiſcerat.
Aſpice quàm toruo diſtorquet lumina uultu,
Vt fictiles laruæ ſolent.
Quales ire ferunt furias nocturna mouentes
Lethargicis inſomnia.
Aſpectum metuit uitam ſine crimine agentis,
Vt glauca ſolem noctua.
Talem, crede mihi, cum tu patiare ferasq;
Sum paſſus ipſe & nunc fero
Quòd ſi perſtiterint non deſinere eſſe moleſti,
Vtrumq; nominabimus.
Ardeat interea quantum uolet, ardeat, & ſe
Liuore inani torqueat.
Nos alimenta igni dabimus uirtutibus iſtis,
Nos gratia quarum fugit.
Cunq; leget, ſi forte leget, quas ſcribimus unquam
Sacro puellas pectine.
Aſpiciet noſtræ fidei documenta uiciſsim,
Suſpendet & ſe forſitan.

Tu prior occurres illi ſtomachumq́; mouebis,
Præliminari pagina.
Huc quoq́; reſpiciet nec enim legit omnia liuor,
Vitumq́; rurſus perleget.
Eheu quos gemitus dabis hic mœſtiſsime Liuor,
Tam firmo amore territus.
Quin age ne garri contra,neu perfide latres,
Ni perditum iri te uoles.
At tu quicunq́; es lector ſine labe futurus,
Ignoſce Vito ac Helio.
Eſt opus audaci muſcas arcere flagello,
Ne ſæpe pungant libere.
Irrequietum animal roſtro mordente timendum,
Faceſsat in rem peſsimam.
At tu noſtrorum ſtudij uitæq́; ſodalis,
Quo uix magis quicquàm placet.
Ne doleas ſi te malus inſectatur,& audet
Liuore dignum credere.
Cauſſa tua eſt uirtus,nunquam caret illa malignis
Qui detrahant oſoribus.
Quin age deride,cœptoq́; inſiſte labori,
Codro crepabunt ilia.

AD IOANNEM LANGVM ER PHVRDIANVM VT SVB VERNVM TEMPVS ANIMVM REmittat à ſeuerioribus ſtudijs.

Iam pu

Iam uer amœnum dotibus aureis
Informat annum, iam uiridi coma
Pubeſcit orbis, iam renidet
Omnis ager meliore uultu.
Natura rebus ſpirat & influit,
Vis gratiarum luxuriantium:
Natiua ridentes camœnas
Fronde Venus uiridi coronat.
Vides ut omnis germinet arbutus,
Decus reſumat ſylua, nec areant
Flores, & aruales puellæ
Serta legant, auiumq; dulci
Percuſſus aer murmure conſonet
Concordia rerum uariantium:
Hinc riuus agnatus ſuſurro
Auribus Aonidum placenti
Salutat herbas, hinc uirides aquas
Opacat arbor, parte alia uiret,
Gratum uel intonſo ſedile
Pieridum & citharæ magiſtro:
Potes ſub iſtas orbis amabiles
Latere dotes, ſemper & anxijs
Curis potentum litterarum
Sollicitam cruciare mentem?
Gaudet remiſſis Muſa laboribus,
Nec ſemper idem eſt impetus omnium,

Nec debet eſſe omnes per artes,
Grata quies ſolet eſſe magnis.
Alterna rebus, Lange decus meum,
Decus bonorum deſere triſtium
Fomenta curarum labores
Si tibi nec graue nec moleſtum eſt,
Deſcende nobis hic tibi dulcium
Sodalium liberrima copia,
Riſusq; grati non deerunt,
Tempora ne periiſſe furtim
Sero queramur, non redeunt enim
Quæcunq; labens abſtulit hora, nec
Noſtræ quod abſcedit iuuentæ,
Reſtituet ueniens ſenectus.

AD TEMONIVM DOLET QVOD *in Septentrione uiuat.*

A Rcton remotus ſub gelidum procul,
Qua dura ſeptem terra trionibus,
Subiecta piſcoſos Boruſſos,
Terret Hyperboreis pruinis.
Huc huc remotus qua miſerabilem
Vterq; uitam, quod ſtudijs uacet
Pingui uoluptantes in aula
Viuimus, heu pudor eſt fateri.
Huc huc remoto quid mihi litteras
Laudas beatas? quid ſtudium refers,

Doloq;

Doloq; tentas efficaci,
Degenerem ſtimulare mentem?
Iam priſca ceßit, iam iacet & ſitu
Virtus, & altis fracta doloribus,
Vix illius quicquam relictum eſt,
Heßiacæ generoſitatis.
Veni nouenas cum puer ad Deas
Aetate uix dum pubere, tum mihi
Radice ſuccreuit benigna,
Quæ modo ſpes miſerum fefellit.
Si quando doctos audieram uiros,
Famaq; dignum quicquid erat bona,
Ardore ſublimi ferebar,
Raptus, ut exanimata Phœbas.
Tu nunc eodem lenta cupidine
Quid eſſe credis pectora? quid mihi.
Regni magiſtratus Latini,
Quem nihil iſta mouent, recenſes?
Quas docta iactet Felſina litteras,
Vt illa laudes uicerit Atticas,
Regnante deducis Lieo,
Garrulus immodico phalerno:
Cur non ſeuero ſobrius ocio,
Ad præſidentes hoc agis arbitros?
Ieiuna mens conſulta rerum eſt,
Nox ſine iudicio eſt merumq;.

Cauſam notaui, dum calet & ſibi
Coniuncta mens eſt, poſſe trahi putas
Quocunq; facunda diſertus,
Mellifluaq; uoles loquela.
Sic eſt, amorem ſentio feruidum,
Fas ſit fateri Palladis Italæ,
Iam quicquid eſt uitæ peractum,
Pœnitet, & ueteris negoci.
Quis me citatis impetus Aphricis,
Quæ miſta ſæuis uis Aquilonibus,
Hinc tollet ad gentem Latinam,
Qua ſtipico meret ære Pallas?
Non diues auro, non Tyrio nitens
Superbus oſtro, quid faciam precor
Inueſtis & pauper poëta
Oro canam ſtomacho ciente?
Sed quis canenti propulerit famem?
Verſus ne uates eſſe queam meos,
O ſecla priſcis duriora,
Eſuriet modo pauper Orpheus.
Quid reſtet ergo conſule ſi potes,
Quo tam beato ſydere perfruar,
Quod Sarmatis Heſſum relictis,
Felſineos ferat ad penates.

NON SEMPER CVRIS AC LABO*ribus inſiſtendum.*

Quisquis

Q Viſquis æterno uiolenta curſu
Ocia exercet, requiemq́; nullam
Rebus admiſcet, nimia neceſſe eſt
Mole grauari.
Sicut arentes nimio calore
Solis æſtiui iuuat imber agros
Sæpe tempeſtiua graues leuat re-
miſsio curas
Vt nec æternum uigilare quiſquam
Nec poteſt dormire, ſed hæc uiciſsim:
Sic ſuos cauta ſapiens labores
Temperat arte
Quicquid alterna requie carebit
Haud diu firmum poterit manere
Hæc nouat uires, parat ægra iuſto
Membra labori
Feſſus audacem iuuenis palæſtram
Linquit interdum repetitq́; rector,
Sæpe mutatur mare, nulla ſemper
Nauis in alto eſt
Ecce nunc plectro citharam canoro
Pulſat, & raptam queritur puellam:
Arua nunc magnæ ſpacioſa Troiæ
Luſtrat Achilles
Nunc bonis charos epulis amicos
Accipit, nunc merce rogata multa

Arma detrectat, fera nunc in hoſtem
  Bella capeßit
Ille mõſtrorum domitor potentem
Fertur interdum poſuiſſe clauam
Et ſub inuicto tenuiſſe mollem
  Pollice fuſum
Cautus errantem tenuit phaſelum
Nec fuit ſemper ſapiens Vlyſſes.
Solus & ſemper ſapit ille magni
  Conditor orbis.
Nos decet quandoq; uacare curis
Et parum ſtultos fieri, & remiſſas
Ingenii uires recreare, & ægri
  Corporis artus.
Ille magnarum grauis ordo rerum
Illa uis cœli ſuperûmq; uirtus
Res agit noſtras, hominesq; certa
  Lege gubernat.
Nemo uim fatis uolucriq; cœlo
Intulit, quamuis Deus illa noſtris
Temporat motus precibus, uetatq́;
  Perdere terras.
Nemo præſcriptum ſibi tranſiliuit
Cœlitus finem, numerumq́; uitæ
Quicquid hic infra eſt ubicunq; rerum
  Pendet ab aſtris.

AD IONAM IN HOSTES STVDIORVM.

Ona bonorum gloria nominum
Decusq́; noſtrum, cui Deus obtulit
Florem iuuentæ poßidentis
Omnia quæ faciant beatum.
idi & relegi qualia ſcripſeris
Linguæ Latinæ quàm doleas uicem
Sic heu petitæ barbarorum
Morſibus, inuidia, ueneno.
Cladem ruinam non ſanabilem
Vlloq; uinci milite neſciam
Amice deploras fideli
Pectore conquererisq́; iuſte
Vt ille rapta coniuge Thracius
Lyræ magiſter flebilibus modis
Fruſtra recantatos amores
Dite preces fugiente luxit
Hæc certa lex & dura neceßitas
Quamuis iniqua eſt, ſed tamen hoc habet
Vt peßimi ſemper bonorum
Nominibus ſtudeant nocere.
An forte neſcis hanc miſerabilem
Cladem bonorum? nunquid & antea
Expertus inſanum furorem
Prodigia iſta cruenta rides?

Quando ſibi ipſis carnificina ſunt
Se præter ipſos non aliquem premunt
Ceu plena flammarum procellis
Pallada Veſuuij uorago
Aut Aetna triſtis regia fulminum
Ipſam ſuis ſe conficit ignibus
Quam nullus extinguat refuſo
Iuppiter Oceano per orbem.
Sinamus iſtos deſipere & ſuis
Perire fatis, nos fatuas aues
Linguas mouentes rideamus
Progeniti meliore fato.

AD CHRISTOPHORVM HACVM HERICHVNTIVM POETAM Lyricum.

AT te Deorum munere cœlitum
Plenum potenti pectora ſpiritu
Tandem mihi placata noſtris
Sydera conſtituere terris.
Cognate M[illegible]ſis quisquis, haud enim
Te, ſcripta præter carmina, nouimus
Dignus Ioui cantare, plectro
Tangis ebur lyricum ſuaui.
O prima terræ laus Herichuntiæ
Tam gratioſo dic ubi pectine
Prodiſſe credam, dic per omnes

Te ſua

Te ſuperos precor o amice.
[..]a matre Muſa natus Apollini
Reddis uetuſti pectus, & os Lini?
An quintus ex pauone prodis
Quem Samius docuit magiſter?
[C]erte per alti te iuga Lybethri
Duxere Muſæ ſacraq; tempora
Cinxere laurenti corona
Orphea quæ decuiſſe poſſet.
Quem non moueret tanta ſonoritas.
Et uis amœni carminis, & uigor
Siue ille Getulos ferina
Duricie ſuperet leones?
Siue inquieta ſæuior Adria
Et ſaxa uincat robore pectoris
Saltabit ut Bacchæ furentes
Hace tuo ſaliente plectro
Docta notatum carmen arundine
Miſſumq; legimus, & tibi
Gratamur, & fauſtos rogamus
Viue dies memorande uates

AD EVNDEM RESPONSIO.

NEc tu crediderис poſcere mutuum
Nec me non aliquo iudicio tuas
Laudes ad Lyricam dicere barbiton
Virtus laude nitet ſua.

Me ſummum grauido tollat in aëra
Verſu fama mori neſcia, nec meos
Liuor poſt cineres ipſe quieuerit
Virtute inuidia eſt comes.
O qui me ſuperis miſceat, aut parem
Cœlo ſemideis præferat omnibus
Vnus Meonides non ſatis eſt mihi
Virtus ſe, quoq; maior eſt.
Mulos alterutrum quis ſcabere impedit
Infœcundum animal? deſine, talibus
Muſas opprobrijs nemo notauerit
Virtus mens ſibi conſcia eſt.
Ad te laude noua laus manet amplior
Si quod uelle canis, laudi operam dabis
Atq; hoc fata modo fugeris improba
Virtus morte caret, Vale.

AD EVRICIVM CORDVM INVITAT ad deambulationem.

DVm te quietum ignobile ocium iuuat
Muſæq; nunc primum graues
Vmbraq; forte languidus domeſtica
Somnum repugnantem uocas
Me prata riuis undecunq; lucidis
Potata, & aruorum ſitus.
Amabilesq; ueris & Fauonij

Nouum ſpirantis gratiæ
Quare ó amice Corde, ſi libet, ueni
Viſure mecum ſoſpitem
Gliſcentis auram ueris, & nouum decus,
Ciere quod poſſit tibi
Somni fugacis inſuaue poculum
Plus quàm diurnæ plumulæ.

AD EVNDEM.

SI te nocturna iuuit hora Corde mi
Quid eſt quòd inde dormias.
Veni petamus ut fluenta lucida
Rurisq́; delectamina
Quod ſi Liëo mœſtus heſterno iaces
Nil ſanat exedra magis.

AD IOANNEM RHAGIVM AESTIcampianum

HEſterna Rhagi prandia ſi uelim,
Breui apparatu conſtiterint licet,
Mutare cum menſis Deorum
Incelebri lateam ſub æuo.
O cincte lauro tempora, uirgine
Virtute fœlix inſuperabili
Quò pergis hinc? quò te reducis
Vultibus heu procul ex amicis.
Diem uel unum plus nimio fuit
Manere tecum? quo fugis impetu

Tanquam citato, uix decebat
Sic Lapithas fugere efferatos.
Sed ordo rerum ſic iubet improbus
Non eſſe firmum quod placuit diu:
Contra, quod odimus manere
Ceu glutino remorante fixum.
Fortuna fruſtra nos tamen occcupat
Licet ſub Arcton deferat ultimam
Non te mihi celabit unquam
Pectore non trahet ex amico
Vt ora præſens non uideam tua,
Mentem uidebo, mente ero proximus,
Mens quolibet tuto uagatur
Legibus impedita nullis

IN PROFESSIONE CHRISTIANArum Heroidum.

PHœbus Auſtralem fugiens ad axem
Iamq; demerſas aditurus arces,
Nuper ardentis ſinuoſa linquit
Brachia cancri.
Languet æſtiui ſpecies decoris:
Semiconciſum poſitura cultum
Veſtibus uernis ſpoliat recedens
Gratia ſyluas.
Ne tamen totum poſuiſſe credas
Quicquid eſt uſquam melioris anni

Temporis

Temporis dudum uiden, ut peracti,
Meſsis in herba eſt?
Ver nouum quicquid ueniens recluſit,
Quicquid æſtiui peperere ſoles,
Reddit autumno ueniente pleno
Copia cornu.
Corbibus plenis Cererem colonus,
Congerit, pomis grauidæ laborant
Arbores, pendent uirides ab alto
Palmite botri.
Tam bonum ſuadet meliora tempus,
Queis niues cedant hyemis futuræ,
Condere, & nuper ſubiti laboris,
Carpere fructus.
Nos quoq; à rebus ſimilem trahentes,
Ordinem fas eſt generoſa pubes,
Rite mutatis ſtudijs benignas,
Subdere Muſas.
Hactenus meſsis Ciceronianæ
Legimus ſpicas, ſpacioſa paſsim
Arua luſtrantes precium laboris
Dulce tenemus.
Ecce nunc blande, pia turba, Muſæ
Virgines caſtæ, teretes puellæ,
Offerunt ſeſe uenientibusq;
Mollia rident.

Lector exaudi pie lector audi,
Quis uetat? quis te prohibet? quis obſtat
Dulce Muſarum ſubijſſe dextro
Sydere limen?
Virgines quando tibi tam pudicas,
Atq; tam ſancta pietate fultas
Scribimus, uix ut ueterum nouas He-
roidas æquent.

AD VALENTINVM TYPELIVM
ne aduerſis ſuccumbat.

NE forte credas dimidium mei
Curas inertes inter & improbas,
Obliuionem ferre de te
Forte meam potuiſſe Muſam.
Chartas reſumit nuper inutiles,
Et pauca, quamuis non lyrico ſolet
Plectro, ſed alterno ſonare,
Carmina uix properata mittit.
Ecquid beatis ædite gratijs,
Diuis Typeli chare fauentibus,
Curas & inſanos labores,
Non animo pateris quieto?
Mœſtus decorum conteris ocium,
Doles peractum non reuocabile,
Sic ſic perit uernans iuuenta,
Ante diem ſubit heu ſenectus.
Curæ frequentes & labor & dolor,

Corpus perurunt, ut noua Sirius
Exhaurit implacatus arua,
Procyon ut grauidas ariſtas.
Tu uero noctes atq; dies graui
Conſumis æſtu pectoris anxij,
Tanquàm dolor prodeſſe poßit,
Et miſeram releuare ſortem,
Quanquàm per omnes te ſuperos precor,
Qua ſorte preſſus? quàm miſerabili?
Poßis ut accuſare recte,
Et merito grauiter dolere.
Sicut paluſtrem flectat arundinem,
Quantumlibet uis parua Fauonij,
Pinus reſiſtit fortiores
Deſpiciens Cerealis Euros,
Sic tu minacem labilis impetum
Perferre ſortis non potes, & graui
Plangore fortunam laceßis,
Tale nihil prope te merentem;
Nunc læta ridet, nunc fugit aſpera,
Verſat, reuerſat cuncta potens hera.
Nulli diu conſtans amica,
Orbe ſuper uolucri rotatas.
Sic uniuerſæ molis imaginem
Rerumq; uultus exprimit omnium:
Nunc fulminum uis alta ſæuit.

Nunc placidi rediere ſoles.
Iam nix in altis candida rupibus,
Iam uernat ima ualle uirens roſa,
Iam frigus eſt algente bruma,
Iam rapido calet annus æſtu.
Nec ſemper ætas una hominum manet,
Nec ſemper unus rebus in omnibus
Splendor, ſtatus, natura, uultus;
Cuncta uicem uariant per orbem.
Ergo querelis pone modum tuis,
Effœminatum pone animum precor,
Et te recognoſcens memento
Eſſe uirum, uir ut eſſe poßis.
Sic te per iſtos candida turbines,
Fortuna ſpectans proſperet, & locet
Inter beatos quos amauit,
Sponte dolens dolet impudenter.

CELEBRAT NATALEM VERGILII

Qvisquis Octobres ueneraris Idus,
Eſſe naſcenti celebres Maroni
Noueris, nec te fugitiua fallant
Tempora lector.
Iduum magni colimus Maronis,
Luce natalem, bona uerba, quæſo
Lux bona affulſit, procul hinc profanum
Vulgus abſto.

State

State præcincti iuuenes coronis,
Laureis frontem decorate ſertis,
Et choros circum ſacra, cum nouenis
Ducite nymphis.
Veſter hic magno memorandus orbi,
Naſcitur uates, celebriſq; uitæ
Spiritus haurit, date plena iuſsis
Pocula dextris.
Quiſquis eſt Muſis adeo malignus,
Vt quod ignorat prohibere tentet,
Abſit, & Muſis odioſa ſolus,
Ocia ducat.
Vos decet magnum celebrare uatem,
Nobilis primum ſtudij parentem,
Optimus quem quiſq; colit, ſed omnis
Peßimus odit.

INVITAT AMICOS AD LAETICIam liberioris conuiuij.

CVræ tenaces, & nimis anxiæ,
Valete tandem ſollicitudines,
Cras feſta Baccho ſacra amici,
Læticiæ domino paramus.
Adeſte uernis tempora floribus,
Circumligati, nectaream comæ
Spirent odorem, nunc licebit
Quicquid erit libitum ſodales,

Aſſueta noſtris Cynthia montibus,
Ceruam uolanti fixit arundine,
Nobiſq; commiſit ferendam,
Delicijs nemorum puellis.
Regina Amorum Cypris amabili,
Stupenda uultu uenit, & improbum
Telo puellum non inerti,
Neſcio quid monuiſſe uiſa eſt.
Heu quantus illum feruor & impetus?
Quæ flamma? quæ uis impatientiæ
Euiſcerabit, quem ſagittis
Ille ſuis peraſſequetur?
Cauete amici, ſub ſpecie boni
Miſcet uenenum, pectora fortium
Furtim fefellit multa, doctus
Inſidias ſtruere efficaces.
Vos forma & ætas, & iuuenis decor,
Aptos iocoſis fecit amoribus,
Vos Gratiæ laſciuientes,
Conciliant Veneri ſuperbæ,
Cauete amici mobile proxima
Telum é feneſtra librat amor, neq;
Retractat exertum pharetra,
Sed iacit & ferit imparatos.
Io Lięum nunc potius patrem
Cantemus inter pocula, concinne

Vinum

Vinum coronantes miniſtri,
Quale puer Phrygius tonanti.
Lætemur eya, triſtia ſint procul
Frontis ſeueræ nubila, deperit
Quicquid uoluptati negatur:
Viuere triſtitia ſine, uita eſt.

IOANNI OSTHENIO EQVITI POMERANO

DAulias uerno philomela cantu,
Quàm ſonis conſors paribus laceßit,
Sæpe uocali fugat impotentem,
Gutture uitam.
Coniugem turtur uiduata plorans,
Surculo nunquam ſedet in uirenti,
Voce reſpondet tamen hæc amanti
Sæpe palumbo.
Proximum rauco canit ore Phœbum,
Nuncius lucis, repetitq́; crebris
Vocibus carmen reſonum tenentis
Proxima Galli.
Obticet nunquam fluuialis anſer,
Audiens uocem ſocij canoram
Cominus, quem nec pudet indecoro
Clangere roſtro.
Alites priſci Palamedis audi,
Arduum certo numero uolantes,
Paruus alludit quibus in mariniſ

Vipio ſtagnis.
Voce clamoſa gemebunda Coccyx
Frondeum complet nemus, & ueretur,
Ne ſuas forſan aliena uincant,
Carmina uoces.
Quadrupes notis etiam reſultat
Vocibus, tauros uideas ſalaces,
Lata mugitu reſonare circum
Paſcua rauco.
Omne reſponſis animal ſuetis,
Gaudet, & contra reſonat, nec unquam
Sponte muteſcit cupideq; uoces
Audit amicas.
Dulcis Oſtheni nec auis, nec ipſe
Quadrupes, uerum decus & uoluptas,
Spiritus ſacro Clarios mouentis
Numine uates.
Cur nihil noſtris ſolita Camœnis,
Voce reſpondes animoſe uates,
Heu mihi mutæ merito uocande,
Rana Seriphi.

AD GENEROSVM HERMANNVM COmitem à *Noua Aquila commendat amicum.*

PRinceps ab alto ſanguine nobilis,
Hermanne gentis laus & honor tuæ,
Rebusq; fortunæ beatæ,

Clarior

Clarior ingenuas per artes
Quem fama tantis laudibus euehit
Quantis uel æquum ſemideos fuit
Vixiſſe, nec noſtræ tacebunt
Pierides, niſi te pudebit.
Splendore motus nominis inclyti
Te non inerti carmine dicere
Si forte fauiſſent uolebam
Nunc mihi difficiles Camœnæ.
Verum quòd egi ſæpe negocij
Reiecit horam ſemper in ultimam
Occaſionis aucupatæ
Fruſtra animo cupiente caſus:
Donec medendi munere nobiles
Thermas petentem, quo neq; doctior
Nec charior mi contigiſſet
His licitum eſt oneraſſe nugis.
Nugis Petreium ſed melioribus
Dignum ferendis, cui ſua gratiæ
Laſciuientes contulerunt
Et faciles ſua dona Muſæ
Nunc te Deorum cura fauentium
Hermanne per te ſuperos precor
Hac laude credas eſſe dignum
Quem tibi non temere probatum
Commendat Heſſus non minimus tuæ

Solatus inſanum furorem
Imperium Veneris retrectans
Decent canentem cum cithara fides
Decent coronæ ſertaq́; laureæ
Decent puellares querelæ
Heu nimium Veneri placentes
Iam te ſub altis carmine rupibus
Triſti querentem nunc bene nunc male
Cupidinem ueſtris fauentem
Mare Dea ſtatuente furtis.
Stupent latentes in latebris feræ
Sicut potentem cantibus Orphea
Lupiq́; ſyluestres, & urſæ
Auribus attonitis morantur.
Si fata te non inuida prouehent
In longa uitæ tempora, quis feret
Porro futuri ſpiritus uim
Maior enim ſuperabit, æui.
Nunc illud alto ſemen ab æthere
Ne uirulentis obrue luxibus
Mens fluctibus demerſa nullis
Maxima fortibus eſt uoluptas.

AD RECTA STVDIA ADHORTA-
tio, Senarij Iam.

QVo uana tandem mellium dicta aurium?
Quid uſq; nugas tam probare rancidas?

LEctor ſi uacat, & cupis uidere
Quæ ſit iuridicæ profeßionis
Virtus, regula, meta, quæ ſacrarum
Legum præmia, iudicum doloſas
Falſorum cathedras, iniquitates,
Fraudes, pragmata peſtilentiarum
Vno tanq; breui damus libello,
Vt totum una anima haurias legendo.

DE MARTE ET VENERE AMANTIBVS.

QVæ per iniectas pueri ſagittas
Perdidit multos, genitrix amorum
Se quoq; inuicto pueri potentis
Perdidit arcu
Quid puer ſæuis generoſe? parce,
Vulneras matrem, quibus hanc petiſti
Rectius mittes in Adonicidam
Spicula Martem
Sed tuo fixus prius ille telo
Armaq; & uultus poſuit minaces
Et tuum ſupplex tibi factus uni
Numen adorat.
Nuper armorum Deus ille inermis
Horret audaces pueri ſagittas,
Heu in irata genitrice quanto
Saucius ictu.

Dure Mars uultus ubi nunc ſuperbi?
Arma quid proſunt? trahe quicquid uſquam eſt
Virium, ſi fors dominam potentem
Vincere poßis
Stabis imbelli ſimilis puellæ
Ipſa præſcribit tibi iuſſa uictrix
Diua quæ totum moderatur iſtis
Legibus orbem.

AD MICHAELEM NOSSENVM.

DVm tu lauta tuis conuiuis prandia ponis
Pacis miniſter Angele.
Nos quoq; lauta minꝰ, ſed nõ peiora, ſed ipſis
Diuis placitura prandia.
Prandia formoſis celebrauimus aucta puellis
O Iuppiter quæ qualia
Sed quia tu poteras ſine Regibus eſſe Michaël
Iratis parce Regibus.

AD EVNDEM.

QVod pro ſcommatibus iocos remittis
Cultos pro rudibusq; frigidisq;
Pro tam uilibus utiles, facetos,
Pro uanis leuibusq; ponderoſos:
Hoc quod te decuit facis Michaël
Quod noſtræ potuit decere leges
Conſuetudinis, hic fidele pectus
Hic agnoſcimus, aureosq; mores

Qui charum mihi te meisq; Muſis
Fecerunt, faciuntq; ſed quid hoc eſt
Quod Muſis ais excidiſſe noſtris?
Tanquam ſcilicet exeidiſſe poßint
Quæ uinclis adamantinis ligârunt
Noſtra in pectora perpetes camœnæ:
Quare ne dubites amice noſter
Conſtantes in amore nos manemus.

AD PETREIVM APERBACCHVM
Iocus.

LOturo lutulenta per diurnos
Soles corpora puluereḿq; fœda
Sudorem cito fortiterq; agentis
Centum Theriacæ recoctionis
Drachmas mittere ne graueris Heſſo;
Puræ, nobilis, optimæ, probatæ,
Qualem cautus habere Mythridates
Contra toxica lenta conſuëuit.
Quo facto ut uenias ſimul lauatum
Dux te per medicas rogamus artes
Per numen recubantis Aeſculapi
Vicini prope uortices Hieræ
Quos Aurelia templa conſpicantur.

AD EVNDEM IOCVS

SI recte tibi creditam gubernas
Regni nobilis inſulam, facisq;

Regi munera Satrapæ fidelis:
Si non ſtulticiæ beata regna,
Et Regem Ioue glorioſiorem
Spernis, nec ſapientiæ tyrannos,
Graſſari ſinis in tuos colonos:
Si uera eſt tibi cura Morionum,
Quos Encomia nulla, nec poëtæ
Vlli pro meritis referre poſſunt:
Nunquam deniq; ſi cupis uideri,
De quadam ſapientiæ farina
Ne gratas hodie ſequare Nymphas
Nec paßim Veneres libidinantes
Vt cum tempus erit uenire poßis
Ad Regem tibi debita imperantem
Pro re dicere publica uolentem
Communis ditionis inſularum,
Terrarum, omnigenum prouinciarum,
Quas toto tot in orbe poßidemus
Regnum cum ſuperis idem tenentes
Mandamus tibi glorioſe ductor,
Stultorum, & generis noui repertor
O donande potentiore ſceptro.

AD IONAM CVPIT AVDIRE
[illegible] noua.

LInguanobilis, ore fulminator,
Cui mentem genius dedit beatam.

Dignum

Dignum cœlo animum parente, quis te
Fortunæ modus interim rotauit,
Pulchri mœnia donec Iſenachi,
Orator colis, Heßiamq; noſtram
Iſti pene uiragini Camillæ
Ereptam cupis, arte, iure, lingua,
Dic quæ nam noua? quæ ſtrepunt in aula
Regum nomina? bella, qui tumultus
Noſtris urbibus imminent? quid audet
Extorris patria manus Sueui?
Lugentes Aquilas quis excitabit?
Quo uiuunt Zephyro beata nuper
Galli lilia? quas Iberus undas
Quas turbas uomit? unde lilieto
Sub uer ſæuit hyems? futurus an ſit
Cæſar Carolus? an ne Ferdinandus:
Quæ μώρων modo copiæ Tyranno
Cudunt exitium? fauete Diui
Romanis Aquilis & impotentes,
Roma pellite, ferte ſanguiſugas,
Qui noſtrum penitus bibunt cruorem,
Epotos nebulis replent & aura
Et bullas iaciunt inaniores,
Ipſis quas mare ſudat æſtuoſum
Bullas, plumbea uerba, monſtra, nugas,
Quis credat precor improbis Cynedis?

Piſcatoribus amnium aureorum?
Tende retia Petre tende naſſam,
Expiſcare tui maris uenena,
Hydros, noxia monſtra, ſcorpiones.
At tu chare Deisq́; gratijsq́;
Diſertiſsime patriæ nepotum,
Tandem te mihi redde, quid moraris,
Vni te mihi reddidiſſe? tandem
Heſſo non tamen, omnibus reuerſum
Quos tota tot in urbe delicatis
Ardes ignibus. O beate Iona
Quin tu deſeris iſta ſumma, & has te
In ualles iacis? aut iubes uenire,
Quem ſi non habeas habere uelles,
Quo non uerior alter eſt, amicum.

AD PETREIVM.

QVòd ſi balnea nulla te morantur,
Curata cute ſi uales, uel omni
Angue lucidior uires iuuenta.
Si conſtas tibi mentis ingeniq́;
Statu, robore, dote, flore, fructu:
Heus charum caput ô beate Petrei,
Ad nos cum decimæ tenebit umbræ
Metam ſol uagus, ut uelis uenire
Per Muſas, per Apollinem, per omnes
Oramus Veneresq́; Gratiasq́;

Per te, per tua purulenta crura,
His morem gere ſepties rogamus.

AD EVNDEM.

PEtrei delitiæ facetiarum
Muſarum decus eruditiorum,
Quem blandæ Veneresq; gratiæq;
Omnes, quæ uel ubiq; ſunt uel unquam
Fuerunt, alijsue erunt in annis,
Arrident, placideq; blandiuntur,
Tanquam non alio prius receptæ
Sinu tam generaliter quierint,
Quem Muſæ ſocialibus choreis,
Quem nymphæ charitesq; coniugatæ,
Et caſtæ tamen & libidinantes,
Paßim concomitantur, & decoro
Stipant agmine, qualis inter ipſas
Aut Phœbus pater, aut Iouis miniſter
Facundus uideatur Argicida,
Petrei delitiæ decus uoluptas
Muſarum, Venerumq;, Gratiarumq;,
Et noſtra fauor, aura, ſpes Thaliæ:
Per Muſas Veneresq; Gratiasq;
Tam dulces tibi, tamq; coniugatas
Tam blandum tibi tam pium canentes:
Nam ſanctas & amabiles puellas
Per noſtram quoq; te precor Thaliam:

Si noſtræ locus ullus eſt Thaliæ,
Quo te, quo Charitas tuas precetur,
Vt uillæ monumenta Thuſculanæ
Iamdudum mihi te illa pollicente
Velis mittere, meq́; pertinaci
Et cura graui & anxia leuare,
Pro queis munera ſi petis uiciſſim,
Tot uerſus tibi muneri remittam,
Quot toto tibi ſuggerunt in anno,
Et Muſæ Veneresq́; Gratiæq́;
Riſus, ſcommata, fabulas, iocosq́;
Vrbanosq́; ſales, facetiasq́;
Petrei deliciæ facetiarum.

AD ANTONIVM MELAM.

ANtoni uenerande mi ſodalis
Muſarum decus atq́; Gratiarum
Quo cantante ſtupet lyramq́; uictus
Ponit cum cithara ſilente Phœbus.
Sic te Pierides meæ tuæq́;
Reginæ aureæ, & aureæ puellæ
Blandæ, uirginis Aonos, camœnæ,
Diuæ Pierides amabilesq́;
Decerptis Heliconis ex uireto,
Ornent floribus, & tuum ſequaci
Intexant hedera caput, ſuoq́;
Paſcant nectare, lacte, melle, ſucco,

Quo uitam ſuperi trahunt perhennem,
Vt conuiua mihi meridiani
Solis tempore gaudeas uenire.
Eſt hoſpes mihi liberalis, & qui
Mirum te cupit in modum uidere:
Et notus tibi quemq; amare poſsis.
Ne tardes igitur uenire, namq;
Nulla rei niſi te eſt opus, tuaq;
Præſenti faciliq; comitate
Antoni decus ordinis bonorum.

IN POETAS QVI HESSI COGNO-
men ſibi indiderunt.

QVis tandem furor ille uos poetæ,
Quæ uexat rabies, ut undecunq;
Communis patriæ genus trahatis,
Hoc uobis quoq; mutuum uelitis,
Quod primo mihi nomen eſt ab illa.
Nam cum tot modo prodeant ab Heſsis
Clari nominis & boni poetæ,
Omnes hoc ſibi friuoli poetæ,
Raptant ſurripiuntq; præferuntq;
Quod primo mihi nomen eſt ab illa.
Tanquam non alio nitere poſsint
Claro nomine friuoli poetæ.
Quare quisquis es Heſſus ex parentum
Natus ſanguine, non honore famæ,

Quantumuis bonus & bonus poeta
Quantumuis malus & malus poeta:
Cum nequaquam Eobanus eſſe poßis,
Vellem deſineres & Heſſus eſſe.

AD PETREIVM IOCVS.

INclyte dux μώρων cui nobilis inſula paret,
Fœlicitatis affluentis inſula.
Optime dux, Regumq; potens, cui Regia debent,
Et arma, & arua, ſceptra, plectra & omnia.
Pœnam cerne tuo ſed non iraſcere Regi,
Heri nec abſq; cauſſa facta inutili.
Quam ſi forte uoles præſens cognoſcere dices,
Rex æquiore mente non unquam fuit.

MICHAELI ROTINGO SVO.

ILluxit Rotinge & adeſt ſacrata Michael,
Tuo dies cognomini.
Te decet hanc lucem feſto celebrare quotannis,
Conuiuiorum munere.
Sed quia turba ſumus non luxurioſa poetæ
Tibi quos habere contigit.
Ter tria ſi ponas fœcundi pocula Bacchi,
Te digna facta feceris,
Sic fortunabunt ter tres tua uota puellæ:
Et tres amabunt Gratiæ.
Si minus, iratæ fugient tua nomina Muſæ,
Nec tres amabunt Gratiæ.

AD AN

AD ANTONIVM MELAM PERE-
gre reuerſum.

GAudebam quia Veneris benigno
Nuper ſydere, nunc fere dolebam,
Quòd ſic ueneris ut latere uelles,
Illum quem minime latere poſſes,
Tanquam non rediſſe debeamus,
Tecum credere uirgines Camœnas
Nuper Sleſiacis pie & pudenter
Paſtas delitijsq; Gratijsq;,
Fotas Sarmaticarum amœnitatum:
Si quicquam tamen eſt amœnitatum
Inter ſtercora Sarmatæ bubulci.
Qui nunc milite turget impotenti,
Quem nunc Teutonicæ manent Phalanges,
Enſes, fulmina, tæla, lora, flammæ:
At tu ſi quid adhuc memor tuorum,
Antoni potes eſſe, ſi meremur,
Tam chari tibi, tam pie fauentes.
Nigris omnibus, omnibusq; doctis
Quales Sleſia plurimos beatis,
Aedit ſyderibus, ueni per ipſum,
Et uitæ atq; uiæ decem rogamus,
Chriſtum matris Apollinem puellæ,
Natum uirginis, hoc ſed impudenter,
Quod mandare meum fuit precabar.

Sed ne dum properas nimis citatis
Præceps paſsibus, excidat Michael,
Captiuum mihi ſiſte, ſicq; forſan
Iſta ſuſpitione te leuâris.

AD IOANNEM GRONINGVM AL
geſinum ſuum.

CAncellis prohibentibus moleſtum
Et quantum tamen eſt ſatis nouatum
Admittentibus in cubile ſolem
Solus, non tamen usq; quaq; ſolus,
Incluſus ſedeo, ſed inter ipſos
Muſarum Charitumq; Cypridumq;
Amplexus & amabiles choreas.
Riſus, oſcula: næni as: lepores:
Iam non grandibus improbum Culullis,
Nec Bacchum uice mutua laceſſens,
Ipſis ſobrior omnibus Catonum
Turbis, milibus, integerrimorum,
Adſiſtunt mihi nobiles ſodales,
Et muti, & tamen utiles magiſtri,
Qui totos mihi iam dies & horas
Verbis dulcibus eximunt leuantq;
Exhauſti bene tædium laboris.
Hec inter mihi proxima renidens,
Spirat nobilis hortus è feneſtra
Diuûm nectara, perpetesq; dulcis

Succos Ambroſiæ. Sed iſta ſoli
Quantumuis bona, uera, magna, firma
Sordent gaudia, dulcis Algeſine
Si uos non habeant meæ ſodales
Et Muſæ, Charitesq; Cypridesq́;.
Quare nunc agite aduolate, poſtquam
Os, uentrem, ſtomachumq́; colluiſtis
Poturi nihil, at libet, futuri
Nobiſcum hydropotæ, uale Bacche,
Turba ſobria nos ſumus Poëtæ.

CANTICVM VENI SANCTE SPIRITVS.

VEni maxime ſpiritus, tuorum
Reple corda fidelium, tuiq́;
Accendas in eis amoris ignem:
Qui gentes fidei ſub unitatem
Per diſcrimina multa linguarum
Solator peraclete congregaſti:
Quem nunc mittere ſpiritum per orbem
Digneris pater omnia innouabis:
O qui corda fidelium benigni
Flatus numine doctiora reddis,
Da nobis age ſpiritu ex eodem
Et rectum ſapere, & frequenter eius
Cōſolamine uiuere & ualere.

AD MARTINVM HVNVM
iocatur de marſupio ſibi coëmpto.

RES eſt quam Cato rideat, nec ipſi
Triſtes aſpiciant Timoniani
Quàm ſpectans ἀγέλαστος Heraclitus
Multum rideat, immemorq; frontis
A nullis ſibi temperat cachinnis.
Hunus marſupium coëmit Heſſo
Heſſo, quid quod habet pecuniarum
Tam nudis & egentibus poëtis
In teſta nucis, aut toga cumini
Quantumuis modico cucullione
Totum ferre queat, ſed ille tanquam
Montes poſsideat pecuniarum
Hunus marſupium coemit Heſſo.

Finis.

IOACHIMO

CAMERARIO VIRO DOCTISSIMO AMICO SVMMO SVO, EOBANVS Heſſus S. D.

CVM TOTVS HIC LIBER chariſsime Ioachime, pauciſsimis exceptis, tuus ſit, & tam titulo q̃ argumento tibi debeatur, quid opus erat ut eum iterum tibi dedicarem longiore epiſtola? cum per

ſingula capitum lemmata iam dedicatum & commẽ datum ſatis habeas. Sed uideo morem etiam hunc ueteribus, uel illis certe qui uere ueteribus proximi fuerunt non diſplicuiſſe ut epigrammata & ſyluas ſuas epiſtolis tamen uel amicis uel poſteritati commendarent. Et quoniam ſemel conſtitueram ſub ſingulorum patrocinijs hos libros emittere, hunc tibi qui ordine ut uides, quintus eſt, tuendum committere uolui, ea maxime fiducia fretus, quòd ſatis intelligebã non ſine ingenti pudore eius te patrocinium poſſe deſerere, cum & totus ad te & tecum ſcriptus, & tantum non domi tuæ natus ſit. Conſilij mei rationẽ breuiter habes indicatã, ſupereſt ut librum tibi nominatim etiam per epiſtolam dedicatum & uelut iterum commendatum eo ſuſcipias animo, quo ad te, etiam ante quam tibi inſcriberetur, eſt perſcriptus, quod ſi facis, ſatis te patrocinij & mihi & libro exhibuiſſe exiſtimabis

Vale. Norinberge.

Menſe Martio.

M. D. XXXIII.

HELII EOBA

NI HESSI SYLVARVM LIBER
Quintus ad Ioachimum Camerarium

NIMIS THEATRIS nate frequentibus
Et inquietis fluctibus urbium
Non ante Muſarũ receſſus
Reſpicis, aut ſubiiſſe quæris,
Quàm te remiſsis alea luſibus
Damnoſa liquit, cur tua Gratiæ
Sic alligant charis amicis
Pectora, ut inuideant poëtæ,
Vt ruſticano & prorſus inutili
Sic te ſequuto? ſed quia non potes
Vacare nobis, quod relictum eſt
Temporis, hoc ſine te exigemus.
Quando id neceſſe eſt, non tamen improbe
Nec ſorte fruſtra, nam mihi cum lucro
Nunquam recedentes camœnæ
Tempora non oneroſa fallent
Tu non pudendis luſibus interim
Curas remittes, uerum aliæ manent

Curæ

Curæ quibus te ſauciatum
Lege Venus merita domabit
Heu quanta molli pectore uulnera.
Senſure, quantis ignibus à miſer
Vrere, quis te liberatum
Expediet grauibus catenis.
Tunc te uocantem numen Apollinis
Apollo ſpernet, tunc ego te graui
Fato laborantem uidebo
Lætus & auxilium negabo.

AD EVNDEM PETIT EXPLICARI
propoſitum ſibi ænigma.

Quod nuper mihi diſcolore uerſu
Verſu nec numero nec arte eodem
Verſu nec pede compari, nec una
Multarum ratione linguarum
Conſtanti ſibi lubricum toreuma
Miſiſti Ioachime non peregi
Inſpectum ſatis, & tamen peregi
Inſpectum minus, & ſatis peregi
Quanquam friuola quattuor diebus
Me pictura fefellit, & latebat
Sub ueri ſpecie litura fallax
Et deluſerit artifex imago
Illunes oculos, & humidarum
Spiſſo puluere nubium natantes

Nam qua purpura parte prominebat
Vix ductu mihi lineæ recuruo
Depictæ poterant ſatis notari
Quas furuæ modo ſæpiæ colores
Ceu caligine miſcuere denſa
Et nunc omnia mutuis ligabant
Seſe amplexibus in caput recurſu
Mæandris redeunte flexuoſis
Heu qualis labyrinthus ille, quantis
Nos ambagibus impediuit, ille
Structura labor omnibus theatris
Sumptuoſior implicatiorq;
Irretitior omnibus molarum
Verſuris, & euntium rotarum
Se uertente uoluminum meatu
Tortuoſior, erudite pictor
Tam depingere lubricum toreuma
Et uerſu ſimul erudite uates
Tam deſcribere uerba tortuoſa
Tam linguas quoq; miſcuiſſe plures
Muſas mittere diſcolore uultu.
O doctiſſime mi poëta ſalue
Et nobis precor æquus eſſe pergas
Qui nec talibus utimur figuris
Nec tam poſſumus elegante Muſa
Nec tam fallere diſcolore uerſu

Nec reſcribere, iam ſtrente Phœbo
Rebus lumina, quale uos ſoletis
Seras ſcribere carmen ad lucernas.
Sed quò friuola Muſa? quo uagaris?
Quo te proijcis iſtiuſmodi res
Conſectata, & inutilem laborem?
Cum te uera domi negociorum
Expectet ſeries, & inquietam
Haud quaquam eſſe ſinant, tibiq; reddi
Luſus Simichidæ uelim poëtæ?
Ergo quod ſupereſt roga poëtam
Admirabilium iocacionum
Ad nos ut ueniat domiq; uiſat
Quos quæſiuerit ante tot diebus
Nec dum inuenerit, eſſe nunc quietos
Et ceſſare domi, nec euagari
Sicut nuper abire conſueuerint
In ſyluas, & in ebrias tabernas,
In pagos, & in abditos receſſus
Hæc dices mea Muſa, dein redibis.

AD EVNDEM ROGAT REMITTI SIBI
Piſcatores Theocriti &c. & ſimul Me-
garam eiuſdem mittit.

CVm piſcem minus aureum remittas
Quem multi tibi farre condiendum
Meßis miſimus Indicæ, ſed ipſum

Crudum puluere ſordido refertum
Inſulſo male iuſculo natantem
Nec mandis Ioachime, nec remittis.
En pro piſce tibi duas puellas
Vno mittimus improbas, uoraces,
Incultas quoq; & ebrias ueratro
Circum littora germinante Lethes.
Hæ piſcem tibi ni caues uorabunt
Iſtum protinus aureum, mihiq;
Conciſum referent, & expuentes
Rurſum mandere fruſta me iubebunt.
Et ſcis aurea non minus ualere
Quamuis paruula fruſta, quàm coacti
Maſſam ponderis auream. Sed huius
Non cauſſa eſt eadem, quòd ipſe fruſtis
Vti neſcio, ni tuis locentur
In formam digitis, & ordinentur
Quem ſit maſſa futura per laborem.
Te nunc hæ Ioachime mi puellæ
Vt ſe ſuſcipias rogant, & ipſas
Tractes molliter, hoſpitesq; nudas
Inueſtes, & inutiles, ineptas
Exornes melioribus corollis
Excultasq; pio labore, tandem
(Si piſcem prius exigas moleſtum)
Dignas hoſpitio tuo remittas.

AD EVNDEM.

SI uacas negocijs
Nec auocaris efficatiori
Forte contubernio,
Adeſto noſter huc adeſto quæſo,
Dum ſtudent latrunculi,
Modos locumq́; præparare noſtri
Te quibus ſefellerint
Manentq́; uina te parata quouis
Dulciora Maßico
Quòd ipſe ſolus eſſe ſi graueris
Micalum uocabimus,
Amabilem uirum, bouemq́; Lucam
Si libet, ſed illius
Vt omnis aura copiam negarit
Nos tamen manebimus.
In arce Regiæ beatioris,
Regis arce Caroli.
Licet choruſcet illa diues auro,
Noſtra litteris nitet:
Nec has inops Camœna mutet illo.
Huius arte uiuitur,
Ab illius parata ſæpe mors eſt.

AD EVNDEM CVM SYLVAS ESſet aditurus. Scazon.

TIbi placere noſtra ſcripta non miror,
Quamuis inepta, nec ſatis elaborata,
Sicut tui teſtes fuere Scazontes,
Heri Ioachime quos mihi miſiſti,
Tibi cum & ipſe diſplicere non poßim,
Quamuis ineptus & parum elaboratus
Vitaq́; & eruditione, quæ poßint
Exiſtimationibus tuis de me
Vlla ſatis ratione prorſum feciſſe.
Nunc ergo poſtquam cuncta noſtra ſic laudas
Vt pene mireris, quid eſſe tu credas,
Aut eſſe quanti rere, ſi quod eſt uſquam,
Ad te meorum, ad me tuorum ſcriptorum.
Huc adde quicquid hac in urbe præſcriptum
Nobis utriſq́;. Sed nec eſt euulgatum
Nunc colligamus atq; tandem euulgemus
Ne creſcat ingens interim domi nobis
Aceruus ille, & illa turba nugarum
Non comprehendi poßit amplius, nec nos
Decet ſilere Seriphias uti ranas,
Et eſſe mutos, atq; non ineptire
In his ineptis temporum cataclyſmis.
In hoc parata noſtra nunc ergo mens eſt,
Vt hoc laboris urgeat, hocq́; conetur
Quando parum expedire Simichidas Muſas
Licet, quid eſſe ſentias uel reſcribes,

Vel nos

Vel nos adibis, ut ſuper hoc conſultemus.

AD EVNDEM.

NOndum conſtituo quid eſſe dicam
Aut quid ſuſpicer accidiſſe cauſſæ
Quòd noſtras minus aduolas in ædes:
O non inter aues inauſpicatas
Aut internumerande nidulantes:
In terra, ſed ad aſtra porrigentum
Sedes, & capita arborum colentes.
An poſtquam tibi coniugis pudicæ
Amplexus rediere delibati
Nudarum ſale, melle gratiarum
Nos contemnis? & incipis tuarum
Obliuiſcier inſtitutionum,
Et morum quibus ánte prævalebas
Ipſarum Charitum ſuauitati?

AD EVNDEM HORTATVR VT NA *talem Vergilij ſecum celebret.*

SI feſtos Ioachime feriarum
Claudendosq; epulis dies paramus,
Burchardo madidoq; Chiliano
Quorum numina talibus putamus
Nobis eſſe propinquiora ſacris,
Cur non quæ magis attinebat eſſe
Nobis numina ſacra, qui Latinas
Muſarum colimus uacationes,

Abiectis ueneramur ociorum
Curis omnibus, & ſumus parati
Ad conuiuia noctis ocioſæ,
Quæ cras ominibus bonis reducet
Idus Mintiadæ ſacras Maroni?
Quas olim mihi Sarmatæ ſolebant
Torpentesq; gelu trucesq; uultu,
Ante ignes celebrare luculentos
Inſtructis gelido foco caminis
Per conuiuia lautiora noſtris,
Et per pocula craßiora noſtris.
Nunc nemo mihi Noricam per urbem
Idus concelebret ſacras Maroni?
Tanto barbarus elegantiori
Præſtet pectore Norico bubulcus?
Sed tu ſi ſapies, & approbabis,
Quas naſcens Maro conſecrauit Idus,
Idus nos celebrabimus Maronis.

AD EVMEM INVITAT AD COENAM.

SI non eſt hodie tibi moleſtum,
Et te gaudia nulla demorantur,
His noſtris potiora: nec puellas
Inter blandiloquas & elegantes,
Vſto pectore forſitan ſedebis,
Ad nos ut Ioachime ne graueris

Longis paſſibus, ut ſoles, uenire
Adſumpta tibi Micalo rogamus,
Cui fa cimina multa nos paramus.
Atq; artolaganos, meraſq; quales
Striblitas dedit ille Martiali
Qui menſam miſer ore concacauit.

AD EVNDEM VT SCRIBAT SATYRAM

Mercuriũ citharæ, Neptunũ flumina poſſunt,
Iouem decere fulmina.
Virgineæ Phœbũ lauri, ſua cornua Bacchũ
Virens oliua Palladem,
Te decet in Satyra cenſorem effingere Momum,
Et quos potenter exprimis.
Arte ſtili mores Germano nomine dignos,
Et te decente carmine.
Mens præſaga boni nec me Ioachime feſellit,
Sic perge fies maximus.

AENIGMATA QVAEDAM IOACHIMO *propoſita* PRIMVM.

Matris Deorum ſanguine,
Mater Mineruæ debria
Ex matre crebro fit pater.

SECVNDVM.

Ardente ſpuma ſi linas
Terræ peremptum ſomitem
Incendet orbem protinus.

TERTIVM

Pyrrhæ tenacis filij
Reddunt coacti ſemina,
Quæ præter ipſos omniaq́
Vi præualenti conterunt.

QVARTVM.

Quis eſſe quæſo te poteſt,
Qui cum pepedit maxime,
Et minxerit longiſsime
Matrem leuat rectiſsime?

QVINTVM.

Cœlum tulit Tyrinthius
Agenoris cœli patrem,
Quis hunc & hanc, hoc, omnia?

SEXTVM.

Quædam libidinoſa anus & ebria
Vultuq́; deformiſsimo.
Sapientibus pulcherrima conſilia expedit,
Si conſulatur dextere.

AD EVNDEM PRO SOLVTIONE *præcedentium ænigmatum carmen uarie mixtum.*

SOlutor eia glorioſe ænigmatum,
Maiorq́; quouis Oedipo.
Et ipſa tortuoſa Sphynge doctior,
Vtcunq́; ſeſe res habet.

Siue inepta Quintia
Menſis appoſuit ſuis
Nos, atq; liberaliter,
Inſtruxit uitulans mirificis epulis,
Siue nos cupedijs
Suis ditauit ſomniorum ciuitas,
Dum tu pro talibus offers,
Nec Quintiana fercula
Nec tortuoſa ænigmata
Sed plenas menſæ liberioris opes.
Quas, niſi miſiſſem fatuæ tibi ſomnia noctis,
Te rogo per Muſas an ne daturus eras?
Sed me Saturni præſentia nomina magni
Luminis exortu proſperiore uident.
Quando igitur numeris conſtant tua carmina miris
Si non mirarer. θαῦμα μέγ' ανγενόμην.
Sed neq; te dubito campos peragraſſe Pelaſgûm
Quasq; tenes lectas inde tuliſſe roſas.
Hoc magis admiror noſtræ te ænigmata Muſæ
Ceu nodos facili diſſoluiſſe manu.
Scilicet hoc mea monſtra uolebant,
Et intricatæ ſomniorum fabulæ
Et Muſæ fatuæ, & prætenues ſane
Conſuetudinis ô Ioachime tuæ,
Cras igitur ueniemus,
Quando ita tu iubes.

Cui nec debeo nec negare poſſum
Quicquid iuſſerit. Interim ualeto.
Hæc tibi ſcribebam poſita iam lance latronum,
Nabat adhuc madido pinguis in ore Ceres.

AD EVNDEM, ITEM VARIE MIXTVM *carmen quo ipſum ad cœnam inuitat.*

Seu te Ioachime tenaces
Exercent curæ, atq; morantur
Seu te læta remiſsis,
Fortunæ ocia flatibus,
Debebis nihilominus
Huius diei ad ueſperam
Te nobis haud quaquam negare,
Cœnæ frugalis hoſpitem
Quam dabimus tibi cum reliquis,
Paucis ſed electis amicis
Haud quaquam ſimilem tuæ
Quam tu dediſti nuper ebriam
Sumptibus eximijs.
Illa nobis namq; deſunt omnia
Dona, quæ conuiuia poſſunt facere ſplendida.
Verum animus non deeſt liberrimus,
Liberaliſsimusq;: quòd ſi copiæ
Deſint, ipſe ſibi ſatis eſt,
Omnibus atq; bonis.
Quid ergo reſtat.

Niſi ut

Niſi ut ipſe uenias
Aderunt alij quoq; quos amas tu maxime
Sed ſine coniugibus.
Nam mihi cum mulierculis
Non ita belle conuenit.
Quàm tecum, & ſimilibus tui.
Ergo age mi bone Comice,
Mi lyrice, mi Melice argutiſsime
Ad quartam uenias precor:
Cœnula namq; diutius
Noſtra differri nequit.
Sed ut hoc etiam ſcias
Cœna inempta manet,
At uina non gratis bibes
Nam nos de fundo paupere
Vilia dona damus.

AD EVNDEM OSTENDIT SE NON POSSE *ſoluere propoſita ænigmata.*

NVnc ergo te rogo per improbiſsima
Quæ me enecant ænigmata.
Quis eſt amicus ille de communibus?
Quæ dona miſit Lypſia?
Quæ nam uolucris illa Pœcnis tibi eſt?
Quæ dulce Muſarum melos
Cantare poſsit affulgente ſpe lucri?
Quæ frons ſit iſthæc rutea?

Quæ nam corona? quis arcus? & quæ linea?
Quis eſt ferox iſtic Leo?
Qui ſunt bis octo, quos mihi tu nominas?
Quæ cauſſa uitæ? quæ uigor?
Demum quid illa habere ponderis queant
Quàm ſcire totus geſtio
Nam nulla nunc mihi tu afferre ſomnia
Videre, ſed miracula
Rerumq́; portentoſa monſtra plurima
O Sphynges ô ænigmata
Adeſte Muſæ, adeſto Apollo Delphice:
Huc ò Sybillæ uirgines
Quin huc reditis uniuerſa protinus
Vatum priorum ſecula
Et expeditis iſta quæ nos enecant
Plus quàm ſtupenda ænigmata
At tu magis intricate quouis Oedipo
Qui iſta ſoluis protinus
Quòd ſi moraris iſta monſtra ſoluere
Dij te ligatum deferant
Extremam aduſq; littoris rubri plagam
Hæc monſtra ubi naſcuntur tibi.

AD EVNDEM.

SI non eſt hodie tibi moleſtum
Et forſan uacat, & potes uenire

Ad nos ut uenias precantur omnes
Paſtores Siculi Theocritiq;
Omnis fiſtula, ὅδ' οἱ πέροιτ' ἄφωνοι
Omnes te ſine, ſed tamen loquentes
Mecum nonnihil, at parum expeditum.
Vt quondam pueruli uagientes
Ad cunas mihi reguli loquuntur
Quos ut tu doceas loqui uenito
Illo tempore quo ſoles uenire

AD EVNDEM INVITAT AD COENAM.

ANſer pinguior omnibus medullis
Carne molliora omnibus Cyuris
Eſu ſuauior omnibus capellis
Fotis lacte recentibus capellis
Qui certare cuniculo ſequaci
Poßit, quem uel Apicius pararit
Cui cedant leporumq; delicati
Ventres, inguina, tybiæ, natesq;
Et pectuſcula geſtientes hœdi
Qualem Iuppiter eſſe poßit ipſe
Cum Dijs Oceanum ſedens ad altum
Qui nec Pelea dedecere poßit
Nympha coniuge nuptias parantem
Quas Diuis dedit omnibus uocatis.
Sed ne fabula longa te moretur
Talem noueris anſerem parari

In cœnam Ioachime te manentem
Sed cœnam modicam, ſed elegantem,
Caſtam frugiferamq; ſobriamq;,
Quæ te non potuit carere cœna
Quæ nec te ſine debuit parari.

AD EVNDEM.

Quæ te tanta negotia occupatum
Tanto tempore diſtrahunt, morantur.
O noſtræ Ioachime pars Thaliæ
Multo maxima? deſinis ne noſtras
Qua nuper pietate conſuëras
Muſas appetere, approbare, amare?
Atqui nunc tibi ſedulæ laborant
Noſtræ Pierides, nouosq; flores
Aeternæ tibi deligunt coronæ.
Tu nos negligis interim fugisq;
Ceu longe tibi diſsitos, nec audis
Quos inuiſere ſæpius decebat
O ingrate tuis notande Muſis.

AD EVNDEM DE LVDO SCACORVM à Vida poëta deſcripto.

Bella per inſtabilem plus quàm ſocialia campum
Quadam tenus perlegimus.
Bella quidem belle, quisquis fuit iſta peregit
Nec Vida uidit improbe,

Quàm deceant faciles etiam ſua prælia Muſas
Diuosq́; longe principes
Arcitenens magno quæ cum Ioue tractet Apollo
Tuq́; Argicida Mercuri
Iamq́; nec ingenij, nec in iſtas temporis artes
Quondam locati pœnitet
Te quoq́; cui Phœbus cedat ſub talibus armis
Non pœnitere ſuſpicor
Quas tibi nunc tanto ſoluam pro munere grates
Ioachime mi chariſſime
Sed tamen eximio Bilibaldo plura fatemur
Debere nos, huiuſmodi
Pro merito, ſiquidem gratam dedit ille palæſtram
Iam non latrocinantium
Magnorum ſuperum ſed ſuauiter iſta gerentum
Muſis amica prælia.

AD EVNDEM IOCVS.

MVſas ſpernere poſſe non putaram
Cum ſic carmine ſcriberem iocoſo.
Sed ſic carmine ludicro iocabar
Tecum mi Ioachime, quem puellas
Omnes urere, & omnibus ſciebam
Formoſis placuiſſe. ſed puellis
Nil formoſius eſt eritq́; Muſis
Quas totis adamare te ſciebam
Captum ſenſibus, oſſibusq́; totis

Totis iſta trahentibus medullis
Flammæ incendia pulchra non nocentis
Sed quas tu mihi nunc cacationes
Mittis, quas tibi fuderint forenſes
Hoſtes Pieridum? ſed huc uenire
Si credis ſatis eſſe polliceri
Crœſo ditior es Midisq; aſellis
O doctiſſime multa polliceri
Nil præſtare, ſed ut uenire poſſis
En uerſus tibi mittimus uolantes.

AD EVNDEM HORTATVR VT *promiſſa præſtet.*

SI noſtras tibi reddidit lituras
Quiſquam, cur dare iuſſimus, tuorum
Cur non quod petimus facis? nihilq;
Reſpondes Ioachime? cum negoci
Sit res nullius hæc tibi, queasq;
Hoc nobis quoq; ſomniare factum
Cum ſi tanta mihi negociorum
Mandes pondera quanta per labores
Alcidas quoq; plurimos grauârint
Haud quaquam dubitem libens uolensq;
Et ſi perficere haud queam, ſubire.

AD EVNDEM NON AGNOSCERE *ſe laudes ſibi ab ipſo tributas.*

Ergo

ERgo reductarum Phœbi Ioachime ſororum
Iudice te, merito gloria noſtra fuit.
Non agnoſco equidē, tamen hos reuerenter ho-
Amplector toto pectore, ſicut habes. (nores:
Tu tamen hoc peccas nimia pietate, quòd audes
Ponere te nobis inferiore gradu.
Vt tamen hoc noſtro tribuam, quia credis, amori
Nonnihil uberius culta Thalia mihi eſt.
Idq́; quod eſſe parum fateor, prædiuite fluxu
Ingenij ſuperat uena beata tui
Et niſi me fallunt animi præſagia, in iſto
Tu quoq́; ſi perges puluere uictor eris:
Nec tibi ductu opus eſt adeo, ne concipe, noſtrò:
Quæ iuga te cupidum quærere ſcribis, habes
Nec tibi mons gemina qui uertice ſydera pulſat
Nec ſacer ignotus fons pede fictus equi
Omnia Muſarum facili pede regna ſubiſti.
O humiles inter non habiture locum.
Deſine me uanis obtundere laudibus iſtis
Ipſe quibus longè dignior unus eras
Nos tibi, quod reliquum eſt, ſocialia plectra feremus
Luſuro reſona carmina multa chely
Quæ tamen, ut ſcribis, nulli meliora poëtæ
Quàm quos blanda Venus iuſsit amare, canunt.
Quæ tibi ſic pulchris res eſt monſtrata figuris
Non poſsis credi non ut amare mihi.

Qualia dum ſcribis quereris tibi deeſſe Camœnas
Grate parum proprijs ò Ioachime bonis
Quæ ſi forte mihi dicam placuiſſe uidebor
Blandior, & nimio forſan amore rapi.
Viderit hoc ſors ipſa, ſatis ſibi conſcia mens eſt,
Quæ niſi iudicio non eget ipſa ſuo.
Blanda uidebatur genialem gratia uerſum
Pingere, & in uenis multa calere Venus:
Tam bona ſi dictat tibi carmina mater amorum
Quod facit, Euterpe eſt iſta colenda tibi.
Quam tibi ſic facilem poßis ut ſemper habere
Semper habe quod ſic ſemper amare queas

AD EVNDEM QVOD OPTIMA *ſcribant carmina qui amant.*

SI ue eſt uera tuæ ratio ſeu falſa querelæ
Tempore quo uenit littera, lecta mihi eſt:
Et placet, & uellem uere Ioachime doleres
Eſt etiam qua te parte dolere uelim.
Artibus experto ſi quicquam credis in iſtis
Ingenij ſtimulos iſta uenena mouent
Siue ita naturæ ui liberioris agamur
Siue aliqua fatum nos ratione trahit
Pierias uere quicunq; urgemur ad undas
Ignibus Idalijs obuia turba ſumus.
Dum uelut in proprios abijt mens noſtra receſſus
Se uidet, atq; ortus ſemina prima ſui

Inde

Inde amor, inde fluunt cœleſti carmina ſucco
Viuida, & ambroſias gratia picta genas.
Et, niſi diuinum cenſes erraſſe Platona,
Agnatos cœlo nos docet eſſe Venus.
Quid mirere igitur ſi uere, ut nuper, amanti
Pierides uena diuitiore fluant:
Hæc mihi te ratio uere deprehendit amantem
Quod Venerem melius quàm tetrica iſta canis.
Sed perge & quamcunq; ardes fœliciter arde,
Hæc erat ingenio digna palæſtra tuo.
Carmina tum uenient, nec amanti Carmina deerunt,
Carmina quæ ſtupidis nulla uenire ſolent.
Quàm Venus ardentes exerceat ipſa Camœnas,
Crede mihi exiguo tempore doctus eris.

AD EVNDEM. PROMITTIT
Genethliacon.

TEmpore quo tepidi uernantia lumina ſolis,
Florida milleno prata colore nouant.
Exteram petijq; uirentis proxima ſyluæ
Antra, Heliconiadum ceu bibiturus aquas.
Iam nemus intraram denſum florentibus umbris,
Roris adhuc prægnans fœtibus herba fuit.
Vallis erat uiridi nemorum ſecreta receſſu,
Plurimus herboſam fons rigat intus humum.
Hic ego per uirides ſocijs errantibus herbas,
Gramineo poſui corpora feſſa thoro.

Venit & Aonidum prope conſtitit una, Deæq;
Veſt bus inſcriptum nomen amoris erat.
Et niſi uirgo foret, potuit Venus illa uideri,
Hanc ego dum ſtupido pectore miror, ait.
Quos nuper thalamos quæ ſacra Hymenæa canebas
Nunc tibi ſunt iterum uoce canenda noua.
Nunc cane qua ſponſum cecinisti, uoce parentem
Quæ tunc nupta fuit, nunc tibi mater erit.
Et nunc ille tui cupidus te quærit, & uni
Quæ noua concepit gaudia ferre cupit.
Tu nemora & ſaltus præruptaq; ſaxa peragras,
Ille tuas fruſtra pulſat aditq; fores.
Dixit, & in tenues fugiens euanuit auras
Me ſubito celeres inde tulere pedes.
Et tibi nunc reduces tibi nunc Ioachime uacamus
Dum loca ſyluarum ſunt peragrata ſatis.
Nunc tibi ſeruata donatam coniuge prolem
Gratulor, hoc dextri ſyderis omen habes.
Creſcat, & inſtantes fœliciter impleat annos,
Cuius honore tua eſt pignoris aucta domus.

AD EVNDEM VT CARMINA E
Theocrito uerſa remittat.

CArmina Simichidæ per nos deſcripta poetæ
Num data ſunt manibus mi Ioachime tuis?
Quæ tibi ſi data ſunt & lecta, rogantia uerba
Quid crucias lenta pectora noſtra mora?

Non ma

Non magis expectat ſtimulantibus anxia curis,
Si qua ſit abſentem queſta puella uirum:
Non magis expectat morbis populantibus artus
Si quis Apollineam poſtulet æger opem.
Quàm tua nos animi cupimus reſcripta, timente
Ne ſua pro nullo pondere uerba cadant.
Neue igitur credas nos ludere talia, neue
Scribere de uulgo quemlibet iſta tibi.
Ecce coronatis etiam metuenda Tyrannis,
Subijcimus manibus Regia ſceptra tuis:
Atq; ut reſcribas per Muſica ſacra rogamus,
Auſpicibus Muſis cognita ſacra tibi.
Iura fidemq; igitur niſi deſeris iſta ſacrorum,
Scribere ſi forſan non libet, ipſe ueni.

AD EVNDEM DE PSALMO E DA *uide uerſo.*

Qvos mihi Ieſſæo factos de carmine uerſus
Miſiſti, dignos dicimus eſſe legi.
Atq; utinam tam te pudeat Ioachime latere,
Quàm ſcriptis orbi pœnitet eſſe palam.
Non ego te multis dubitem præferre poetis
Quos inter primos ſecula noſtra locant.
Crede mihi, ex animo uera hæc non falſa loquenti,
Laudari ſcripto carmine dignus eras.
Vtilis ambitio eſt fructus & multa ferentum
Commoda, inutiliter gloria uera latet.

Quare age quæ noſtris tribuis Ioachime Camœnis,
Sume animum ut poßis adſeruiße tuis.

AD EVNDEM VT DATA CARMI=
na reddat.

SI mea non tineas, chartarum damna, merentur.
Quem tibi cōmonſtrant carmina trade uiro
Neue moræ ratio tibi longior ulla trahatur,
Hoc hodie pactum te ſoluiſſe uelim.
Quod niſi præſtiteris ſua tempora littera perdet,
Et poterit credi falſa fuiſſe fides.
Non tamen ut mittas, ſed ut ipſe ea carmina reddas,
Te rogo, ſiq; ſinas ipſe iubere, uolo.
Maior enim noſtris accedet gratia Muſis,
Duxeris iniecta quas Ioachime manu.

AD EVNDEM IOCVS.

LVdere nobilium doctißime bella latronum,
Nunquid ab ingenio deficis ipſe tuo.
Nanq; quid usq; adeo rarus mea regna ſalutas
Regna ſuos etiam nuper adepta Mydas.
An quia duxiſti talem Ioachime puellam,
Quali tu tantum coniuge dignus eras?
Clauſe domi nunquid iuuenili in amore ſeneſcis?
Me iuuenem reddit quando ſenilis amor?
Viue uale, nam quæ nunc ſcribere plura uolebam,
Non ſubeunt, nec me Pieris ulla iuuat.

AD EVNDEM.

Quod

Quod mihi ꝓmittis ſub prădia carmē ἄδηλον
Mittere ſub cœnam mi Ioachime uelis.
Et niſi te cupidum teneat belliſſima coniunx
A cœna ſaturis uentre gulaq́; ueni.
Hoc rogat ille tibi cognominis improbus infans,
Qui niſi tu uenias, uagiet immodice.
Sic tibi ſalua domi maneat pulcherrima coniunx
Quæ prope te ſolo coniuge digna fuit.

AD EVNDEM VT LAETETVR ſcripto Epithalamio.

FVnde merũ, Geniũq́; uoca Veneremq́; maritam
Concelebra, nardo tingere, ſparge roſas.
Abijce qcqd habes quod mordeat, indue quicq̃d
Læticiæ moueat gaudia plena nouæ.
Cur ita? nam te ipſum tibi mittimus ecce renatum,
Nunquid erat naſci te uetuiſſe mori?

AD EVNDEM RESPONDET quid ſentiat de erudito quopiam hoſpite.

CArminis Aufidij nimium ſtudioſe, requiris
Quis mihi ſit uiſus quem tecũ uidimus hoſpes
Dignus amicitia noſtra ne ſit, accipe paucis
Quæ multis à me uerbis Ioachime petiſti,
Quod libros Latijs nactum mihi ſcribis in oris,
Tam raros, tam non aliqua quantumlibet auri,
Merce rependendos magna, decus illud honeſto,

Accedit titulo, uelut à uirtute trophæum
Quod petitur: quid enim credas hoc munere dignos
Qui retrahant ſtudijsq; negent ſua commoda rectis?
Hoſpitis inde tui mores, quantum unica nobis
Cœna probare poteſt, ita ſunt mihi ad omnia uiſi
Exacti momenta, boni, faciles, & honeſti
Candorem præ ſe multum ſine labe ferentes.
Lingua diſerta ſatis, multa experientia rerum,
Ingenij ſplendor, ſtudiorum multa ſupellex.
Et quid plura loquar? nec enim deſcribere laudes
Illius inſtitui, nec tu Ioachime uolebas
Digni laude ſatis. Sed enim nec laudis auarum
Eſſe bonum decuit, nec plus quàm profit egentem.
Eſt aliquid tranſiſſe Alpes, ut ſcribis, & hæc ſunt,
Quæ ueræ iactas temulentæ inſomnia Muſæ.
Nam ſi non animum mutant qui trans mare currunt,
Vt tuus ille canit, non plus tibi cognitus Alpis
Contulerit, quàm uiſa Tagi prædiuitis unda,
Nuper & Herculeo ſummato gurgite Gades.
Et mihi Sarmaticæ Borealia regna paludes
Piſcibus & plenas perſæpe nataſſe lacunas.
Tu quoq; uidiſti ſubiectos Parrhaſis urſæ,
Et late populos, ad Baltica ſtagna colentes.
Quos tamen inde boni flores quæ commoda fructus
Extulimus? me mille modis uidiſſe iacentes,
Pœnitet Arctoo ſub ſydere Sauromatarum
Hydrope

Hydropotas populos & terras fruge carentes.
Crede mihi multis nocuit uidiſſe remotas
Orbe alio gentes: ſi paucis profuit autem
Ergo ne cuncta tibi ſubeunda pericula cenſes?
Et mala tot ſubeunda mari terraq; ferenda?
Fœlicem quem parua domi res tuta, & honeſto
Nomine parta manet: quòd ſi illum diuitis auget
Ingenij decus, & uirtus, & gloria famæ
Quis hunc Semideis, quibus hunc nõ regibus aques?
Omnia quæ tibi cum data ſint Ioachime Deorum
Munere, cur alio gentes ſub ſole repoſtas
Cur aliena uoles inuiſere regna? quid autem
Tam fragilis millena ſubire pericula uitæ
Caſibus expoſitæ uarijs? cum te tua uirtus
Parta labore tuo notũ ſatis atq; beatum
Contentum paruo faciat, magna iſta potentis
Fortunæ deridentem ludibria, quanquam
Quanquam ô, ſed paucis contingit adire Corinthum
Idem ait ille tuus, cuius quia uerba ſtilumq;
Conſectaris, in hoc quoq; conſentire neceſſe eſt
Conſilium, quo ſuadet ut ocia tuta capeſſas
Non adeas grauibus commertia plena periclis:
Nam ſi uis, inquit, bene uiuere, quod petis hic eſt.

AD EVNDEM.

SIc tibi ſint faciles, ut ſunt, in carmina Muſæ,
Sic citharæ neruis cedat Apollo tuo.

Sic habeant, ut habent, Charites tua pectora nudæ
Sic tuo perpetuo conſtet amica Venus
Sic tibi quicquid habet locuples fortuna bonorum
Tandem non uaria conferat omne manu
Si Ioachime meas non ire graueris ad ædes
Hoc tibi ut arripias quando uacabit iter.
Nec proprijs ſtudijs mea te curare relictis
Sed peto quod uacui temporis eſſe poteſt.
Nec tam ſæpe domi te conueniſſe decebat,
Curarum præſtat iam ſatis illa tibi.
Et cupio & nequeo te conueniſſe frequenter
Hic animus cura fluctuat ancipiti.

AD EVNDEM

Poſtq̃ iterum reduces Pegneſida uenimus urbẽ
Tertia cœliuagus lumina Phœbus agit.
Nec Ioachime uenis ſolito nec more ſalutem,
Regia dicturus limina noſtra ſubis.
Ipſe tuæ patriæ uidi moresq; uirosq;,
Queis non exiguo cultus honore fui.
Et potes hæc abſens iam tot neſcire diebus,
Quæ ſinui cupimus depoſuiſſe tuo.
Et mihi uiſa uia eſt hæc certe longior illa,
Qua ſtadia Hyſpanæ menſus es ipſe plagæ.
Officium ergo tui niſi deſeris omne poetæ,
Si potes huc hodie mi Iochime ueni.

Et ſimil

Et ſimul Aetnigenæ peruerſa poëmata uatis
Fac redeant cultu ſed meliore, uale.

AD EVNDEM

D Iſcolor errantis ſi te iuuat area pugnæ
Et poſito præfers, lignea regna mero
Chare ſalutatum noſtros Ioachime penates
Poſt tibi quàm fuerint prandia ſumpta, ueni
Namq; aderunt quos tu non dedigneris amicos
Si, quod habes, quicquam pectoris huius habes.

AD EVNDEM.

Q Vid prodeſt ueniſſe eadem ſub mœnia, ſi te
Non datur opima conditione frui?
Sic ſitit & medias, quisquis fuit ille, p undas,
Eſurit, & fruſtra quas tenet ambit opes.
Non habiture igitur faciles Ioachime puellas
Perge tibi natas ſpernere Pieridas.

AD EVNDEM.

I Am non aucupio ſequor auia ſtultus inani
Ruraq; brumali ſemiperuſta gelu
Nam quia te toties fruſtra ueniſſe dolebam
Iam totis ſtatuo ſolibus eſſe domi.

AD EVNDEM.

N Vper ut abſtulerat tibi me punita uoluptas
Languentem fuerat deſeruiſſe pudor
Nũc cũ reddiderit tibi me reparata uoluptas
Sit rogo ſanatum deſeruiſſe pudor.

SEBALDO HEIDO SVO LVDIMAGIS.
Sebaldino Norinbergæ,

NOn quia ceſſarint iamdudum in mutua Muſæ
Carmina ſiue meæ ſiue Sebalde tuæ
Mutatam uereare fidem, nec credere debes
Tempus amicitiæ diſſoluiſſe uices
Sed tua quod uerita eſt uiolati crimen amoris
Manſit in officio Muſa benigna ſuo
Quæ ſic blanda fuit, ſic ornatiſsima uenit
Vt ſtupidum forma fecerit eſſe ſua.
Adſere tam faciles Dijs chare Sebalde Camœnas
Quas grauis eſt pulſas reſtituiſſe labor.
Nec dubita quin noſtra fides tibi conſtet amorq́;
Dum ſibi conſtabit Noridos urbis honor.

AD IOACHIMVM CAMERARIVM

QValia nec Latias pudeat deſcribere Muſas
Si legat abiecta flauus Apollo lyra
Ad quorum ſaliant alacres modulamina nym(phæ
Et ſuccenſa nouo pruriat igne Venus
Qualia laſciuum poterant decuiſſe tonantem
Dum ſedet & placito de Ganimede bibit
Qualia Teutonicis nuper non æqua poëtis
Gratia amet, iunctis blanda cupidinibus
Talia cum facias, cum talia carmina ſcribas
Dic mihi per Muſas cur Ioachime premis?

AD

AD EVNDEM IOCVS.

S I te Muſarum comes unice noſtra momordit
Littera, quòd ludos obijcere auſa tibi eſt
Non alia credas factum ratione uelimus
Quàm quia nil aliud quod loqueretur erat
Et tam non acidis ſalibus perſtringere amicos
Auriculasq; iocis uellere ſæpe iuuat
Nunc tamen hoc gratũ eſt ꝙ magni carmen Homeri
Inſtituis uiua tradere uoce tuis
Sed quia tu ſcribis, non fauſtum eſt μῆνιν ἀείδειν?
Non adeo, μῆνιν ne tibi commoueam.
Cur etenim ueniam cum pergas μῆνιν ἀείδειν,
Ni dicas fictam μῆνιν ἀείδε θεά.

AD EVNDEM

Obuius à cœna Plutarchus uenit eunti
A Plini tenebris ad Cicerones opes
Dum cupio iniecta properantem uoce morari
Incœptum fallax alea rupit opus
I nunc noſtra tuis ἀινίγματα confer ὁμήροις
Qui tamen hoc caſu ne moriantur ades.

AD LVCAM MYSNERVM DE IPSIVS nomine Iocus.

D ædalon aëreas ſumpſiſſe & Pegaſon alas
Vix habet exiguam fabula nota fidem
At bouis effigiem qui Lucæ fecit & alas
Credimus audaces non habuiſſe manus?

Inſolitas tantum uolucres finxere poëtæ
Ex homine ille bouem, de boue fecit auem.
Quo quia tu gaudes Diuo cognomine Luca
Sume tuo capiti cornua taurus eris.

AD EVNDEM.

Eſta ſui celebrans cognominis ocia Lucas
De lacubus captam putribus emit auem:
Scilicet hoc uolucrem ueneratus nomine Lucam
Oblitus credo quem colit eſſe bouem

DE EODEM.

Rectius altiuagum celebraſſes corpore Lucam
Non auis exiguæ, ſed bouis eximij.

AD EVNDEM IOCVS.

Væ fuerant nobis aſininæ credita pelli
An tibi ſunt Luca credita ſcripta parum
Siue quòd eſt aſini βασιλεὺς ὄνος *ore lo-*
Iſta parum poſſunt ſcripta placere tibi *(quutus*
Commoda ceu quoniam non legeris ocia nactus
Seu quia diſsimulas lecta fuiſſe tibi
Quicquid id eſt uel adhuc Aſininas inſpice chartas
Quodq; iubent illæ perfice, ſanus eris.

AD GREGORIVM HOLOANDRVM

Vris Holoander nouus inſtaurator adempti
Cuius in hæc reuocas tempora noſtra decus
Si tamen heſternæ quod es inter pocula cœnæ
Pollicitus, memorem non pudet eſſe, ueni,

Non

Non quia ſis fulgentem opibus uiſurus amicum
Sed potius Muſæ pauperis inferias.

AD OTHONEM CORBERVM SVVM.

CVm tot abortiuis celebrent te uerſibus Heßi
Non uideo cur non maximus eſſe queas
Qui licet exiguo ſis corpore, fama Gigantem
Te facit, Heſſorum quam tibi Muſa dedit.
Alter carminibus, Rythmis te concinit alter
O celebrem multa te ratione uirum
Debes ergo tuis, ſi te non pœnitet, Heßis
Corporis & famæ nomina magna tuæ.
Sed tamen ex illis qui Regia ſceptra gubernat
In te plus meriti plus quoq; iuris habet.
Quare age mandati pare Corbere tyranno
Pranſus amica tui limina Regis adi.
Ecce nitent uerni purißima lumina ſolis
Et clarum rutilans explicat aura diem.
Rura per & riguos læti ſpaciabimur amnes
Tu comites nobis quos potes ante para.
Sed comites non præfractos nec fronte ſeueros
Sed faciles apta dexteritate uiros.
Qua uergunt prono Pegneſia flumina lapſu
Ibimus, ipſe locum conijce deinde, uale.

IACOBO SCHONSTETERO DISCIP. SVO

QVod petis, auxilio iam te nullius egere
Teſtantur uerſus quos Iacobe facis

Talia namq; tibi cum dictent carmina Muſæ
　Qualia Pieria cantet Apollo chely
Quid petis auxilium ſcribenda in carmine noſtrum?
　Hoc quoq; iam dudum ſi quod habemus, habes.
Tu modo Pieridum ſic ludere perge ſub umbris
　Dum tener ætatis flos uiret iſte tuæ
Venturamq; tuo capiti iam necte coronam
　Quam nequeant longi comminuiſſe dies.
Hæc tibi maturo ſemper florebit honore,
　Tunc etiam cum te cana ſenecta premet
Tempore non ullo nam uiuida Muſa ſeneſcit
　Imberbem Phœbum ſicut & eſſe uides.
Vis igitur, uis uitæ omnes florere per annos
　Ipſe tui Muſas tempore ueris ama.
Sed facis & non es nobis hac parte monendus,
　Iam ſatis appoſitum mens tua calcar habet
Perge modo & noſtro contemptas tempore Muſas
　Nullius impulſu deſeruiſſe uoles
Tempus erit quo te poſſis gaudere ſequutum
　Conſilia hæc Heſſi qualiacunq; tui
Iſto te interea figentem in puluere greſſus
　Si libet, ad Muſas dux eris ipſe tibi
Ecce uides per nos monſtrata cacumina montis
　Quem petis, hoc tantum nunc tibi reſtat iter.
I modo nec dubita magnos ſuperare labores
　Non eris Aonij gloria parua chori

SEBALDO HEIDO SVO.

EXieram gelidas apricaturus ad undas
Pura uelut uerni lumina ſolis erant
Deflua adhuc hæſit nix in Pegneſide ripa
Rara hyemis facies ceu fugientis erat
Læta renaſcenti meditabar carmina Phœbo
Noſtra hoc, ſi neſcis, pectora numen agit.
Qui tamen Heſperias ubi ſe inclinauit ad undas
Inuito redij ſub mea tecta gradu
Iamq́; reuerſus eram, iam limina nota tenebam
Inuenio digitis uerba notata tuis.
Expedior chartamq́; auido dum lumine luſtro
Inſcriptum folijs nobile carmen erat.
Hoc erat aprici gauiſum ad lumina ſolis
Hoc erat æthereo pectus amore rapi.
Scilicet idem animum rapuit deus, obtulit idem
Quæ legerem tereti carmina facta pede.
Gratulor applaudoq́; tuæ Seobalde camœnæ
Lumine te dextro Chriſtus Apollo uidet.

AD LVCAM MYSNERVM SVVM

SI quid amicitiæ noſtræ comes unice Luca
In te nos iuris ſi quid habere putas
Sed quod amicitiæ non lædat iuris honorem
Polliciti memorem te decet eſſe tui.

Non quia promiſsi poſsis hac lege teneri
Quam tranſiſſe tibi debeat eſſe nefas.
Sed quia nunc diſcas ſub Regibus eſſe tyrannis
Lædere quos eadem ſit ratio & facere
Hoc ſimul imperij noſtri pro iure iubemus
Veſpere ut hoc hodie nos adijſſe uelis.
Aurea uiſurus condentem lumina ſolem
Illum uidiſti quem ſtupefactus heri

Libri Quinti Syluarum.
FINIS.

HELII EOBA-
NI HESSI SYLVARVM LIBER
Sextus Bilibaldo Pyrcaymero.
V. C. *Norico.*

ETSI NOSTRA BONIS
nõ ſunt ſatis æquaca mœnis
Tempora, & ingenijs
nullus habetur honos.
Quando tot obſcurant doctos mala nomina, ſed quæ
Nomina poſteritas nulla probare queat.
Qui ſibi ſplendorem Muſis peperere fugatis,
Per ſcelus inuento quod modo nomen habent.
Si tamen exiſtat ſtudiorum uerus amicus,
Hunc tu, ni lateat, poſſe manere putes?
Heu male compoſitos per inertia tempora mores
Ergo ne ſtulticiæ non modus huius erit?
Sed tamen hæc inter fatui ſtudia improba uulgi,
Non patitur laudes fama perire tuas.
Nec minus hoc triſti tua gloria tempore floret,
Quàm ſi ſint ſtudijs præmia iuſta bonis,
Quod tibi de ſtudijs nomen Bilibalde *paratum eſt*
Inuidia ſaluum iudice nomen habes.
Et cum multa orbi dederis documenta tuarum
Virtutum, linguæ, pectoris, ingenij.

Cunq; tot à populo paßim tua ſcripta legantur,
Et uacet in laudes utraq; lingua tuas.
Non leuis illa meam ſubit admiratio mentem,
Cur mihi ſis totus cognitus ante parum.
Nouimus eloquij præſtantem laude pedeſtris,
Et lingua quiduis Attide poſſe loqui.
Nouimus ingenio callere mathemata miro,
Et quicquid Sophiæ totius orbis habet.
Expediſſe ſacri ſcrupuloſa uolumina iuris,
Vtilibus nulli cedere conſilijs.
Hactenus hæc orbi de te ſunt cognita, nobis
Pars ignota tui maxima pene fuit.
Quòd bona tam facili deducis carmina uena,
Iſta me poteras parte latere tui?
Vidimus, ut ratio conſtet tibi carminis huius,
Quales Durero ſolueris inferias.
Funebres uidi, dij qualia carmina, Muſas
Impia Durero fata fuiſſe queror.
Quæ quia tam faciles tibi ſunt in carmina, quid ni
Laudibus accedet ſplendor & iſte tuis?
Quid tua ceu lucem fugiat tam ſola uagatur
Pieris, in ſcena digna patente legi.
Muſa coronatis ſpectari digna theatris,
Non ita diffidens debuit eſſe ſibi.
Et niſi, quod nolim, populo ſeſe inuidet ipſam,
Ingrata eſt nimium dotibus ipſa ſuis.

Adſere

Adſere nunc ergo reſidem uir docte camœnam,
Adſere & in populo fac tua ſcripta legi.
Multa quidem populo paßim tua ſcripta leguntur,
Carmina de multis pauca fuiſſe uoles.
Quare age quæ noſtro funebria ludis Apelli,
Da rogo cum noſtris carmina poſſe legi.
Nos iterum dabimus quæ ſcripſimus ante legenda
Pluraq; iudicio ſed ſtatuenda tuo.
Te duce noſtra ſuos acquirent ſcripta fauores,
Nec te noſtrorum forte pudere poteſt.
Accedent aliorum etiam, ſed qualia poßis
Ferre nouos tumulos inter & ante legi.
Viue decus patriæq; tuæ præſentis & æui,
Dotibus ingenij uix habiture parem.

AD EVNDEM, DE STVDIORVM *contemptu.*

INclyte Germanum fama Bilibalde per orbem,
Note per Heſperiæ littus utrumq; plagæ.
Sæpe tuas tacito mirantem pectore dotes,
Iußit inarguta ſcribere Muſa chely,
Ante tuos uolui uultus & docta uidere
Pectora, quàm rudibus ſollicitare modis,
Contigit, & uoto fauit fortuna, deditq;
Nuper amicitiæ proxima iura tuæ.
Docte uir & ſtudijs & honoribus aucte probatis,
Forte uoles cauſſam noſcere, certa ſubeſt.

Ipſe uides iſto quàm nullæ tempore Muſæ,
Iamq; ut ſint aliquæ quàm ſine laude canant.
Quin potius quàm futilibus plena omnia nugis,
Quàm ſint rixoſis omnia plena libris.
Fata ſeneſcentis quæ nam ſint peßima ſecli
Quæ numeris conſtet littera nulla placet.
Nec tantum numeri fuit hoc fortaſſe ferendum,
Gloria linguarum quæ ſtetit ante iacet.
Non tamen hic locus eſt, non iſti cauſſa querelæ,
Quod loquerer tecum uir memorande fuit.
Tam mala dũ uideo, tanq̃ improba tempora Muſis,
Ad Muſas timido diſcimus ire pede.
Atq; hæc ſera meæ quod uenit littera dextræ,
Dum pudet, & timeo ſcribere cauſſa fuit.
Non quia te Muſis dubitem uehementer amicum
Quem proprio fouit Muſa benigna ſinu.
Sed quia me ſtudij iamdudum nauſea talis
Cepit, & elinguem garrula turba facit.
Nempe uides poſtquam tam praua licentia facta eſt
Omnibus ædendi barbara ſcripta plagis.
Egregia interea longo monumenta ueterno
Paſſa graues tineas & ſine luce iacent.
Omnia Teutonicis implentur ſcrinia chartis,
Doctus in his uulgo quilibet eſſe poteſt.
Non ego dedignor patrij ſermonis honorem,
Præferri ueris commoda falſa queror.

Nam quis non uideat peritura hæc cuncta ſine illis?
Inualida hæc tempus diſſipat, illa manent.
Nos tamen hanc facimus iacturam temporis huius,
Queis, niſi apud Muſas, uiuere pœna fuit.
Hæc tamen in paucis qualem te noſtra tulerunt
Secula, ſolamur uulnera noſtra, bonis.
Iſta nec usq; adeo graſſata eſt improba peſtis,
Vt ne parua quidem ſpes ſupereſſe queat.
Quæ tamen hoc maior meliorq; affulſit, ut iſthac
Talem te nobis nuper in urbe dedit.
Cuius ut ante decus mirati nobile famæ,
Nunc etiam experti pectora docta ſumus.
Hoc quoq; plus nobis quàm poſſis credere gratũ eſt
Hoſpitij deferrs quòd mihi iura tui.
Si tamen officio noſtras dignere camœnas
Vt uideas, magni hoc muneris inſtar erit.
Et tantum uideas nec enim te plura rogatum,
Quiq; nec audacem me ſinit eſſe pudor.
Namq; ego tã uecors quàm ſim ſine fronte moleſtus,
Si turbem ſtudijs ocia nata tuis.
Et quæ tu curis longe melioribus offers,
Non decuit noſtra tempora ſorde teri.
Hoc quoq; uix aliquo deductum tempore carmen
Anxius an poſſet diſplicuiſſe fui.
Quod ſi reſponſo tu nos ueneraberis ullo,
Muſica adhuc aliquas Phocis habebit aquas.

HIERONYMO BAVMGARTNERO
V. C. Norico.

IAm Sol Hyberni fugiens Chironis ab arcu,
Capripedem reduci lumine Pana uidet.
At memini cum nos Pegneſida uexit in urbem,
Vndiuagi tenuit cornua torua bouis.
Interea toties latuit totiesq́; renata eſt,
Iam nouam reficit menſtrua Luna rotam.
Et nulli melius numerárunt tempora amantes,
Quám nos Hercinia donec in urbe ſumus.
Longa mora eſt, & degeneres mihi tempus in horas
Creſcit, & utilium copia nulla datur.
Obtulit arridens unum fortuna ſodalem,
Arte parem ſtudijs ingenioq́; meis.
Is fuit Aonidum comes unicus inter amores,
Qui procul à nobis nunc Ioachimus abeſt.
Siue elegos nobis ſeu grandia plectra moueret,
Seu caneret lyrico garrula Muſa pede.
Ille meos cupido miratus pectore uerſus,
Reddebat numeris conſona plectra meis.
Cumq́; inhonoratæ iaceant hoc tempore Muſæ,
Illarum indoluit pectore & ore uicem.
Nunc illum Heſperios fines & Ibera petentem
Littora tu reducem ſiſtere Chriſte uelis.
Tu quoq; qui cultis patrium cognomen ab hortis
Ducis, & ingenio clarius eſſe facis.

Tu quoq;

Tu quoq; contigeras noſtris Hieronyme Muſis
Non ſecus ac feſſæ portus & aura rati.
Sed rapiunt patriæ præclara negocia, nec te
Natum dura tuis eſſe tibiq; ſinunt.
Cauſſa quidem iuſta eſt lõge & pulcherrima, ſi quid
Ponderis altiloqui uerba Platonis habent.
Qui tamen in partes uitam quia diſtrahit æquas,
Nulla trium numero prætereunda fuit.
Quamuis ipſe quidem, quantum licet, omnibus æqua
Inſumpſiſſe operam conditione ſoles.
Sicut ut hanc nuper fatis ducentibus urbem
Venimus, experti non ſine teſte ſumus.
Sicut & ingenuo tua Muſa pudore fatetur,
Contrahit in celeres dum ſua uerba modos.
Sed tamen ingenio florenti, & rebus agendis,
Enato ueniam nos tribuiße decet.
Et tibi non aliud præclarius eße fatemur,
Quàm patriæ utiliter conſuluiſſe tuæ.
Sed tamen & quoſdam rebus patriáq; potitos,
Non ſemper curis inuigilaſſe ferunt.
Tempeſtiua graues leuat intermißio curas,
Liberáq; utilibus gratia miſta iocis.
Sicut multa grauant ſic ocia pauca leuabunt,
Præcipue lætos Muſa iocoſa facit.
Ergo age ſi nondum toto de pectore ceßit,
Qui tibi Muſarum nuper inhæſit amor.

Cur tam pauca tuæ ueniunt mihi ſcripta camœnæ
Cur minus es nobis, quàm decet eſſe, frequens.
Quin potius celeres, tua carmina nuper, Iambos
Sæpe animi teſtes iuſſeris eſſe tui.
Turpe quidem non eſt præclarum munus agenti,
Dum uacet à magnis iſta minora ſequi.
Reddideris noſtras alacres quoq; ad omnia Muſas,
Si uideam ſpretas non habuiße uices.
Quòd ſi, ſicut habent nullas hoc tempore laudes,
Tu quoq; contemptas deſeruiſſe uoles.
Quæ prius undanti manabat copia fluxu
Stabit, & in medijs arida fiet aquis.

SEBASTIANO A ROTENHAN
EQVITI.

ALtera iam grato mihi uenit epiſtola uultu,
Altera iam dextræ ſunt data ſcripta tuæ.
Noſtra tamen meritā nō reddidit ulla ſalutē
Muſa, nouo prorſus crimine facta nocens.
Per ſacras ignoſce uir ô clarißime Muſas,
Auſpicio nobis quas meliore colis.
Nam neq; quo purget manifeſtæ crimina culpæ,
Muta prius facta eſt garrula Muſa mihi.
Sed magis ut ueniam commiſſum faſſa reatum
Impetret, & præſens, quod petit, ipſa ferat.
Non ego non uolui reſcribere ſæpe, ſed ipſum
Quod uolui ratio quæ prohiberet erat.

Quæ tamen, ut fatear, non eſt ita magna, ſed huius
Hoc animi uicium non habuiſſe uelim.
Quod quia conſilio procraſtinat omnia lento
Tardior hoc uenit littera noſtra tibi
Adde quod exulibus tam ſunt hæc tempora Muſis
Improba, ut ipſarum te puduiſſe queat
Non tamen hæc noſtræ ratio eſt ſatis apta querelæ
Ad te qui Muſas ut tua ſacra colis
Cuius ab ingenio ceu Muſica flumina manant
Blandaq; Phœbæas gratia ſpirat opes
Qui ſacra Muſarum claris natalibus addis
Tamq; his quàm patria nobilitate nites.
Hoc gentilicijs noua condere nomina faſtis,
Hoc ſpecimen ueræ nobilitatis erat.
Macte animo patriam laudem Rubigalle per iſtos
His auctam titulos moribus eſſe facis
Vtq; nec admirer quæ ſunt communia tecum
Pluribus, & magni nominis inſtar habent.
Scilicet eſt aliquid gentes uidiſſe repoſtas
Orbe alio, nec te conſenuiſſe domi
Gloria ſic facta eſt patientis maior Vlyſsi
Quàm tua uel Phineu uel tua ſtulte Mida:
Sic totum Alcidæ uirtus eſt nota per orbem,
Primaq; ceruleas turba profecta uias.
Plurima multiplicis callere idiomata linguæ
Hoc eſt ingenio non ſtatuiſſe modum.

Et quæ præterea mirantur inertia uulgi
  Pectora, quæ dici magnaq́; & eſſe ſolent.
Si minus hæc in te, quando adſunt omnia, miror
  Quæ magis admirer ſunt tibi, cauſa fuit.
Fœlix ingenium nec preßum pondere rerum
  Quo tua uita iſtas non caret inter opes.
Quæq́; tibi floret facundæ gratia linguæ
  Vita tenax fidei, mens pietatis amans
Candida ſimplicitas, & liber in omnia candor
  Quæq́; tot ex multis dicere longa mora eſt,
His ego te inſtructum tot dotibus, eſſe beatum
  Si mihi ſit uiſum dicere, uerus eram.
Sed quia non adeo contentus es omnibus iſtis
  Ni Muſis etiam præmia iuſta feras.
Qui te non merito talem ueneretur honore
  Hunc ego de Muſis nil habuiſſe putem.
Hunc ego plus animum miror quàm cuncta tuorum
  Stemmata, fortuna quicquid & omnis habes.
Nunc igitur fortißime Eques, laus prima tuorum
  Cor tibi deuotum pectoris huius habes.
Sic equidem tua me uirtus tibi fecit amicum,
  Vt tibi deberi carmina multa putem.
Quæ certe dabimus quando hæc placuiſſe ſciemus
  Hæc ſit amicitiæ ianua prima. Vale.

AD IOANNEM MYLIVM HERBI-
politanum Iureconſultum.

Inter

INter amicitiæ quondam pars unica noſtræ
Nomina, nunc etiam maxima docte Myli
Qui tua quàm meritis ſtudia & uirtutibus æquas
Tam ſimul adiunctis legibus iſta polis.
Nec modo ſacra pias illuſtras iura per artes
Sed colis & noſtri Muſica ſacra chori
Crimine quo noſtris tu non ponare libellis
Qualibus his annis ludere cunq; licet.
Cur mea te ſileant tam fidum carmina pectus?
Quæ mihi nunc Muſæ qualiacunq; canunt
Namq; nec ignoras quia uena beatior olim
Fluxerit hæc quæ nunc arida facta mihi eſt
Nec tu diſsimulas quia candidiora fuerunt
Quæ mihi primæui tempora ueris erant.
Qualemcunq; tamen uel tempora dura, uel ætas
Serior, admittunt, uena ea tota tua eſt.
Namq; ita tu meritis cumulatum ſemper amaſti
Vt pudeat meritam non retuliſſe uicem.
Et me ſæpe aliquas conantem reddere grates
Hoc graue Muſarum terruit exilium
Namq; quis exulibus in tecta negata Camœnis
In male conſutis audeat ire togis?
Sed quia quæ Muſas potuit contemnere, non tam
Quàm reliquis ratio conuenit iſta tibi.
Et quia tu contempta alijs Phœbæia nondum
Abijcis, & toto pectore ſacra foues

Ergo alacres ad te uultu uenere remiſſo
Non eſt ut quondam Muſa ſuperba mihi
Non ſumpſere graues lauri de fronde coronas,
Has miſeras æquum non habuiſſe fuit.
Non aurum in digitis rutilat, non ueſtibus oſtrum,
Taliter extorres quis coluiſſe uolet.
Simplicis in uultu fidei pudor emicat ipſo
Quem non abiectas dedecuiſſe putas
Si tamen exulibus blandis accedere uerbis
Dignatus fueris non nihil inde feres.
Nam licet hoc iaceant abiectæ tempore laudem
Reddere manſuris uita futura poteſt
Et licet hæc ætas noſtris ſit iniqua Camœnis,
Illis poſteritas æquior omnis erit,
Hæ ſpes abiectas hæc tollunt uota iacentes
Exanimes, ut ſpes nulla ſuperſit, erunt.
Et neq; nos ideo fugiunt, neq; ſpernimus illas
Qui colimus, quoniam commoda nulla ferant,
Sed magis hoc illas colimusq; & amamur ab illis,
Noſtra quòd à fato gloria maior erit.
Adde quod ingenui non eſt hoc pectoris, iſtud
Metiri ſola commoditate decus.
Diuitias animi mirantur ad omnia parui
Quas qui contemnit maximus ille uir eſt:
Mirentur quicunq; uolent, dum laudis auarum
Me non hoc uitium pectus habere ſinat.

Quo tamen iſta? Myli doctiſsime forte requires
Vt uideas quàm nos tempora dura premant
Iam mea Cumanas æquaſſant carmina frondes
Noridos armiferæ donec in urbe ſumus.
Eſſet Meonio iam notior Heſsus Homero
Quà patet Hercyniæ nobilis ora plagæ
Si quàm tu noſtras adamas laudasq́; camœnas
Tam uulgo charæ plauſibilesq́; forent.
Ergo quid aſsiduis iuuet indulſiſſe querelis
Et toties ſurdis auribus iſta loqui.
Quandoquidem noſtros ita ferrea corda ſub annos
Truſerunt ſtudijs fata inimica bonis
Vt licet ipſe ſuis monſtris comitantibus Orpheus
Protinus è ſtygia redditus extet aqua.
Non tamen hæc moueat qui mouerat omnia quondam
Pectora Sitonia frigidiora niue
Sed ſtupeat potius ſe ſaxa ferasq́; canendo
Quàm poſſe hos homines ducere quò ſit opus
Vſq; adeo ſtupidos homines, tam frigida corda
Tam prauos mores tempora noſtra ferunt.
Hæc queſtum toties iterum tibi dura libebat
Tempora, ſed Muſa non ſine teſte, queri.
Quæ nulli melius poteram chariſsime queſtum
Quàm tibi lugubres mittere Pieridas.
Vt ſimul officij memorem fateare fuiſſe
Quòd tibi amicitiæ iura dedere meæ

Et cauſſam poſſes cognoſcere, reddita quare
Sit tibi adhuc dextræ littera rara meæ.
Et tibi ſæpe meæ doluerunt uulnera Muſæ
Et mecum iniuſtas queſtus es ipſe uices.
Poſthac ſi dabitur, ſi littera noſtra placebit
Plura feres noſtra carmina ducta manu
Nam quoniam ſemel auſa tuos adijſſe penates
Eſt mea non ſolitis Muſa referta iocis,
Poſtmodo nec quæſiſſe tuas reuerebitur ædes
Sit licet arentes extenuata genas,
Interea noſtris ſupereſſe precare Camœnis
Vt poßint fato proſperiore: uale.

SEBASTIANO MAGNO. V. C. Norico.

SVbdola mendacis quereris conuicia linguæ
Ex aliqua famam lædere parte tuam.
Nec noua, nec noſtro res admiranda ſub æuo
Quam quereris, quam te lædere Magne doles.
Digna nec aßiduis ratio fuit iſta querelis
Contemptu potius prætereunda graui.
Nam ſibi quæ conſtat, quæ mens ſibi conſcia recti eſt
Nulla leuis uulgi murmura uana timet.
Verum animus ſcelerum depreſſus uulnere, ſemper
Aeſtuat, alterius fata ſecunda uidens.
Quando igitur nulli turpant tua pectora neui
Quid tibi qui malus eſt quòd bonus eſſe nequit?

Cur

Cur te uana leuis turbent mendacia linguæ?
Inuidiæ ne ſuum uirus ineſſe doles?
Me iuuat opprobrijs lacerari ſæpe malorum
Dum mea ſit nullo crimine uita nocens
Liuor iners animum ſynceræ laudis amantem
Excitat, hoc uirtus languida calcar habet.
Liuidus ipſe ſibi quantum uolet arroget oſor
Syderea captos detrahat arce deos.
Dum tibi tu conſtes, dum ſis ſine crimine uitæ
Cur metuas de te qualiacunq; loqui?
Quin age fer potius ſortem patienter iniquam
Crimina liuoris fer mala, uictor eris.
Aurea degenerem ſuperat patientia faſtum
Si meruit certam littera ſacra fidem
Quare age Magne tuæ gentis decus, abijce tales
Curas, ſunt animo certa uenena tuo.
Vis etenim uitaq; Deo meritisq; placere
Atq; hominum ſtudijs officijsq; coli.
Cura ſit errantem dubijs in rebus Vlyſſem
Qua ſe, quáq; ſuos extulit, arte ſequi.
Qui uagus Ionij dum nauigat alta profundi
Pertulit in medio monſtra canora mari.
Quæ quia blanda ferunt certam per carmina mortem
Incautasq; ſolent præcipitare rates.
Obſtruxit comitum ceris retinacibus aures
Ne dulce incautos perderet exitium.

Sic quia nunc totum blandæ Sirenes in orbem
Se uelut è medio deuolûere mari.
Si ſapis obde tuas certis rationibus aures
Nec uento expoſitas cuilibet eſſe ſine.
Sæpe quidem quæ non uelles audiſſe dolebis
Sæpe audita etiam quæ placuere nocent.
Nec leuia ambigui moueant te murmura uulgi
Seu tua diffament nomina ſiue probent
Solius iſta ſuo qui temperat omnia nutu
Arbitrium ſpecta iudiciumq́; proba.
Qui nihil ut neſcire poteſt, nec fallere quenquam
Sic nulla falli conditione poteſt.
Fallitur humanas ratio ingenioſa per artes
Et cæca eſt cum ſe cuncta uidere putat.
In domino confide igitur qui facta rependet
Omnibus attribuens omnia lance pari.
Ille ut uera bonis æternaq́; præmia ſoluet
Vindice ſic culpæ puniet igne malos.
Ne quem uana igitur tollat fiducia, quo ſe
Illius arbitrium poſſe latere putet.
Cuncta uidet uigilans oculos Iouis, omnia nouit
Nec peccare oculum te pudet ante Dei?
Siue audita igitur moueant te uiſaue turbant,
Si ſapis, hæc ſoli defer, & iſta Deo.
Sic te nulla hominum famæ contagia lædent,
Fortis, & inuicto pectore ſemper eris.

Viue

Viue meis dicende iterumq́; & ſæpe camœnis,
Paucaq́; quæ dedimus conſule Magne boni.

PHILIPPO MELANT.

VNica Muſarum morientûm uita Philippe,
Quàm merito laudē nominis huius habes
Vt reliquæ taceāt noſtræ tua facta loquētur
Contigit his certe munere uita tuo.
Ad uada nam miſeri cum iam morerentur Hieræ,
Prorſus & humana deſererentur ope.
Ad uada duxiſti miſeras Pegneſidos undæ,
Hinc noua quæ uenit mollior aura fuit.
Illic exulibus domus eſt duce parta Philippo,
Nunc domus eſt Muſis eſſe ubicunq; licet.
Nam quia ſola ſuas urbs nouit Norica dotes,
Artibus ingenuis ingenijsq́; fauet.
Quanquàm ô, ſed triſtes ut amant hæc tēpora Muſas
Præcipua hic populus laude uehendus erat.
Nam plenos optare gradus priſcumq́; nitorem,
Ingenij ſpecimen deſipientis erat.
Nunc ea ſors miſeris ſtudiorum eſt facta ruinis,
Vt quota ſit, miſeris eſſe licere, ſalus.
Sed tamen hanc alia dudum ratione querelam,
Heu nimium ſurdis auribus occinui.
Et te ſæpe meis memini ſubſcribere Muſis,
Atq; eadem ſimili fata dolore queri.

Extant & totum uiuunt tua ſcripta per orbem,
Quis neſcit nomen docte Philippe tuum?
Nam tu ſiue probas ſeu nolis eſſe quod audis
Non poterit fieri fama maligna tibi.
O merite eximiam laudem uirtutibus iſtis,
Eſſe quibus miror te potuiſſe parem.
Tu tamen odiſti meritæ præconia laudis,
Da ueniam, Muſa hæc ſemper inepta fuit.
Et quoniam non uis ad te tua nomina mitti,
Venturis de te gentibus illa canam.
Nunc ut ad incœptum redeat mea Muſa laborem,
Quæ quod habet totum debet & omne tibi.
Iam quater Auſtrinum ſol declinauit ad axem,
Torrida iam Cancri brachia quarta petit.
Poſtquàm me his terris & in hac regione morantē,
Qualicunq; oculo lubrica diua uidet.
Tempore tam longo, quæ fas eſt omnia teſtor,
Nil niſi te coram non habuiſſe queror.
Conſilijsq; tuis licuiſſet & omnibus uti,
Quæ tibi tam large parca benigna dedit.
Eſſet eo melior quo nos fortuna remouit
Longius, & quererer triſtia fata minus.
Quanquam non alicui ratio eſt hic iuſta querelæ
Omnia quàm merui ſunt meliora mihi.
Sola meis tua defuerat præſentia rebus,
Namq; futura loco numinis illa fuit.

Sed quo

Sed quoniam nobis fortuna ea uota negauit,
Qua uice ſolati poſſumus eſſe, ſumus.
Interea pro te nobis tua ſæpe loquuta eſt
Littera, quæ ſpecimen mentis & oris habet.
Nunc quia te nobis eadem fortuna propinquum
Fecit, & hac cupidis parte benigna fuit.
Mœnia Franciaci iam deſere parua Cobyrgi,
Magnaq́; cum ſocijs Noridos urbis adi,
Hoc uolet ipſe tuos non ultimus inter Ionas,
Hoc, niſi non noui te, Spalatine uoles.
Atq; utinam uoto pius ipſe adſuimat eodem,
Nec graue nec nimium grande Lutherus, iter
Si tamen hoc ſtultum eſt optare, nec utile forſan
Qui prius hunc miſit quo uolet ille ferat.
Nunc per amicitiæ te iura nouiſſima noſtræ,
Per ſtudia & Muſas, utraq; noſtra, rogo,
Vt uenias, nec te ulterius patiare rogari,
Cur te aliquid moueat quàm mea Muſa magis?
Quæ ſi, quod ſuperi faciant, te forte mouebit,
Non poterit prorſus diſplicuiſſe mihi.

EXIMIO MEDICO D. IOANNI
Magebuccho.

Docte ſimul medicas tractare fideliter artes
Et quaſcunq; ſimul noſter Apollo probat
Accipe degeneris munus Leuidenſe poetæ
Quod facit obliti muneris eſſe ſui.

Qui quamuis animi curis grauioribus hæres,
Quàm tibi ut hæc poßint friuola ſcripta legi.
Dum tamen abſiſtes curis animoq; uacabis,
Scripta leges Heßi qualiacunq; tui.
Atq; etiam quamuis ſtudijs melioribus hæres,
Quàm leuia ut poßint noſtra placere tibi.
Dum tamen à ſtudio forſan meliore uacabis,
Ceu fatuas betas iſta parerga leges.
Vel quia ſit ſtudij nobis communis Apollo
Autor, & ex illo nomen uterq; trahat.
Vel quia nos ratio uinclo propiore ligârit,
Et ſit amicitiæ noſtra probata fides.
Debes exigui munus Megabucche poëtæ,
Credere non falſi pectoris eſſe notam.
Et me, ſi nimium eſt, primis adſcribere amicis,
Extremos inter nomen habere pati.

AD EVNDEM

NAte Machaonias ſtudijs melioribus artes
Iungere, ceu blandis lilia uerna roſis.
Conſulis ut medici ſubeam penetralia Phœbi
Quo duce Muſarum ſit uia trita mihi.
Atq; ita me duplicis referam ſub Apollinis umbram,
Quòd foueat ſimplex quàm geminata minus.
Et quæ contemptæ iaceant hoc tempore Muſæ,
Quas nec fama leuet, ſed premat atra fames.
Frigentes

Frigentes Muſas Coos conſoler ad ignes,
Vt faueat cauſſæ Phœbus uterq; meæ.
Agnoſco non ficta animum pietate refertum,
Agnoſco fidei munera plena tuæ.
Verum qua ratione ſequar teneamq; quod opto,
Conſule, ſi uere quæ facis iſta facis.
Sed neq; difficilis labor eſt duxiſſe uolentem,
Et uia non adeo eſt hæc peregrina mihi.
Et uideor, faueat modo uirgine natus Apollo,
Inueniſſe uiam qua tua iuſſa ſequar.
Cætera quæ breuibus non cœpit epiſtola uerbis,
Quàm cuperem tecum uir memorande loqui.
Nunc totam Phœbus te diſtrahit iſte per urbem,
Idem qui reſidem me iubet eſſe domi.
Ocia ſed multo furari pauca labori,
Si potes, hæc Heſſo da Megabucche tuo.

ELEGANTISSIMO POETAE IACOBO MICYLLO SVO.

CAndide Pieridum iuſtiſsima fama Micylle,
Inter qui Muſas temporis huius habent
Scribis, ut admonitus toties totiesq; rogatus,
Non referam ſcriptis mutua ſcripta tuis.
Arguis, & merito, manifeſti criminis Heſſum
Et potes hæc iuſto facta dolore queri.

Quid loquar? unde trahã quæ cauſæ indicere poſſim
Qui me damnatum non ſinat eſſe color?
Intentam ne aliqua culpam ratione tuebor?
An fatear certi criminis eſſe reum?
Vt tuear poſſimq; nocens non eſſe uideri,
Quis dabit ut non ſim conſcius, eſſe mihi?
Vt fatear ueniamq; queam meruiſſe uideri,
Quis dabit ut uerum, quod datur, eſſe putem?
Sicut in ambigua poſitus regione uiarum,
Non ſatis exactum quo ſit iturus habet.
Sic me iudicij duplici ſub mole labantem,
Quàm non hoc releuat, tam grauat illud onus:
Et poteram, niſi plus uinci quàm uincere uellem,
Non ægre cauſſam ſuſtinuiſſe meam.
Nam quid amicitiæ noſtræ decus addite, nam quid
Quod tu tam grauiter iure queraris, habes?
Non Iacobe tuis reſcripſimus ulla camœnis
Carmina, non grauibus uerba ſoluta modis.
Ergo tu i noſtrum tenuere obliuia pectus,
Quiq; in eo ſedit tam fugiebat amor?
Dij melius, fidei quàm mutua gratia noſtræ
Tam cadat, aut etiam ſtet ratione leui.
Quamuis hoc quoq; q̃ nõ ſit leue ſcire fatendũ eſt,
Vix magis hæc alijs fœdera rebus ali.
Non tamen eſt ratio quæ me ſatis arguat iſto
Crimine amicitiæ diſſoluiſſe fidem.

Non

Non ſcripſi, quid enim? ſed ſcribere ſæpe uolentem,
Diuerſam ratio non tulit una manum.
Vt taceam ignaui turbis quibus obruar oci,
Mens uaria conſtat conditione ſibi.
Scribere nunc libitum eſt, nunc diſplicet, illius autem
Temporis eſt aliud quàm fuit huius opus.
Iam bona neglecta eſt, mala nunc occaſio uenit,
Adſtruere hæc raro quod tulit illa poteſt.
Sæpe rudes libuit uel inanes mittere chartas,
Sæpe mihi nullus qui tibi ferret erat.
Adde quòd hic animi procraſtinat omnia torpor,
Hei mihi quòd cauſſæ non ſatis illud habet.
Ille tamen ſimplex & fraudum ſemper inanis,
Quod ſæpe inſtituit ſæpe relinquit opus.
Sic tamen ut ſemper tibi candidus eſſet, & idem
Qui fuit, & qualem tu quoq; habere ſoles.
Iam ne uides quia me tueatur cauſſa nocentem
Nulla ſatis? ueniam uerba rogantis agam?
Parce per afflictas communia ſacra camœnas
Credere me noſtram poſthabuiſſe fidem.
Ante feret nullas noſter Pegneſus arenas,
Ante meæ fient Noridos urbis opes.
Deſinet ante tuus Rhenum contingere Mœnus,
Ante retro curſus uertet uterq; ſuos.
Quàm nequeam meminiſſe tui, quàm pectoris huius
Dedita ſimplicitas deſinat eſſe tibi.

Quanquàm longe abſis uicinus habebere nobis
Semper,& hoc ueri pignus amoris habe.
Nam mea ſeu teneras cantabit Muſa capellas,
Quæ ſcandunt uolucri Norica ſaxa pede.
Seu Nymphas quas littus habet Pegneſidos oræ,
Seu quicquid meritum eſt quolibet ore cani.
Semper eris noſtræ quota pars Iacobe Thaliæ
Semper eris Muſæ cura ſecunda meæ.
Tu quoq; ſeu teneras cantabis amice puellas,
Quæ celebris Mœni littora prima colunt.
Seu quæcunq; canes tali cantanda poetæ,
Me quoq; fer partem carminis eſſe tui.
Digna quidem Phœbo canis omnia, dignaq; Muſis,
Si modo ſit Phœbus,ſi modo Muſa ſuper.
Hoc decus inuideo,nec me pudet iſta fateri,
Cærule Mœne tibi,cærule Rhene tibi.
Carminibus uobis Peneus cedit & Hebrus,
Hic uatis cithara nobilis,ille Dei.
Quàm cuperem uobis Pegneſus proximus eſſet,
Aut uos Pegneſo proxima ferret humus.
Noſtra ſimul ueſtras reſonarent carmina laudes,
Et quæ nunc capitis ſingula,bina forent.
Inuida ſed quoniam nobis hoc fata negârunt,
Nos ratione unà qua licet eſſe decet.
Hac ratione ſimul qua diximus eſſe licebit,
Hæc ratio quiddam corpore maius habet.

Nec tu

Nec tu credideris ſi raro nunc quoq; ut olim
Scribimus oblitos nominis eſſe tui.
Scribemus tamen & uacuas onerabimus aures
Heu quales nugas, qualia monſtra ferent.
Ipſe modum cupies M.ſæ poſuiſſe loquaci
Et modo te nullis auribus eſſe uoles.
Quando igitur queſta eſt pro te tua littera nobis
Scribendo nullam nos retuliſſe uicem.
Scripſimus hæc Muſis dictantibus omnia nobis
Carmina conbuſtis aridiora focis.
Tu mihi reſcribes dictantibus omnia Muſis
Carmina textilibus floridiora roſis.
Et mihi quam debes ueniam tribuiſſe roganti
Non debes cauſſam ducere, ut ipſe roges.
Nam mihi purganti confeſſæ crimina culpæ
Materiæ ereptum eſt commodioris opus.
Poſt meliora dabo ſed liberiore camœna
Infans ſub rigido iudice Muſa fuit.
Et merito, quia ſic auſa eſt committere, cauſſa hæc
Non ornanda igitur, ſed peragenda fuit.
Viue memor noſtri chariſſime frater amoris
Quod precor ut poſſis nomen habere. Vale.

AD HIERONYMVM BAVMGARTNERVM DE THEOCRITO A SE VERSO.

VNice qui uere noſtras Hieronyme Muſas
Officioq́; iuuas & pietate colis.
Nunc tandẽ Siculis ductas è montibus agnas
Paſcere Romani iuſsimus arua ſoli
Cuncta Syracuſij ſunt facta Latina poëtæ
Hactenus à nobis quæ potuere legi.
Sed tamen errat ad huc nec habet grex aduena quen
Quo duce inexpertũ carpere poſsit iter. (quã
Præcipue cum de mediæ ceu barbariei
Finibus in Latias geſtiat ire plagas.
Heu mihi quòd non ſum uel in illo tempore natus
Quo ſacra Muſarum ſpernere turpe fuit.
Vel quòd ab hoc alium non contigit ire ſub axem
Quo magis in precio carmina noſtra forent.
Heu uobis etiam donatæ rure Latino
Quòd melius fatum non habuiſtis oues.
Nam qui uos Sicula nuper deduxit ab Aetna
Quàm metuo in Rheni ne uada præcipitet.
Quæq́; Syracuſia ſaturæ recubaſtis in umbra,
Teutonica timor eſt poſſe perire fame.
Nunc igitur noſtris Hieronyme docte capellis
Conſule, quemue ducem, quodue ſequantur iter:
Nam quod idem noſtro ceſsit male nuper ouili
Eſt opus audaces non habuiſſe pedes
Non tamen optarim quales habuiſſe ſolebant
Simichides capris Vergiliusq́; duces:

Da Muſis facilem media de plebe patronum
Da qui non odio carmina digna putet.
Omnia præſtiteris, nec adhuc querar improba Muſis
Tempora, & hoc æuum laude carere ſuo.
Hunc tamen in tanto populo ſi forte requiris
Da ueniam nimium iuſta querela mea eſt.
Spes tamen eſt aliquem reperiri poſſe poëtam
Qui queat hoc tantum, ſe coluiſſe, pati.
Et niſi præripiunt te commoda publica, uellem
Hæc tecum coram de ratione loqui.
Et ſimul informis partus oſtendere Muſæ.
Pluraq; quæ ſcriptis non potuere dari.

AD IOACHIMVM CAMERARIVM REPETIT THEOCRITVM.

HAllerij prati frondes numerare cadentes
Proxima quas Boreæ flatibus urit hyems.
Par labor & frõdes numerare & ſoluere grates
Debemus meritis quas Ioachime tuis.
Sed licet innumeræ atq; tuo ſint munere tantæ
Quantas difficile eſt perſoluiſſe mihi.
Maiores tamen eſſe uoles, & uelle frequenti
Obſequioq; probas officioq; doces.
Inde fit ut uerear minus eſſe moleſtus, & inter
Rumpere, conari quæ meliora ſoles.

Quare age Simichidæ quæ ſunt tibi ſcripta poëtæ
  Tradita,ſub limam iudiciumq́; uoca.
Atq́; ea tot neuis quot ſunt in littore conchæ
  Oblita,quàm minimo tempore redde precor.
Aut ſi non prohibent inuiſa negocia,nobis
  Quando ea cui tradas ambigis,ipſe refer.

GEORGIO LEVÇIO SVO.

EXtulit Oceano croceos Aurora iugales,
  Phœbæum rutilo ſpirat ab axe iubar
Succedunt placidæ formoſa ſilentia luci
  Syderis hoc uerni dixeris eſſe decus,
Iam reſonant tepidum mulcentibus aëra linguis
  Et blandum tremula uoce queruntur aues.
Turba ſalutantum rutilantia lumina ſolis
  Iam ruit.& paßim lucida rura petunt.
Tu potes occluſo uel ad huc ſtertiſſe cubili
  Tu potes exortum nolle uidere diem.
Me iuuat ad ripam ſtantes Pegneſida nymphas
  Cernere populeis frondibus eſſe graues.
Me iuuat umbrifero uiridantia prata receſſu
  Viſere,quà multo germine ſylua uiret.
Nunc quoq́; ſi non eſt tibi noſtra inimica uoluptas
  Nec ſunt triſticiæ gaudia noſtra tibi.
Surge age,nec graue ſit dulces abrumpere ſomnos
  Mollibus & plumis exeruiſſe caput.

Candide candidius quô nil queat aſſe Georgi
Huc ades exorto dum tepet aura die.
Mollia dum teneri ludunt per gramina rores
Dum ceu naſcenti lux noua pube uiret.

IN ARMINIVM HVTTENI, GERMANIS SCRIPTORES, NON RES DEFVISSE.

TOt ſua ſtat populis geſtarum gloria rerum
Salua, ſuum tot adhuc ſecula nomen habent
Audet ad huc ueteres reminiſci Roma triumphos
Et mortis quádam uiuere parte ſuæ.
Quæ nequit ipſa ſuas oſtendere Troia ruinas
Meonio clarum carmine nomen habet.
Inuida non totas merſerunt funera Thebas
Viuit, ad huc Spartæ non moriturus honor.
Nondum Palladiæ prorſus cecidiſtis Athenæ
Quicquid & eximiæ Græcia laudis habet.
Integra floret adhuc Pellææ gloria gentis
Perſarum nomen fama ſuperſtes habet.
Innumeræ Gentes aliæ ſua nomina ſeruant
Quasq; ſuperuacuum, quasq; referre mora eſt
Vna ſuæ merito fraudata eſt laudis honore
Semper & incelebris Teutonis ora fuit.
Cur ita? quæ nobis res hunc inuidit honorem?
Fida alibi, cur hic fama maligna fuit?

An quia non rebus clari: non Marte potentes?
An quia nos uictos ſæpe fuiſſe pudet?
Non ita, nam rebus nec clarior ulla per orbem
Gens fuit, aut ullo tempore uicta minus.
Cur igitur? quia non rebus, ſed nomina rebus
Quæ facerent ſcriptis nos caruiſſe liquet.
Præcipue cum floreret Germanica uirtus
Et nondum hæc noſtras luxus haberet opes.
Tunc memoranda alijs noſtri geſſere parentes
Tunc rerum uirtus unica cauſſa fuit.
Tunc quia ſcriptorum nos deficere labores
Gloria Lethæas noſtra ſubiuit aquas.
Nondum tota tamen, quoniam, licet inuida, noſtrum
Non potuit totum fama tacere decus.
Et ſparſim Romana ſuis ea littera rebus
Inſeruit, quæ nunc pauca ſed apta uides.
Atq; ea, ſi quæras, quæ ſunt & qualia, debes
Hutteni patriæ uindicis eſſe memor.
Is quæſita ſuis patriæ monumenta libellis
Aedidit, & lucem iuſsit habere nouam.
Nam quia ſparſa, alijs incognita, quæq; latebant
Qui legeret rarus quiq; teneret erat.
Ille ſuas patriæ laudes atq; eruta paßim
Nomina digna legi, fecit ubiq; legi.
E quibus unus hic eſt quem condidit ipſe libellus
Sed non auſpicijs ædidit ipſe ſuis.

Namq;

Namq; immatura præreptus morte reliquit
Hunc quoq; ceu partem funeris eſſe ſui.
In quo ſi qua leges non qualia forte requiras
Parte bona ueniam qua mereatur habet.
Condidit Huttenus non ædidit, ergo futurum
Quod fuerat melius conijce, quicquid erat.
Hunc tibi Mauricius gentili Huttenus honori
Fidus ab æternis noctibus adſeruit.
Hic ferus Arminius patrijs qui uictor in armis
Afflixit uires Martia Roma tuas.
Hic niſi ad huc iuuenis perijſſet fraude ſuorum
Tu dominus Tybridi Rhene futurus eras.
Hunc quòd habes patriæ lector ſtudioſe libellum
Hutteno debes munera prima tuo.
Altera Mauricio, Ioachimo tertia, nobis
Quarta, aliquis nobis ſi locus eſſe poteſt.

Finit Liber Sextus
Syluarum.

HELII EOBANI HESSI SYLVARVM LIBER SEPTIMVS,

OMNIBVS BONIS REBVS ORNATISſimo uiro D. Caſpari Scheto Antuuerpiano amico ſuauiſſimo ſuo.

PVRA SCHETE FIde nuper mihi cognite Caſpar
Dũ noſter uultus uidit Hiera tuos.
Dum uelut Aonidum cœtu comitãte ſubiſti
Mœnia Thuringi non bene culta ſoli.
Non tamen ex illa hanc tibi mittimus urbe ſalutem
Quæ tibi uix bidui tempore culta fuit.
Sed qua monte ſitam celſo uagus alluit urbem
Qui uix nota tibi nomina Lanus habet
Nunc ſiquidem noſtris Martburgum nobile Muſis
Gaudet, & hoc aliquid nomine laudis habet
Ex illa hanc igitur tibi mittimus urbe ſalutem
Quæ ſpacio iunctos nos breuiore facit
Te tamen ad parui notum mihi flumen Hieræ
Fecit amicitiæ non uiolanda fides.

Hæret ab hoc animo noſtro tua tempore uirtus
Quæ tibi per Muſas contigit ante diem.
Nam licet in primo uernet tua flore iuuentus,
Iam tamen ingenij dona uirilis habet.
Et cum diuitijs ualeas, cum rebus abundes,
Qualibus eſt omni uita colenda modo.
Non tamen ulla tuam uentoſa ſuperbia mentem,
Non animos tollit gloria uana tuos.
Macte animo famam paries uirtutibus iſtis,
Quæ tibi non falſa laude perhennis eat.
Scribis ut eximij commotus laude Philippi,
Frigida Saxonidos ueneris arua plagæ,
Scribis & ut noſtræ commotus nomine famæ,
Liqueris Antuerpi mœnia culta tui.
Hoc ueræ uirtutis opus, non teſte, nec ullis
Exemplis, quorum uoce probetur, eget.
Vt ueteres taceam, quorum ſunt nomina cœlo
Proxima, habent etiam tempora noſtra fidem
Ipſe ego ſuauil: qui miratus nomen Eraſmi,
Milibus excurri bis quater usq; decem.
Temporis in mentem quoties uenit illius, optem
Tam me retrogrados non habuiſſe pedes.
Inclyta namq; mihi neq; tunc Antuerpia uiſa eſt,
Cum tamen à tanta proximus urbe forem.
Et mihi nunc animum toties dolor intimus angit,
Deſidiæ quoties ſum memor ipſe meæ.

Atq; utinam cœpto è curſu me cura meorum,
Et nimius patriæ non reuocaſſet amor.
Omnia uidiſſem tantam ſpectanda per urbem,
Vidiſſem patriæ mœnia clara tuæ.
Forſitan & meritæ de me bene pulchra dediſſem
Nomina, poſtremum non habitura decus.
Pœnitet his etiam non me propioribus uſum
Ingenijs, quibus urbs nobilis iſta uiget.
Sed tamen iſte dolor decreuit tempore ab illo,
Quo mihi amicitia iunctus es, ipſe tibi.
Gratulor uxoremq; tibi cum dote pudicam,
Quam forma Venerem uincere poſſe ferunt.
Gratulor inde & opes, quibus es digniſſimus, iſtas
Quas tibi perpetuo creſcere fata uelint.
Nunc tibi longa uetant ceſſantes carmina Muſæ
Scribere, ſcripturæ ſplendidiora breui.
Viue memor noſtri plures mi Caſpar in annos,
Quàm fuerint Pylij ſæcula tota ſenis.
Viue tui ſicut debes non immemor Heßi,
Qui tibi fraterno eſt iunctus amore. Vale.

INCLYTO MEDICO D. GEORGIO
Sturtiadæ Erphurdiano.

NOnnihil heſterna quãuis me nocte grauârint,
Deprompta è lacubus dulcia uina tuis.
Nõ tamen immemorẽ potuerũt reddere, tanq̃
Tarda meam Lethes traxerit unda ſitim.

Ac mea

Ac mea ſi Stygio quaſſarit tempora ramo,
Exicio uenit qui Palinure tibi.
Non adeo mihi uina nocent tua docte Georgi,
Non adeo Muſis ſunt inimica meis.
Quin potius calidam ſtimulant in carmina mentem
Qua famam bibulus laude Cratinus habet.
Cumq; corymbiferi nobis ſint numina Bacchi,
Natura ſtimuli conciliante loco.
Quid mirum ſi tum Muſis quoq; digna canamus.
Cum Baccho & Muſis pectora noſtra calent.
Non igitur credes nobis obliuia Bacchum
Ducere, ſed memores uera docere loqui.
Mittimus ergo tibi promiſsi ſcripta Sereni,
O uir Apollinea pluribus arte prior.
Miſerat hunc nobis doctiſsimus ante Philippus,
Dum mea Pœonias Muſa petebat opes.
Accipe non falſi grato leue munus amici
Pectore, ſæpe etiam munera parua iuuant.
Tu quoq;, ne gratis dederim, mihi mitte uiciſsim
Vina ſed è uetulis fecibus uſta. Vale.

AD EVNDEM IOCVS.

Vade, ſed hæc mādata meis fer epiſtola uerbis
Omnia cui debes maxima Sturtiadæ.
Qua domus aligeri iuuenis ſignata figura
Stat uetus, & media ſeruat in urbe locum.

Quæ quia Mercurio ſacra eſt & Apolline gaudet
Præſide, non alij eſt quàm tibi nota magis.
Illic hæc uerbis mandata fidelibus ædes,
Si modo muta aliquid littera uocis habet.
Non quia forte tuas non ſit rediturus ad ædes
Heſſus ab hoc hodie limine fecit iter.
Sed tibi quòd uoluit uenturam indicere cœnam,
Quod melius per me quàm ſua uerba poteſt.
Tu modo deplumes merulas aliasq; uolucres,
Mercurij nitido ceperis aucupio.
Has fora, certa fides, tibi piſcatoria præbent,
Ni tua iam captas Angelopyrgus habet.
Quicquid id eſt iuſſit uenturam indicere cœnam
Siue tibi piſces, ſiue parentur aues.
I nunc inſtabiles ludendo falle poëtas,
Omnia ut in cœnam ſordida lucra feras:
Rectius hoc nobis ceſſiſſes uile lucellum,
Sic poteras cœna commodiore frui.

MATHEAE CAPELLAE
PHILONI SVO.

Montibus Heſſiacis errantes ſæpe capellas
Vidimus & multo paſcua plena grege:
Vidimus agreſtes errare per auia nymphas
Quas uaga difficilis per iuga traxit amor.
Vidimus & fluuios & amœnos uidimus amnes,
Quosq; ſacros fontes Heſſia diues habet.

Terra ferax frugum quicquid tenet Heſsidos oræ
Vidimus, & ſyluas, culmina, ſaxa, feras.
Mœnibus excelſis munitas uidimus urbes,
Vidimus immenſis oppida cincta uadis.
Sed facile hæc uidiſſe fuit, rurſumq́; uidere
Forte etiam tempus quando libebit erit.
Te uidiße ſemel tot iam labentibus horis,
Hoc opus Herculei pene laboris erat.
Te ne uagabundis per colles orte capellis,
Tam procul à nobis una capella rapit?
Et tamen eſt noſtræ patriæ cognominis Aeglæ
Nec potior nobis Naias ulla fuit.
Sed ſoceri faciunt ſi tanta negocia Fauni,
Vellem deſineres talibus eſſe gener.
Quod faceres potius quàm regia ſceptra gerentem
Deſereres ullo tempore chare Philo.
Ne pro rege igitur ſæuum experiare tyrannum,
Contemptis Faunis regibus hoſpes ades.
Sic tamen ut pranſus uenias, nam noſtra moleſta
Obſita pauperie tota culina uacat.

M. HENRICO DVCI.

INclyte dux & amicitiæ comes unice noſtræ,
Cui mea ſunt ſolida pectora iuncta fide.
Si tibi quæ poſſem perſoluere nulla negaui,
Si fuit officij pars tibi fida mei.

Huc uenias decimam cum linea conteget umbram
Non bona ſumpturus prandia, lauta tamen.
Sic tibi conditio cedat pulcherrima ludi,
Cuius honorifica munera ſorte geres.
Sic tibi ſit facilis qui pulchræ præſidet Halli,
Quo nihil eximius Teutonis *ora uidet.*
Sic in amicitia tibi ſint coniuncta perenni
Omnia ridentis pectora blanda Croti.
Nam quia diuerſas abituri accingimur urbes,
Quod reliquum eſt unà temporis eſſe decet.

EIDEM.

Q Vod nos plena uident abituræ cornua lunæ,
Nil miror, nanq; hæc nos recidiua manet
Cornua nam Lunæ *toties redeuntia, noſtræ*
Eſſe breuis uitæ tempora parua, monent.
Ergo quod eſt reliquum, debemus credere, nobis
Quàm quo lætemur, temporis eſſe nihil.
Cætera ſunt hominum uanis obnoxia curis,
Vera uoluptati uiuere uita fuit.
Sic tamen ut ratio conſtet nec ſola uoluptas
Ingenium uegetis uiribus eſſe uetet.
Vtq; ſolent doctis conuiuia noſtra libellis
Plena, ſuis ſcriptis pocula noſtra premant.
A quarta uenies igitur dux optime, tunc te
Excipiet ſumptu noſtra culina breui,

Non tamen hinc alium ſine me cras ibis in orbem,
Nam tibi erit pro me littera noſtra comes.

D. IOANNI FICINO CAN=
CELLARIO..

VEnimus Heßiaci tandem uaga flumina Lani,
Vnde abſunt patriæ non procul arua meæ
Quæ puer annorum uernans in flore reliqui,
Nunc repeto uerſo ſydere pene ſenex.
Scilicet & rerum fuit hæc fortuna mearum,
Et ſeriem fati uincere nemo poteſt.
Tu nunc præcipue noſtris Ficine camœnis,
Tu mihi nunc reſona ſæpe canende chely.
Nunc tibi in hanc patriam deductas adſere Muſas
O uir ab hoc animo non habiture parem.
Hoc animo quo iura Scholæ nunc adſeris huius,
Adſere qua debes omnia noſtra fide.
Et me magnanimum, ſicut facit, ante Philippum
Laudis amatorem ſis memor eſſe tuæ.
Certe ego, fata ſinant & fati maximus autor,
Hic etiam patriæ pars quota laudis ero.
Si potui externos meritis ornare Penates,
Inuideam patriæ cur decora iſta meæ?
Quæ me nunc reducem uultu exhilarata ſereno,
Excipit, in læto ceu poſitura ſinu.
Tu modo præſidium reducis Ficine Thaliæ,
Digneris rebus dexter adeſſe meis.

CASPARI RVDOLPHO

Reddita quæ nobis à te modo littera uenit,
Perlecta eſt oculo uix uigilante mihi.
Nã caput heſterno grauidũ torquebar Iaccho
Et modo de plumis uix releuatus eram.
Sed quæ tu nobis ingrata fuiſſe uereris,
Ante oculos culpam non habuere meos:
Quare age mitte graues læto de pectore curas,
Et mox ut uideas prandia noſtra ueni.

PRO INGRESSV IN SCHOLAM
Martiburgenſem de ſeipſo.

Ille ego qui primo uernans in flore iuuentæ,
Deſerui patriæ dulcia rura meæ.
Iam ſenior decimi ſpectans confinia luſtri,
Huc refero feſſos per loca multa pedes.
Quæ mihi Parrhaſia tot ſunt peragrata ſub Arcto,
Quæ uagus innumeris Sarmata bobus arat.
Qua caput & profert, & fertur in æquora Rhenus,
Qua uelut in centrum Teutonis ora coit.
Erranti ut quadam tenus aſſimulatus Vlyſſi,
Poſt patriæ reddar bis tria luſtra meæ.
Vt qui præcipuas Germani nominis urbes
Verſibus ornarim non ſine laude meis.
Idem nunc patriæ non tantum nomina famæ,
Verum etiam fructus & pia facta colam:
Quamuis Heſſiacas non uno in carmine laudes,
Et patriæ clarum pinximus ante decus.

Dum canimus noſtris Latias in montibus agnas
Fama meo patriæ parta labore fuit.
Dum canimus ſanctas iuuenili Heroidas auſu
Carminbus noſtris Heßia nomen habet.
Scripta tot eximijs Epicedia manibus extant
In quibus eſt patriæ nobilis huius honor.
Quid loquar inuicto nuper data ſcripta Philippo?
Immemor an patriæ noſtra Thalia fuit?
Omnia quid memorem, nec enim libet, Heßidos oræ
Dicta meo uerſu nomina mille liquet.
Forte tamen fuerat plus inuentura fauoris
Iſta mihi in patrio gloria parta ſinu.
Quod quia noſtra aliò ducentia fata negârunt
Nil ea quod merito cauſſa queramur habet.
Quin potius reliqui quantum deus annuet, æui
Debetur patriæ, temporis, omne meæ.
Quare age Lanicolæ qui Pallados incolis urbem
Et cultum ingenij quemlibet inde petis
Omnia læta tibi de me promittere debes
Poſtquam nunc reducem me patria iſta uidet.
Non erimus patriæ indecores nec inutilis oci
Vllum de noſtro nomine crimen erit
Liquimus aſſueti te propter littus Hieræ
Cultaq́; in Heßiacæ uenimus arua plagæ
Huic modo fert animus ſtudio inſeruire fideli
Si ſinat hoc, qui nos quod ſumus, eſſe ſinet.

Cætera fatorum ſeries moderabitur, & qui
Sub pedibus fati iura ſubacta premit.

CASPARI RVDOLPHO SVO.

SEu te muſta iuuant ſeu uina uetuſta requiris,
Pars noua amicitiæ docte Rudolphe meæ.
Huc ades Heſperium dum ſol declinat in æquor,
Dum uocat ad cœnam linea quinta, ueni.
Pauca tibi in uacua ponentur holuſcula menſa
Non habet auguſtas parua culina dapes.
At bellaria erunt menſæ non uana ſecundæ
Vina, ioci, riſus, ſcommata, uerba, ſales.
Iam rumpent uacuos inamœna negotia luſus
Temporis utamur conditione dati.

FORIBVS SCHOLAE MARTIBVR-
genſis affixum.

CArmina deſidibus nuper properata Camœnis
Aedideram, toti pauca legenda Scholæ
Quæ quia per totam ſine me uulgauerat urbē
Qui deſcripta typis iſta legenda dedit.
Nunc alia ratione, alio ubi carmina ſenſu
Hæc damus, ut ne bis una eademq́; legas.
Vtq́; ſcias noſtræ quæ nunc ſententia menti
Inſideat, quod ſit quod meditemur opus
Cras ubi purpureos aurora reduxerit ortus
Nonaq́; iam clarum fecerit hora diem.

Pauca tibi in noſtrum præſabimur orſa laborem
Quæ nunc eſt humeris res obeunda meis
Quam uicina nouo Pomæria nomine ſignant
Illa domus noſtri prima laboris erit.
Hæc tibi nunc rerum pubes ſtudioſa bonarum
Duximus officio ſignificanda breui
Nos ubi Lanicolæ ſors inſinuauerit urbi
Plenius, è nobis commoda plura feres.

IN LIBELLVM D. IOAN. DRA
conitis.

POſtquam eſt aperta & explicata ueritas,
Per ſcripta Chriſtiana per uerbum Dei,
Vt ipſius uel è media plebe infimi
Myſteriorum conſcij, nil ambigant
Quin conſtet antiChriſtidos regnum Scholæ
Veniſſe in iſta & perdidiſſe tempora
Quid ni fateamur antichriſton impium
Exterminandum Chriſtianis omnibus
Et perſequendum Chriſtianis omnibus
Conſtante ueritate, ſcriptura, fide
Ne pergat ultra Chriſtianos fallere?
Tyrannica crudelitate, fraudibus
Si forte quæris illius potentiam
Nouiſſe plusquam regiam potentiam
Autoritate quæ ſit ad uerbum dei
Quod ipſe deprauârit improbiſſime

Et plura eodem ſcripta pertinentia
Hæc cerne ſcripta quæ Draconites tibi
Sed ſcripta pauca, at erudita condidit
Quæ Chriſtianæ ueritatis maximam
Partem, ſcopumq; perſequendum continent.

PETRO NIGIDIO

QVæ natat in noſtro uiuax anguilla catino
Venit & eſt facili præda paranda manu.
Talia enim nobis perſæpe, ſed æris auaræ
Lanicolæ mittunt munera Naiades
Quæ ſi tam faciles, quàm ſunt ad munera doctæ
Ad uix nota uagæ Cypridos arma forent
Sæpe ego piſcari cuperem, retinentibus ipſis.
Explicitæ nobis humida lina plagæ
Quæ tibi amicitiæ decus & comes unice noſtræ
Petre, minus faciunt, abdita uerba, ſatis.
Huc ades ad decimam cum linea defluet umbram
Et uacuæ pones garrula ſceptra Scholæ.
Huc ades excoctum ſumpturus ab ignibus anguem
Sed cui non aliquod uirus ineſſe putes.
Tu niſi nemo aderit, niſi ſolus adeſſe graueré,
Et poteris paruas eſſe Capella dapes
Mox te Petre tuis poſt prandia ſumpta remittam
O pateras mecum non bibiture graues

D. MATHEO HERDENIO IVRE-
conſulto.

Docte

DOcte ſacras Latiò leges ueſtire lepore
Seu libeat patrij χεύματος ore loqui
Quid tibi nunc iſto referā pro munere grates
Quo te ſum factus iudice dignus heri
Venatus lepidos per Muſica prata lepores
Quid lepores mittis docte Mathee mihi?
Qui tibi nec lepores poſſum nec mittere damas
Deſine, ſedulitas nil habet iſta lucri.
Si tamen hoc ſpectes quia uerba remittere poßim
Atq; aliquod uerbis pondus ineſſe putas
Iſto uincemus locupletes nomine Crœſos
Non aliquis uincet munera noſtra Midas
Non tamen iccirco mihi non donatus abibis
Atq; aliquo certe munere noſter eris
Quod mihi quodq; tibi qua ſit ratione futurum
Hoc totum melius ſæcla futura ſcient
Ne tamen ingratus uidear tibi, neue tacendo
Suſpitio faſtus arguat ulla meos.
Te precor occiduas ubi craſtinus ibit ad undas
Lucifer, & quartam traxerit hora notam
Huc age frugali cœnæ conuiua futurus
O proprijs meritis ſæpe rogande, ueni.

AD CASPAREM RVDOLPHVM

SI forſan libet & potes redire
Ad nos Caſpar amabilis redito
Nec magnam tibi pollicere cœnam

Sed parcam modicamq; lautulamq;
Qualem ponere pauperes Poetæ
Nec Iuris ſoleant tibi magiſtri
Nec ſacri ſoleant tibi magiſtri
Inter fercula magna concionum
Sacrarum. quis enim precetur illis
Quàm ſic uiuere, uiuere & ſuêrunt.
Sed tu nunc ades hic tibi parata eſt
Frugi cœnula, non ſuperba luxu
Quam gallinula finiat, nec ultra
Eſt quod tu metuas graues culullos.
Si forſan tibi non uacat uenire
Ac ſi ueneris, eſt perinde nobis.

IN LIBRVM CORVINI AD D. FI *cinum Cancel.*

HEroum ſi grata tibi Ficine feruntur
Munera, ſi regum qualiacunq; probas
Cur non huius ames uelut aurea dona libelli
Quem dat amicitiæ dextra benigna tibi?
Quem tibi Coruini ſtudijs labor auctus honeſtis
Regis ab æthereæ protulit arce domus
Hunc niſi & argento meliorem credis & auro,
Te quoq; cum populo uana probare putem.
Sed quia te noui talem qui friuola ſpernas
Omnia, qui Chriſti dogmata uera probes.
Non metus eſt quin hunc eciam digneris honore,
Quo conſueuiſti cætera ferre, librum

tuæ quoniam pars non leuis addita famæ,
Iudicio debet carior eſſe tuo
c dare quod poſſet melius Corninus habebat
Nec melius quicquam tempora noſtra ferunt.

ERMANNO SCHELO DANO EQVITI.

N Atales Hermanne tuos uirtutibus æquans
Inde decus famæ nobilioris habes
Accipe promiſſum fidi tibi munus amici
Vix aliquo dignum muneris eſſe loco
ed quia tu ſpectare ſoles quo pectore dentur
Non quàm ſint precio munera miſſa graui
Hic quoq; ſpectabis candoris imagine cygni
Nunquid in hoc animo candor ineſſe queat
Sed quia fama uiret nunquam moritura Poetis
Hic uiridem laurum ſub pede calcat olor
Hæc mihi florentes tribuerunt ſtemmata Muſæ
Gloria nobilior non aliunde uenit
Te quoq; ne dubita chariſſime Schele perhennem
Grata tuis meritis uiuere Muſa dabit
Viue breui melius noſtris celebrande camœnis
Nunc tibi ſcribentem uix breuis hora tulit.

D. IVDOCO HESSO.

A Vrea Chœricolæ uerſu tibi prædia uillæ
Expetis Heſſiaco docte Iudoce cani
Obſequerer ſi digna ſatis per carmina poſſem
Ringlebi nitidas dicere ruris opes.

Ad tales memini maior mihi gratia luſus
Aonis, & quondam blandior aura fuit
Cum mihi natiua ſpirarent indole uerſus
Funderet & largas copia diues opes
Carmina cum faciles mihi paſtoralia Muſæ
Et facili canerent paſcua læta pede
Cum mihi Chriſticolas Heroidas ore canentem
Imberbi, ſtupida Viſtula uidit aqua.
Tum mihi ridebant per carmina læta Camœnæ
Tunc fuit ingenij gratia plena mei.
Excluſit faciles ætas nunc ſerior annos
Et nunc eſt ratio quæ Venus ante fuit.
Non adeo tamen iſta prior natura reliquit
Non adeo eſt Muſæ gratia nulla meæ.
Vt me non moueant genitiui gaudia ueris
Quasq́; agit immenſas fructifer annus opes.
Vt non flumina amem cultis uiridantia ripis
Paſcuaq́; & pinguis iugera læta ſoli
Iſta placent certe feriantibus omnia Muſis
Muſica namq́; urbes ocia peius alunt.
Talia cum nuper nobis uidiſſe uoluptas
Eſſet & hic animis incaluiſſet amor.
Hos tibi non aliquo deduximus ordine uerſus
Sed tanquam uarijs ficta parerga locis,
Accipe dilectæ tibi carmina debita uillæ
Tanquam ſigna nouis ſculpta toreumatibus.

MATH.

MATHEAE CAPELLAE SVO.

AN niſi uenißet ſupplex tua uoce rogantis,
Aemula, non factum Muſa tuliſſet opus?
Non ita, nos etiam nulla ſi uoce uocaſſes,
Ad tua facturi limina eramus iter.
Ergo tibi reges aderunt ubi traxerit umbram
Ad ſummum decimæ linea recta notæ.
Tu modo ſicut ais facturum prandia ponas
Sobria, nam nobis ebria nulla placent.
Non ſumus οἰνοβαρεῖς ſed ſobria turba poetæ,
Vnda ſitim nobis non mera uina leuant.
Hæc tibi non opus eſt uera eſſe ut teſte probentur
Quorum tu teſtis proximus eſſe potes,
Sicut enim geminæ uerißima ſomnia portæ
Mittunt, ſic certa ſunt mea uerba fide.
Quare age pro Baccho nobis Acheloia conſtent
Pocula, ſi uerbis credis ineſſe fidem.
Sin ſecus Eulyriæ plenos crateras aquaî
Pone, decent noſtras garrula uerba dapes.

AD D. GEOR. STVRCIADEM IOCVS.

CAede boues, adole pingues holocauſta paras
Appareat eximias craſſa culina dapes.
Omnia pulueribus niteant condita Sabæis
Pixidas euacuet Pharmacopola ſuas.
Perſarum ſuperent epulas tua prandia regum,
Nunc ualeant Siculæ pontificumq; dapes.

Rex conuiua tibi ueniet, quo ditior alter,
Iamdudum Phrygios non fuit inter ὄνους.
Quo neq; ſi uiuat Morychus ſapientior eſſet,
Nec ſatis auriti tibia rauca Midæ.
Quare age Sturtiadum decus immortale Georgi
Diſce uoratrices regibus eſſe gulas.
Præterea ne uina tibi ſuauiſſima deſint,
Diſce tuis bibulas regibus eſſe gulas.
Magna pares igitur magno conuiuia regi,
Eſt æquum magnis magna parare, Vale.

IVDOCO HESSO.

Quæ tu plena mero miſiſti pocula Regi,
Pocula caſſa mero Regulus ecce refert.
Digna tamẽ faciles referẽt tibi præmia Muſæ
Si qua tuis meritis præmia digna ferant.
Docte Camœnarum dulcem ſufflare monaulon,
Quàm uirtus nobis eſt tua digna cani.
Quòd ſi nos cultos inuiſere præcipis hortos,
Et puer hæc de te ſeria dicta refert.
Pura uelut uerni ſplendeſcere lumina ſolis,
Quanq; leuis blandum rideat aura uides.
Quis queat alta domi remorantibus ocia libris
Ducere? quis tetricos ſcribere uerſiculos?
Ingenium uiridis naturæ munera paſcunt,
Carminibus melior ſpiritus inde uenit.
Si uis ergo tuum poſt prandia ſumpta poëtam,
In loca delitijs plena uenire, iube.

EIDEM

SI non prandia pauperis poetæ
Aſpernaris amica, ſed minuta
Sed ieiuna, ſed arida, & puſilla,
Hoc te pollicitum fuiſſe nuper
Nunc debes meminiſſe te futurum
Conuiuam mihi, quo die uolebam,
Atq; is eſt hodie dies, ut ergò
Promiſsis facias ſatis, uenitò
Poſtquàm nunc decimam notàbit umbram
Index linea, nunc uale & uenito,
Ingens Sturtiadûm decus tuorum.

D. IOANNI GRONINGO RECTORI.

PRandia non precioſa tibi ſed lauta parantur,
Palladis ô princeps maxime Chericolæ.
Fercula ſumma dabit ſed non argenteus anſer
Quem Capitolinus Iuppiter eſſe uolet.
Sudat ad ardentes tibi ſed breuis offula prunas,
Et ſtant ad calidum iuſcula pauca focum.
Hæc tibi ſumma dabunt noſtræ ientacula menſæ,
Si qua ſit, eſt alio cœna futura loco.
Nunc igitur Groninge bono cum fratre uenito,
Prandia plena iocis regia diues habet.

APVD CASSELLAS IN SAXO
Portæ inciſum.

FOrtia qui ſtatuit fortiſſimus iſta Philippus
Mœnia, dux patriæ maximus huius erat.
Perpetuo celſas æquatas aggere turres
Cernis, & hæc quo ſint tempore nata rogas,
Mille ter undenis quingentas adijce meſſes,
Et tres, plena nouæ tempora molis habes.

IN EANDEM SENTENTIAM ALIBI
incidendum.

FOelices placido qui tempore mœnia firmant:
Dum nondum ante fores Martia tela ſonant
Sic pius hæc ſtatuit parta iam pace Philippus
Mœnia ab hoſtili tuta futura manu.
Tempora ſi quæras quibus hæc ſit condita moles,
Poſtquàm noſtra ſalus uirgine nata fuit.
Mille & quingentis ter denos adijce menſes,
Et ſex, certa nouæ tempora molis habes.

STVDIOSAE IVVENTVTI S. IN
prælectione Quintiliani.

EYa læta & amabilis iuuentus,
Quæ nunc ingenio calente, primo
Verni as pubere, ſicut in uireto,
Apricis roſa ſolibus renidens,
Florem deſtinat æſtui futuræ
Meſſis, quam ſibi pollicetur amplam,
Cur ignobile ducis inter ipſos,
Quos uirtus parit, ocium, labores,

Vt primis roſa languet à pruinis,
Quam uix frigidulis hyems momordit
Dum uenit noua molliter pruinis,
Quin accingeris, & capeſſis alto
Dignum pectore ſpiritum, tuiq́;
Veris non pateris perire florem,
Aeſtas ut numeroſa ditiorem,
Autumnum tibi comparare poſſit.
Demum dulcis hyems ſequatur, æuo
Iam frigente, negantibusq́; ſuccum
Vitalem ſiue uiribus medullis,
Quod non diuitiæ tyrannidesue
Quamuis immodicæq́; maximæq́;
Vlla ui tibi præſtitiſſe poſſunt,
Vt Crœſi bona ſomnies, ut omnes
Lydorumq́; ſcopulos, ut omne ſpires
Aurum Rex Aſinus quod occupauit,
Vt cedant tibi mille ter Darij
Solæ reddere te queunt beatum
Virtutes animiq́; literæq́;,
Cuſtodes operum omnium bonorum,
Dotes ingenij, beata regna,
Veræ diuitiæ, quibus nec ullæ
Adrepent tineæ teredinesue,
Non fures nec edax peredet ignis,
Non fati uiolenta uis maligni.

Et quod præcipuum dedere cunctis
Dij mortalibus optimumq; donum
Linguæ gratia, format, inſtruitq;
Vitæ munera, facta, dicta, mores:
Atq; ut diſsimiles per hanc ferarum
Sic plane ſimiles ſumus deorum.
O rem montibus aureis priorem:
Hanc (ne longa tuas moleſtet aures
Forſan fabula) concupiſcis? audi
Atq; amplectere, dumq; proſtat hauri,
Plenis fontibus, obuijs labellis:
His eſt Quintilianus uber undis,
Exundans, locupleſq;, prodiguſq;,
Pleno turgidus alueo, per omnes
Campos uoluitur impetu citato,
Et plenis riget imbribus uireta,
Muſarum ſata, Rhetorumq; pulchris
Pictos floribus hortulos, nec ullum
Intactum tibi ſurculum relinquit:
Qui non fructibus exerat trecentis
Ornatum caput, eſſe quid putemus
Iſto dulcius elegantiuſq;:
Quo non eloquij parens Latini
Decertare uolet lubenſq; cedat
Iſto nomine, tanta glorioſi
Virtus eſt Fabij, ut quod inde non ſit

Hauſtum

uſtum deficiat, nec eſſe poßit
uicquam floris amabilis ue ſucci.
ınc talem tibi literata pubes:
ommentabimur explicabimusq́;
unc ſi forſan amabis, huicq́; toto
ıcumbes ſtudio, nihil dolebis:
ed gaudebis adeſſe quicquid usquam
inguæ blandula parturit uoluptas:
ed nunc dicere plura nec licebat:
Nec tutum fuit. Ergo iam ualebis
Eya læta & amabilis iuuentus.

IACOBO MICYLLO.

Carmina flebilibus tibi ſcripta Iacobe camœnis
Vidimus, æterno tempore digna legi.
Qualibus extinctos lachrymis deflêris amicos
Muta prius, iuſſa eſt, Albidos unda loqui.
Albi nimis iuſti triſtißima cauſſa doloris,
Quas dabis, in pœnas non ſatis unus eris.
At tu pars animi noſtri decus addite Muſis
Perge tui fies gloria prima chori.
Tam facili texunt filo tua carmina Muſæ,
Vt ſi ſpectet, opus Pallas amare queat,
Tam fluit in tenero genialis gratia uerſu,
Vt uideare deum paſtus ab uberibus.
Ridet & aptanti digitos ad plectra ſequaces
Accinit arguta blandus Apollo chely.

Albi iterum decus inuideo tibi nominis huius,
Improbe perpetua nocte premendus eras.
At tu magne tui gauiſus honore poëtæ,
Rhene coronata purior ibis aqua.
Acceptoq́; feres communia uota Moſellæ,
Illius illuſtris gloria Petrus erat.
Nec tam Neſeni crudelia fata dolebis,
Quàm uiues uatis lætus honore tui.
Reddidit ille tibi quod perfidus abſtulit Albis,
Abſtulit hic animum reddidit ille tibi.
Ad te iterum redeo, Muſis operate Micylle,
Nuper & in ſacri parte recepte chori,
Perge animo tali Muſas releuare iacentes,
Quæ miſeræ caſu quo cecidere uides.
Muſica nam uulgus contemnit ſacra prophanum
Heu proprij nimium neſcia turba boni,
Tu potes abiecti ſtudium reuocare laboris,
Tu potes amiſſum reſtituiſſe decus.
Hoc tua promittunt uirtus & candor & ætas,
Et pulchra ſpirans indole plena fides.
Me ſi fata uolunt ueſtris accedere cœptis,
Miles in has partes officioſus eo,
Viue, nec hærentes Chriſto obliuiſcere Muſas
Meq́; tuos inter quemlibet eſſe ſine.

BONARVM ARTIVM STVDIO- *ſis omnibus* S.

Vlm-

VT male delectant uarijs ſine floribus horti
Arboris ut non eſt unius umbra nemus
Vt nunquam uniſonæ placuit ſymphonia uocis,
Vna nec ut cultam meßis opacat humum.
Deniq; tam uaria qua ſtat ratione uigetq;
Quicquid naturæ ſumma parentis habet
Quis neget humanum, naturæ ab imagine ductum
Ingenium, uaria conditione trahi?
Et nunc ſidereas arces tranſire ſupraq;
Mœnia flāmantis ſcandere celſa poli
Nunc animo ſtygijs innare paludibus, aut ſe
Tollere momento per freta longa breui.
Improba nunc auidi meditari commoda ſceptri
Per ſtata nunc regnum iura forenſe ſequi
Deniq; non uſquam ratione quieſcere in una
Non uno poterit ſe uegetare modo
Cumq; ſit in cunctis dulcis uariatio rebus
In ſtudijs eadem dulcior eſſe ſolet
Vnum ſemper agens animus langueſcit, & hæret
In libertatem nata uolubilitas
Namq; uides ſtudio qui conſenuere ſub uno
Ingenij ſenibus pene manere nihil.
Quare agite ô Iuuenes nati melioribus annis
Nobilis utimini uiribus ingenij
Quandoquidē non ſunt quas non hæc tēpora poßint
Præſtare ingenij diuitioris opes.

Quando utriusq; redit linguæ decus, & ſua ſacris
Maieſtas ſtudijs ſurgit & omnis honos.
Ne tibi ſint contempti alij, qui ſacra prophanis
Conciliant, quòd ab his proxima ad iſta uia eſt.
Hæc aliâs, nunc plura negat, nec plura miniſtrat
Tempore præuentus noſter Apollo breui

D. GEORGIO STRVTIADAE

SI quæ ſtabat heri tibi adhuc ſententia conſtat
Vt uideamus opes quas tuus hortus habet
Delitias horti placidas & uerna petamus
Gaudia, quæ uitreo lambit Hiëra uado
Et licet exiguo ſpacium breue clauſeris horto
Alcinoi debent uincere ruris opes
Hæc hortis meliora ferent Cynareide nati
Heſperidum dotes iam tua rura ferent
Nec nos carminibus uincet qui iuſsit in hortis
Hellespontiaci ſcripta nefanda legi.
Ergo tuum uenio Muſis comitatus in hortum
Tu bibulis tantum dulcia uina para.
Quòd te ſi Zephyris uiolentior aura moratur
Cras aliquis forſan mollior Eurus erit.

CLARISSIMO VIRO D. IOANNI FICINO
Cancellario Heſsiæ

Quamuis pluribus eſſe te grauatum
Norim turbinibus negociorum

Si Ficine tamen uacabit Heſſo
Momentum breue temporis puſilli,
Hoc Heſſo precor ut tuo rogatus
Impertire uelis, tuiq; nolis
Aduentus mihi gratiam negare.
Nam quòd ueneris hoc heri ſciebam
Et tecum bonus ille noſter, olim
In magnis ἁλιεύς peritus undis
Auro, non modo piſcium, repletis.
Sed feſſos quia de uia putabam
Et iam tempora noctis appetebant,
Quis me non merito improbum uocaſſet
Si uobis grauis eſſe tunc tuliſſem.
Nunc Ficine igitur decus tuorum
Et gentis, patriæq;, principiſq;
Da tempus breue ſi uacabit Heſſo
Quod ſi non uacat interim ualebis
Et noſtri memor, hoc amanter auſum
Recti, pectore conſules amico.

IN LIBELLVM D. IOANNIS DRACONITIS

VLtima qſqs habes morituri dogmata Chriſti
Cognita, nec dubia concipis iſta fide
Hæc lege, ſed placido, nup meditata Draconi
Inuidia ſi quis non remorante leges.
Hic ſiquidem Chriſti, uera pietate, fatemur
Sanguinis & potum, Corporis eſſe cibum.

I nunc liuor edax, & ſi potes, argue falſi
Heſsidos, ut nuper dogmata nata, ſcholæ

CASPARI RVDOLPHO SVO

SI te lauta iuuant fatuorum balnea regum
Poſt deſumpta domi prandia Caſpar ades
Vellera nobiſcum tingent nudata Capellæ
Quamuis & fugiant & uereantur aquas
Quòd ſi tu uenias nec tertius eſſe graueris
Quàm pulchre hic nobis ternio plenus erit?
Si tamen & ueſtras non hic adducitis umbras
Tunc ego uos umbras non habuiſſe uelim.

NIGIDIO ET CAPELLAE SVIS.

PVlchris balnea lautiora Baijs
Cunctis balnea puriora thermis
Thuſcis balnea ſaniora lymphis
In noſtra modo regia parantur
Pulchra, principe, dite, glorioſa:
Ad quæ uos ut adeſſe iam parata
Mox poſt prandia ſumpta, ne moleſtum
Ducatis rogat ille ueſter Heſſus
Qui uos ſic amat & colit, facitq;
Pluris Cæſare, regibuſq; cunctis
Quamuis rex ſit & ipſe ueſter Heſſus
Aeternum uenerabiles amici
O dulcis Nigidi Capella noſter
Huc poſt prandia ſumpta mox adeſte.

Vmbris

Vmbris uos comitantibus pudicis.
Quæ uos ni comitentur & ſequantur,
Non uos corpora ſed feremus umbras
Ad non ebria lutra balneorum
Sed plus ſobria ſobrijs tabernis
Hic uos piſciculi manent lupiq́;
Et cancri fluuiatiles, Valete

IN ANNVLVM DRYANDRI

GArrula ſtelliferum mirari deſinat orbem
Fama, Syracuſium compoſuiſſe ſenem
Vulcani Clypeos, terras, maria, aſtra ferentes
Adſerat, inuenient forſan & iſta fidem
Clauſerit ingentem teſta nucis alter Homerum
Fine breui totam pinxerit alter humum
Qualis quemq; ſui commendet fama laboris
Nos quoq; ab hac aliquod nomen habere decet
Nam quia multiplicis contracta uolumina ſpheræ
In tereti digito docte Dryander habes
Qui non miretur, quem non iuuet iſta Matheſis
Hunc ego, quo ſapiat. pectus habere negem.

D. IACOBO A TAVBENHAIM

CVm tua non uno uirtus præcone feratur
Nobilis, ô gentis laus Iacobe tuæ.
Cũ ſit imaginibus domus inclyta, cuius honorẽ
Natales debes uir memorande tuos.

Cum tibi ſit fœlix facundæ gratia linguæ
Cum grauibus uincas Neſtora conſilijs
Hoc tamen ingenuas quòd amas & reſpicis artes
Te proauos merito collocat ante tuos.
Quòd ſpectas quis honor, quæ te poſt fata ſequatur
Quæ ſit in æternos fama futura dies
Crede mihi uirtus hæc eſt quæ laude perhenni
Debeat & cœlos & ſuper aſtra uehi.
Ergo tot Aonidum cultores inter, & Heſſum
Præconem laudis fer precor eſſe tuæ.
Interea fidei ſignum breue carmen habeto
Dum tibi ſe totum noſtra Thalia parat.
Finit Liber Septimus

HELII EOBANI HESSI SYLVARVM LIBER VIII.

PHILIPPO PRINCIPI.

Cum tua, dux patriæ fortiſſime, floreat armis
Parta tibi uirtus, gloria, fama, decus
Cum reduci ueræ faueas pietatis honori
Cum doctos foueas & tueare uiros.

Cur non ſæpe tuas per noſtra uolumina laudes
Aſpicias, dignas hic & ubiq; legi?
Cur tua non feſto celebremus nomina plauſu
Qui Lano colimus mœnia iuncta tuo?
Ipſe ego qui Martis cecini tua facta Sûeui
Qui tibi Dauidis ſcripta legenda dedi.
Qui per ſcripta tuas dixi paſtoria laudes
Per quæ ſcripta tuus uiuit uterq; parens
Cum legerem doctos, Coruini ſcripta, libellos
Suauiter alterna conditione loqui
Hos tibi deberi tota ratione ferebam
Hos titulo dignos nominis eſſe tui
Quòd nihil adſerta niſi de pietate loquantur
Quòd tantum fidei Chriſtidos arma ferant
Magnanimo dixi laus conuenit iſta Philippo
Qua puto donari non potiore uolet.
Huic age uocales Coruine inſcribe libellos
Ne dubita, inſcriptos adſeret ille ſibi.
Paruit, & cupida mandatum mente peregit
Hoc memor officium muneris eſſe ſui.
Tu nunc Heßiaci Rector generoſe Leonis:
Accipe qua data ſunt hæc tibi ſcripta fide.
Quæ ſi cuncta uolens ut ſpes eſt certa, probaris,
Per media hæc ſternes ad meliora uiam.

IVSTINIANO AB HOLTZHAVSEN
V. C. *Francofurtano*

Fortunæ atq; animi pulchris cum rebus abundes
Iuſtiniane corporisq; dotibus
Quas in te natura parens non inuida tales
Benignitate liberali contulit
Et cum diuicias animi uirtutibus æques
Reſpondeasq; nomini tuo probe
Hac mihi præcipue ueniebas laude canendus
Mirandus atq; ſuſpicandus unice
Muſarum quia ſacra colas non uana profeſſos
Bonos piosq; litterarum præſides
Me quoq; quos inter longis complexus ab annis
Dignaris exquiſito honore proſequi.
Nomine quem tantum ueteris dignaris amici
Quantum per iſta litteris paucißimi
Tempora deplorata bonis, quo tempore talem
Mihi experiri te profecto contigit.
Sicut ad Auguſtam nos Chalcida nuper agentes,
Non abnuendis rebus experti ſumus.
Quamuis ſæpe prius, ſed tunc tamen omnia nobis
Humanitatis explicaſti munera.
Sicut & ille animi candore Georgius iſto
Dignus uocari Candidi cognomine
Nunc tuus Heſſus adeſt ad amœni mœnia Mœni
Viſurus alti magna Rheni flumina.
Qua ſacra neſcio cui, ſtant mœnia dicta Goaro,
Plus ſacra Baccho, plus ferenda uitibus.

Si tamen

Si tamen ille Goar quisquis fuit utile nobis
Frumenta munus atq; uina conferat,
Bacchus erit Baccho dicemus feſta Goaro,
Quæ ſobrium docere poſſint carmina.
Quo tecum reduces de numine forte loquemur,
Bonum ne nobis an malum extiterit. Vale.

D. IOANNI ELERO IVRE=
CONSVLTO.

QVi tibi Hiericola nuper conſueuit ab urbe,
Mittere non triſti carmina ducta manu.
Qui tibi Lanicola nuper quoq; ab urbe ſalutẽ
Miſit, & imparibus uerba ſoluta modis.
Hæc tibi non parui de littore mittit Hieræ,
Non etiam Lani de regione uagi.
Vnde igitur quæris? quæ tu colis inclyta Rheni
Mœnia, dant manibus quæ legis iſta ſuis.
Mœnia quæ magni radunt uada cærula Rheni,
Grande Moguntiacæ qua iacet urbis opus.
Nunquid in hac Heſſum iam ſentis urbe morari,
In quam nauiferis aduena uenit aquis?
Venit & hic unum te dulcis Elere requirit,
Nuper amicitiæ gloria magna meæ.
Venit in hanc Heſſus tam nulli cognitus urbem,
Quàm tibi, nec cuiquam notior eſſe uolet.
Qui cum iura pari diuina humanaq; tractes
Arbitrio, ingenio, relligione, fide:

Non tamen auerſus noſtris es ab artibus hiſce,
Quæ nihil artifici frugiferac is habent.
Ocia quæ tantum ſectantur inertia, uerum
Quod petere hinc poßis utilitatis habent.
Nomina nam famæ præſtare perhennia poſſunt,
Aurea quod nunquam diuitis aula Midæ.
Hæc tibi iamdudum noſtræ tribuere camœnæ,
Hæc tibi uenturo tempore dona ferent.
Si qua tui te cura tenet nunc ergo poetæ,
Si quid adhuc Heßi uel memor eße potes.
Fac hodie quacunq; uoles ratione, uel ad nos
Huc uenias, uel nos in tua regna uoces.
Craſtina nam proni lapſurum flumine Rheni,
Me procul à uobis auferet hora, Vale.

PETRO GILTNERO CONCIONATO RI FRANCOFVRTANO SVO.

Cuius & unde legas miſſam Giltnere ſalutem,
Si dubitas Heſſum noris adeſſe tuum.
Heſſus arenoſi linquens uada paruula Lani
Appulit ad Mœni flumina magna tui.
Nam tibi nunc Mœnus pro dulci nuper Hiera,
Nauifero largas flumine fundit opes.
Me ſi forte uoles, ut debes uelle, uidere
Hoc hodie ut facias optime Petre licet.
Hic ubi pulchra ſitu fluuium ſita propter amœnum
Nobile de Francis mœnia nomen habent.

Cras ubi purpureos Aurora reuexerit ortus,
Ad Rhenana leui mœnia puppe ferar.

IOAN. STYGELLIO SVO.

SIc tibi Pieridum comes indeuicte Stygelli,
Talis perpetuo tempore uena fluat.
Sic tibi ſint faciles, ut ſunt in carmina Muſæ,
Sic tibi larga ſitim Phocidos unda leuet.
Vt tu noſtra probas, ut nos miraris, & Heſſum
Eſſe aliquid, quamuis ſit nihil ipſe, putas.
Solus enim gelidam uenienti Chalcida nuper
Porrigis exhibita carmina blanda manu,
Solus & exulibus, ut ſunt hoc tempore, Muſis
Viſus es, officio quo potes, eſſe pius.
Primitijs applaudo tuis, grataeq; Camœnæ,
Quæ tibi uenturo tempore qualis erit?
Quæ cum iam multos æquet ſuperetq; poetas
Quid faciet ſi te longa ſenecta manet.
Vere tuo tali qui flores indole, quantos
Autumno fructus adueniente dabis?
Sed tamen hæc aliâs, nunc ſcribere plura uolentem
Hinc alio uerſam traxit Apollo manum.

PRINCIPI PHILIPPO PRO DISCESSV
à Smala Chalcide.

INclyte Semideûm de ſanguine nate Philippe
O princeps meritis non habiture parem.

Si qua tuas de me famæ pars uenit ad aures,
Si ex aliqua mereor parte placere tibi.
Redde meis natum ſtudijs me, redde quieti
Hic nihil eſt tibi quod commoditatis agam,
Multa domi poſſum, nihil hic præſtare paratus,
Et decus egregij nominis inde feres.
Hæc me uera loqui tua ſentiet inclyta uirtus,
Poſt adeo paucos magne Philippe dies.

IACOBO MILICHIO SVO.

I Mea Milichio fer epiſtola fida ſalutem,
Quam uellem manibus tradere poſſe meis.
Pectore tanta meo cura eſt abſentis amici,
Quantam aliquem ueterum uix habuiſſe puto.
Quod ſi monticulam ueniſſes Chalcida, uellem
Hic quoq; ceſſantes non habuiſſe manus.
Hic iacobe tuos licuiſſet cernere uultus,
Quos nunc eſt animi tantus abeſſe dolor.
Ipſe quoq; hic dulces potuiſſes cernere amicos,
Quos tot in hoc cœtu Chalcis amœna uidet.
Vt magni taceam tibi nomina nota Lutheri,
Sim uelut oblitus docte Philippe tui.
Mille alios poteras hic conueniſſe ſodales,
Quorum nil quod te pœnituiſſet erat.
Quos inter tibi præcipuo deuinctus amore,
Prima Draconites nomina laudis habet.

Is tibi

Is tibi me multam iuſsit mandare ſalutem,
Quo rogat ut nolis immemor eſſe ſui.
Vt noſtri meminiſſe uelis Iacobe rogamus,
Vellicet hic aures littera noſtra tuas.
Viue diu, nobisq; olim reſcribe, tuosq;
Nos quoq; cum multis, ſi potes eſſe ſine.

BALTASSARI REVTO ECCLESIASTAE
Hereſfeldiano.

Docte ſalutiferi myſteria promere uerbi,
Et ueram populis inſinuare fidem.
Huc iterũ Hercinię redij de Chalcide ſyluæ,
Qua modo Germano eſt maius in orbe nihil.
Tot modo principibus, tot facta eſt inclyta doctis,
Inuideo hanc laudem Chalcis amœna tibi.
Si paucas poteris furtiui temporis horas,
Sublegere huc ad nos Reute diſerte ueni.
Et ſi quos habeas tecum qui nomina norint
Noſtra, nec à Muſis corda aliena gerant.
Duc ſimul, ut cœnes mecum quia craſtinus Heſſum
Auferet à uobis hac & ab urbe dies.

D. IACOBO SALVECHTERO
IVRECONSVLTO.

Dulcis & ante alios Iacobe fidelis amicos,
Nunc etiã Muſis ſæpe canende meis.
Nactus ab exhauſtis grauioribus ocia curis
Nunc age Coruino te comitante ueni.

Munus ab illuſtri miſſum cratera Philippo,
Non ſemel Heßiaca relligione bibes.
Quòd ſi forte alias tecum quoq; duxeris umbras,
Vmbras non homines, ſi libet, eſſe puta.
Nam quod edas nihil inuenies, ſed pocula tantum
Multa Cybelæo ſanguine plena bibes.
Atq; ea non gratis, quia, quamuis regia diues,
Pauperibus Muſis noſtra ſit, ære uacat.
Quare age pelle graues hilari de pectore curas,
Dum licet, & celeri nos pede lætus adi.

EIDEM.

Mox ubi iam decimæ confinia deſeret umbræ
Index, & medium fecerit hora diem.
Ipſe tuas ueniam conuiua iniuſſus ad ædes,
Iam meditare epulas quas Iacobe pares.
Non decet auritos ad uilia prandia reges
Accipere, & breuibus ſumere uina Cyphis,
Dum ſua funebres crocitent ad pocula Corui,
Prandia multiueris regibus iſta placent.
Quare age dic raucis ut agant ſua munera coruis
Aut abeant fratres protinus εἰς κόρακας.

CASPARI SVO RVDOLPHO

Auritum leporem uenatus in Heßide ſylua
Quæ ſpectat patriæ proxima rura meæ,
Te rogo ſi tenuis non ſpernis uilia cœnæ
Fercula, ne nobis eſſe grauere comes.

Nos Cere

Nos Cererem tu uina bibes poſcamq́; rubentem,
Quam crudis acinis, arbuta miſta coquunt.
Me mala, rumpentis præcordia, pœna catarrhi
Infeſtum, & longo tempore tuſsis habet.
Flumina flegmatici deſpumant guttura puris,
Eſſe queat febris nulla moleſta magis.
Quanquam uix aliqua eſt ſine febre moleſtia talis,
Monſtrant uicinam tabida ſigna φθίσιν.
Non igitur metues magnos crateras ab Heſſo,
Qui uelit, hoc, nolit, tempore pauca bibit.
Quare pars animæ Caſpar chariſsime noſtræ,
Te manet ad quartam cœna parata mihi.
Duc tecum thalami ſociam, nam forte Capella,
Hoſpes cum cara coniuge noſter erit.
Quòd ſi frons Nigidi non ſit nimis obſita rugis,
Finem συνδείπνοις tertius ille dabit.

IVSTO STVDAEO II. DOCTORI
deſignato.

FEſta tui celebrans cognominis ocia Diui,
Iuſta litaturis pocula Iuſte para.
Nullos cæde boues, nullam conquire ferinam,
Panem & caſeolos eſt poſuiſſe ſatis.
Nulla gula eſt nobis quæ fercula multa requirat
Noſtra, ſitis, cruciat pectora, nulla fames.
Plenas ergo deo lagenas pone bimatri,
Hoc ſatis eſt, Baccho turba dicata ſumus.

Oenophoros non Sitophoros fac ſtare miniſtros,
Largaq́; conuiuis fundere uina tuis.
Sic ſacra nos iſti celebrabimus ebria diuo,
Siue uoles Iuſto, ſiue ſagittifero.
Tu modo Iuſte hodie iuſtißima iura relinquas,
Nec ſis iuridicos garrulus ante patres.
Longe alia eſt rátio diuos celebrare iocoſos,
Quàm triſtem & uacuum ſobria iura ſequi.

IOANNI ALGESINO GRONINGO SVO &c.

CRaſtina Phœbœos ubi tertia contrahet orbes,
Iamq́; ſeneſcentem prouehet hora diem.
Chare ueni noſtras Groninge rogatus in ædes
Quo peream ſi quid dulcius eſſe poteſt.
Te mea non formoſa quidem nec amabilis uxor,
Penia conuiuam, ſed generoſa rogat.
Ne contemne preces dominæ tam iuſta rogantis,
O utinam famulæ ſit magis illa loco.
Illa tibi calido gelidos pro ſumine ponet,
Sed tamen & caſtos & ſine felle ſales.
Implebunt uacuas uocalia carmina lances,
Fallet inexemptam ſtridula chorda famem.
Lauta miniſtrabunt præſentes fercula Muſæ
Qualia cum ſuperis Iuppiter eſſe uolet.
Fundet odoriferos genialis gratia flores,
Plena miniſtrabit pocula caſtus amor.

Talia

Talia ſi poßis conuiuia ſpernere dicam
  Læticiæ ueram non habuiſſe famem
Quod ſi uera uoles, ut debes uelle, fateri
  Ex iſtis dapibus uita beata uenit
Ingenium uis multa cibi ſuffocat & aufert
  Appoſitam mortem luxuria omnis habet
Quare age ne modicæ ſpernas elementa culinæ
  Sæpe eciam Diuos uiſcera toſta iuuant
Ipſe quidem melius cœnaſſe fatebere nunquam
  Si non ſorduerint prandia noſtra tibi
Ventriculum referes ualidi uectoris egentem
  Verſibus & uerbis ſi potes eſſe ſatur

MATHEAE CAPELLAE SVO.

SI non diſplicet & potes uenire
Ad nos huc uenies Capella noſter
Noſtra ad balnea tertiam ſub horam
Quod ſi ueneris ante, nil moleſti
Nobis feceris, At ſimul memento
Tecum ducere, & increpare Petrum
Quod nec ſponte ſua uenire pergat
Nec regi cito pareat uocanti
Vobis cœnula perbreuis paratur
Sed quæ ſufficiat tribus Poetis

Carmina non ſubeunt, nec peßimus ille Phalecus
  Spirat, quod nondum dulcia uina bibit

IOANNI GRONINGO ET OCTAcilio ſuis.

OMnibus unanimes nobiſcum in rebus amici
O duo fortunæ pectora fida meæ
Corpora loturi ſocio cum Rege uenite
Tertia cum lentum deprimet hora diem
Ipſa parat, calidumq; implet regina lauacrum
O adeunda ipſis balnea pene Deis
Aurea ſudabunt tepidum præfurnia Nectar
Vdus Acidalias fundet Alipta Roſas
Cura erit ut plenis ſtent Baptiſteria labris
In quibus abiecta ueſte natare queas
Talia præſtabunt Regales balnea Thermæ
Omne genus luxus Regia diues habet
Quos placet interea uobiſcum ducite amicos
Vobiſcum ueniat quælibet umbra licet.

IOANNI FRANCO PORTVNO SVO

QVæ nobis placidæ poſuiſti fercula menſæ
Grata ſodalitio Iane fuere tuo
Namq; ut Pegaſeas qui deſudamus ad undas
Libera, atq; innocuo pectore turba ſumus.
Sic ea lauta quidem ſed iniqui neſcia luxus
Inſtar & ingenij candidioris erant
Tam decet ingenuos frugalis cœna Poetas
Cui neque quod deſit, nec quod abundet, erit.

Quæ

Qua Charites epulas miſcent, & pocula Muſæ
Et uariant doctis mutua uerba iocis
Quáq; fides aliquis bene tangere doctus Iopas
Mulceat arguta pectora læta chely
Hæc mihi uita placet, quæ ſi cui diſplicet, illum
Vix aliquid ſanæ mentis habere putem.
Has tibi concilias Muſas Portune per arteis
Quas ſibi tam pauci conciliare ſtudent
Talia, dij faxint, poßim conuiuia tecum
Sæpius appoſito concelebrare mero

IOANNI GRONINGO SVO

NVnciat è Francis te fama peregre reuerſum
Fama mihi certa uiſa carere fide
Nam niſi te uideã, quamuis rediјßе loquatur
Ipſa fides, fidei credere nolle libet
Vt lateas an forte redis? an fallis amicum
Et crucias lenta pectora noſtra mora?
Sic poteras abſens etiam rediјſſe uideri
Tu licet & fuſcos incoleres Arabas.
Non fuit Arctoo magis hoc latuiſſe ſub axe
Frigida qua lentus plauſtra bubulcus agit
Sic poteras ultra extremos Garamantas & Indos
Nobiſcum nihilo uiuere & eſſe minus.
Perfide an hoc debes tam fido reddere amico?
Officium non hoc debuit eſſe tuum.

Non ſat erat nuper furtiuo abiiſſe receſſu
Ni mihi ſic redeas ut rediiſſe negem.

IOANNI ALGESINO GRONINGENSI.

Cum ſis moribus elegans, & omni
Purus crimine quod queat uideri
Veram dedecuiſſe caſtitatem
Vt Phædræ ſuperare te loquatur
Priuignum uaga fama, ſed bilinguis
Dic quæſo mihi dulcis Algeſine
Per Muſas rogo dic, quid eſſe dicam
Quid cauſſæ ue ſubeſſe ſuſpicemur
Quæſitus toties quod inueniri
Aut non uis, non potes. Quid ergo eſt
Cauſæ? ſcilicet hoc, quòd urbe tota
Erras, curris, obambulas, uagaris
Notus per plateas & angiportus
Omnes, per fora, templa, tecta, uicos
Formarum catus elegantiarum
Spectator, ſed & impudens adulter
Matronarum, agitator, & puellarum
Aſſectator, amator, & probator
Quorum ſi male nominum pudet te
Vel conſiſte domi, uel inueniri
Nobis incipe, perge, & aſſueſce
Aut hæc dilue dicta, uel fatere.

Super

SVPER INSIGNIBVS CLARISSIMI
Hieronymi Baumgartneri
V. C. Norici.

CAndidus & docilis q̃ ſis Hieronyme mõſtrant
Et flos et uolucris ſigna paterna tibi
Nam flores alios candore ut lilia uincunt
Eſt alias docilis Pſitacus inter aues

DE EISDEM.

Vã bene conueniunt uiridis color, & color
Hic lilij, uirentis ille Pſitaci (albus
Candor ineſt animo, docilis uiret ingenij uis
Tam paſcit hic animum color quàm lumina
Quæ quia ſigna tenes Hieronyme gentis auitæ
Non denigras tuum ſed illuſtras genus

ALIVD

INſidens albo uolucris uiridiſsima flori
Baumgartnere tui σύμβολον *eſt animi*

ALIVD

Flos, auis, hæc docilis, candore illa omnia uincens
Te ſtudio atq; animo uincere cuncta docent

ALIVD

Pſitacon & florem tibi Baumgartnere parentes
Tam puto non ipſi, quàm tribuere Dei

ALIVD

Alba, loquax uolucris, calcat pede lilia utroq;
Ad Muſas propius quid precor ire queat?

Candida Muſarum ſunt pectora, garrula uox eſt
    Baumgartnere tibi Phœbus utrumq; dedit

ALIVD

In uiridem flori ſidentem pſitacon albo
    Baumgartneria dum ſigna paterna uides

ALIVD

Candida libertas & liber ad omnia candor
    Quod tibi ſint monſtrant λείριον & uolucris

SVMMO VIRO D. IOANNI DANTISCO
Epiſcopo Culmenſi. &c.

VEnimus emenſi tot milia quot Iouis uxor
    Hippotadæ nymphas dixerat eſſe ſibi
Quot geminata forent ſeptemplicis oſtia Nili
    Quot Niobe natos interijſſe ferunt
Quot patrio uidit de flumine ſurgere tauros
    Per quem preſſa fame terra redempta fuit
Quot Muſæ Charitesq; & iunctus Apollo Dianæ
    Quot geminata forent ſidera Pleiadum.
Deniq; ſyllabicos quot habent tua nomina tractus
    Tu modo de multis quattuor eſſe uoles
Muſarum decus eximium Dantiſce, nec ulli
    Pontificis ueri nomine poſterior
Venimus emenſi tot milia, uenimus autem
    Corpora non una conditione duo
Venimus ut plures maneat Campenſis in annos
    Venimus ut paucos hic morer ipſe dies.

Namq́; ut conditio eſt Campenſi libera ſic me
Carcere perpetuo uita ligata tenet
Vtq́; illi licitum eſt quoquo libet ire, uagari
Sic mihi nequaquam quolibet ire licet
Nam mihi ſi liceat quo nunc libet ire, quid usquam eſt
Quo tua non libeat dulcia iuſſa ſequi?
Vltra Sauromatas, ultra Tanaeïa regna
Te ſequar, & Scythico rura peruſta gelu
Te per Hyperboreo torpentes frigore campos
Te ſequar Arctoi ſub duo monſtra poli
Non me triſtis hyems, non me remorabitur æſtus
Quamlibet immodico Sirius igne micet
Heu mala fatorũ ſeries, heu triſtia uitæ
Sydera, & hic uotis inuida nata meis
Si tamen his ulla poßim ratione mederi
Non dubitem quo me ſors uocet ulla ſequi
Cultos ante mihi repetam tua regna Boruſſos
Et loca quæ propior Parrhaſis urſa uidet
Nunc quia non licitum eſt quod quondam forte licebit
Fortunæ medicus ſpes bona noſter erit,
Et tibi ſancta fides pro me ſpondebit & ille
Quem ſocium certe pectoris huius habes
Quem quia conueniens ratio mihi fecit amicum
Iſthoc inuideo nomine pene tibi.
Sarmaticas igitur ſine me uenietis ad oras
Quo mihi non utinam fata uenire negent.

Non tamen iccirco ſine me uiuetis amici
Vobiſcumq; aliqua parte ego ſemper ero
Nunc age pontificum decus Aonidumq; ſororū
Nunc age me domui quæſo remitte meæ
Interea noſtri non obliuiſcere amoris
Quo mihi non falſo iunctus es, ipſe tibi
Vtq; tibi hoc gratum me nomine ſentiat orbis
Ipſe ſatis de me pignora clara dabo.

REVERENDISSIMO D. IOANNI DANtiſco Epiſcopo Culmenſi.

DIcebas Dantiſce ſuo cum Cynthia cornu
Plena refulgebit tempus abire tibi eſt
Plena refulſerunt fugientis cornua Lunæ
Nec tamen eſt abitûs cauſſa peracta mei
Cur ita? perpetuo quia tecum uiuere uellem
Quo ſine perpetua eſt uiuere pœna mihi
Nunc quia me reuocant curæ quib. obligor, & ſunt
Tempora fortunæ non ſatis æqua meæ
Te precor ô noſtræ decus immortale Camœnæ
Hic abitus tandem ſit tibi cura mei
Non me cura domus non coniugis ulla fatigat
Sed mihi commiſſæ publica cauſſa ſcholæ.
Adde quod huc ueni minima quoq; parte paratus
Vt qui crediderim poſſe redire breui.
Nunc tua me pietas, nunc me tua libera uirtus
Nunc tua me uere gratia uera tenet.

Ergo

Ergo boni facias animum maiora uolentem,
Et uix officium hoc temporis huius erat.
Viue igitur Dantiſce tui non immemor Heßi,
Cuius in hoc fidei carmina pignus habes.

CLARISSIMO VIRO D. DANIeli Stibaro.

ERgo ne cœnatum tu me Daniele uocâras,
Vt fugeres uel ſi te pudet, iſta nega.
Non potes, ergo iſtuc factũ fateare neceſſe eſt,
Qua mea nunc igitur carmina fronte legis?
Quæ tamẽ hæc nouitas, uel qs modus, an quis hic eſt (mos
Quem ſic inuitas qua ratione fugis?

IN ICONA CLARISSIMI IVREconſulti Henningi Gœdæ.

QVi legis hæc, & in hac defigis imagine uul-
Quæris quẽ referat picta tabella uirũ? (tus
Talis erat ſeris Henningus Gœdus in annis
Vix tribus addiderat ter tria luſtra ſenex.
Eloquio ueterum nulli florente ſecundus,
Maximus ingenio, maximus arte fuit.
Præcipue duplicis ſuper illo tempore iuris,
Illo nemo prior cognitione fuit.
Principibus quoq; charus erat, quos ſæpe tuendo
Ipſe ſibi magnas accumulauit opes.
Non tamen eſt pulchre partis ſibi rebus abuſus,
Multa dedit templis munera multa ſcholis:

Præcipue huic, ex qua ad tantos emerſit honores
Cuius & ipſe ſuo tempore fama fuit.
Illius effigiem Lucæ manus æmula pinxit,
Pictam fautores hoc poſuere loco.
Exemplo ut moniti tales imitentur honores,
Quicunq; iſta legunt, oraq; picta uident.
Saxonis ora uiro natales protulit ortus,
Incluſum tumulo Saxonis ora tenet.
Exuit alta ſenex longæuæ tempora uitæ,
Cœlo animam moriens oſſa remiſit humo.

MONS ANNAE

HOrrida retrogradi feruebant brachia Cancri
Nec procul igniuomi ſtella Leonis erat,
Linquebam ueteris celebratum flumē Hieræ
Maxima qua lætus mœnia ſpectat ager.
Docte tuum comitatus iter, ſic ipſe iubebas,
Georgi Sturtiadum gloria ſumma domus.
Nubiferos montes æquataq; culmina cœlo,
Tranſieram celeri non bene uectus equo.
Per iuga, per ſcopulos, per ſaxa, per auia, ſyluas
Nil niſi nos pennas non habuiſſe dolet.
Iamq; ter emenſi ſex milia uenimus urbem,
Cui pia dimidum nominis Anna dedit.
Eſt locus arenti circumſitus undiq; ſaxo,
Arduus aſcenſu, difficiliſq; ſitu.

Terrigenis paſſim regio fœcunda metallis,
Hunc beat argenti plurima uena locum.
Hic ego dum ſtupeo pulcherrima mœnia, nondū
Viſa ſatis, noua ſint, an ne uetuſta rogo.
Tum mihi Sturtiades noua ſunt quæ mœnia cernis
Atq; adeo uitæ tempore nata meæ.
Hic ego, dic tantum quis tam cito condidit urbem?
Quis deus hanc molem montibus impoſuit?
Nunc ego crediderim magnorum facta Gigantum,
Non uanis aliquam rebus habere fidem.
Tunc ille, hanc hominum non tam quis condidit urbē
Quàm ſeſe manibus condidit ipſa ſuis
Hæc quoq; mira ti ſic reddidit ille, quid hæres?
Non eſt hic aliqua fabula caſſa fide.
Cernis ut hi circum fumantia culmina montes,
Egeſta toties euacuentur humo?
Omnia ſunt grauibus ſubtus loca plena metallis,
Diuitis hic Pluti dixeris eſſe domum.
Ex his diuitijs hæc urbs eſt condita, natam
Si tamen ha c libeat dicere, iure licet.
Hæc inquam fateor, quamuis ſunt maxima. uerum
Quis tantas terræ prodidit autor opes?
Ille iterum, nec plura loquar, nec temporis huius
Fert ratio uerbis omnia poſſe ſequi.
Hæc loca quæ magno nunc aſpicis æmula cœlo,
Non aliqua nuper culta fuere manu.

Hic ſtetit Herciniæ *pars longe maxima ſyluæ*
Luſtra uagatrices hic habuere feræ.
Sæpe per has rupes prædas uenator agebat,
Syluicolasq́; Alces, ſyluicolasq́; boues.
Donec in hæc caſu peruentum eſt commoda rerum
Qui fuerit caſus, dicere longa mora eſt.
Et tibi cum melius nobis utrisq; uacabit,
Hæc ſi forte uoles ſcribere, plura loquar.
Tu nunc æriferas Ioachimica *mœnia ualles,*
Ditiaq; haud longe diſſita ſaxa petes.
Et mihi dilectos uenerabere ſolus amicos,
Quandoquidem tecum non libet ire mihi.
Talia Sturtiades *& adhuc hijs plura ferebat,*
Ipſe tuli tacito talia uerba ſinu.
Salue urbs eximiæ cognomine nobilis Annæ,
Montibus hijs ſalue non habiture parem.
Atq; ita digreſſus Ioachimica *regna petebam.*
Dij faciant fato non renuente petam.

VALLIS IOACHIMICA.

ANte oculis non uiſa meis ſalue inclyta uallis,
Quæ patris à Mariæ *noīe nomen habes.*
Salue iterum totum fama uulgata per orbem
Quæ gremio largas ubere fundis opes.
Sæpe ſalutatam cupij te, ſæpe uolebam
Munera fortunæ tanta uidere tuæ.

Tum

Tunc etiam cum me Pegneſidos ora foueret
Vrbis, eram famæ lætus honore tuæ.
Nunc mihi te propter Thuringi ab littore Hieræ
Trita bis undenis milibus iſta uia eſt.
Quos tamẽ hic uenerer genios, q̃ numina, certũ eſt
Plenum propitij numinis eſſe locum.
Friuola mentita eſt locupletem fabula Plutum,
Multa beatrici munera ferre manu.
Deſinite ô miſeri cæco dare numina diuo,
Cuncta uidens oculis, hæc loca numen habet.
Vallibus ô ſalue fœlicior omnibus, illo
Quem colis, & faſſo fortiter ore doces.
Sic age perge alacris Chriſto duce, perge fateri,
Qua ſine non alia eſt, quæ ſit habenda fides.
Has utinam grates potuiſſem montibus Annæ
Dicere, laus illis plena futura fuit.
Me quoq; fer grata tibi carmina uoce canentem,
Vallibus Idæis uallis amabilior.
Et ſi ſcripta ferant alij meliora poëtæ,
Nec tantum ſudet Pieris una tibi.
Me tamen hæc humili fer ludicra dicere uerſu,
Quæ cecini uero laudis amore tuæ.
Sic tibi larga fluat melioris uena metalli,
Sic opibus cedant Lydia regna tuis.

FINIS.

HELII EOBA
NI HESSI SYLVARVM
LIBER NONVS.
REVERENDO PRINCIPI D. IOANNI
Dantiſco à Curijs Epiſcopo Culmenſi.

QVAM mihi miſiſti plenam Dantiſce fauoris,
Reddita Campēſi littera teſte fuit.
Tēpus erat Tarteſiacas iā Phœbus in undas
Stabat anhelanti præcipitandus æquo,
Parca ſedebamus non magnæ ad fercula cœnæ,
Cum tua ſunt manibus tradita ſcripta meis.
Protinus appoſitæ contempſimus omnia menſæ,
Legimus & digitis uerba notata tuis.
Nec legiſſe ſemel fuerat ſatis, inter edendum
Lecta quater nobis littera tota fuit.
Inde animis læti, & tanquam uotiua ferentes,
Sumpſimus audaci pocula plena manu.
Proq; tua ſacrum Baccho Dantiſce ſalute
Fecimus, & Charitum Pieridumq; choro.
Scilicet incolumem non te lætemur amici
Veniſſe ad rapidi littora Danubij?

Et quia te ſcribis regis pietate Poloni,
  Viſurum patriæ regna beata tuæ.
Hanc quoq; gratamur ſortem tibi, ſed tamen illic
  Nonnihil aduerſi quod quereremur erat.
Sicut enim gratum eſt patribs te inuiſere fines.
  A nobis ſic te tam procul ire dolet.
Ibis ad æquoreos ſine me Dantiſce Boruſſos?
  Heu oculis, iterum quando uidende meis?
Ibis ad Arctoas Germani littoris oras,
  Qua tibi ſunt patriæ ſubdita regna tuæ,
Illic ut fueris propria iam ſede receptus,
  Dic age quî poteris non meminiſſe mei?
An poteris cari fieri precor immemor Heßi,
  Qui te tam uere nec ſimulanter amat?
Non puto, nam duri nec te genuere parentes,
  Nec ſtupidum tardo frigore pectus habes.
Quin potius cum ſis mira pietate fideq;
  Præditus, & tanto dignius honore coli
Cum tua fortunæ uirtus reſpondeat iſti,
  Quæ tibi diuitias ingeniumq; dedit.
Cum tibi ſubiecto populo potieris, & arces
  Altaq; tranquilla mœnia pace reges.
Sæpe meo dices quæ nam fortuna poetæ,
  Lubrica deducat tempora, ſcire uelim,
Sæpe meum dices ſeu nunc pia fata poetam,
  Numina ſeu uideant impia, ſcire uelim.

Atq; ea cum uolues animo, graphiaria poſces,
Et ſcribes animi nuncia uerba tui.
Namq; nec Aethiopas ultra tranſibis & Indos,
Et nec Hyperboreo regna peruſta gelu.
Communis mecum ſub eodem ſydere cœli,
Milia ſed tantum pauca remotus eris.
Vnde aliquam poßis transmittere ſæpe ſalutem,
Vnde queas Heſſo ſcribere ſæpe tuo.
Quo queat & mitti noſtræ tibi littera dextræ,
Littera non aliqua laſſa futura uia.
Nam quæ nunc reliquos aderit mihi Muſa per annos
Quanta futura mihi eſt tanta futura tua eſt:
Hoc tibi Meonio dici digniſsime uerſu,
Voce Sybillina certius eſſe puta.
Accipe nunc tibi deuotum Dantiſce poetam,
Exhibitas uates accipe uatis opes.
Quas quia non alias habeo, quæ mittere poſſum,
Munera, non animo deſpiciente feres.
Hoc tuus ille animi candor promittit, & ille
Qui mihi de tali pectore ſpirat amor.
Viue diu uicture meis Dantiſce Camœnis,
Viue breui uerſus ſubſequar ipſe meos:

AD CLARIS. VIRVM D. HIERONYMVM
Ebnerum urbis Noricæ Aerario præfectum.

QVod toties te noſtra uir ornatiſsime turbat
Littera, non uicio, ſed ratione facit.

Nam mea Muſa tuæ pietatis imagine fidens
  Non timet in uultus ſæpe uenire tuos
Vnice contemptis patrone Hieronyme Muſis
  Tempore quo uanum nil niſi nomen habent.
Accipe nunc etiam non uultu Ebnere maligno
  In patriæ laudes carmina facta tuæ
Et ſi forte ſinunt quæ tanta negocia tractas
  Hos uerſus oculo uel properante uide
Forſitan inuenies quod te oblectabis in illis
  Et placida totum mente probabis opus
Et ſat erit miſsi partem legiſſe libelli
  Qui ſatis ex primo lemmate notus erit
Munera, de nobis meritæ bene, fecimus urbi
  Quæ nequeant ulla munera clade mori
Nam quia uos ueſtram Muſas duxiſtis in urbem
  Se uobis gratas exhibuiſſe decet
Vos quoq; tam gratas non deſeruiſſe decebit
  Ne uicio pereat gloria prima nouo
Quantula nam res eſt unum fotum eſſe poetam
  A populo rerum diuite mille modis?
Quod te per ſuperos, per & omnia numina teſtor
  Carmina ne dura reijce noſtra manu
Tempus erit cum tu laudabere nominis huius
  Famaq; uenturæ poſteritatis eris.
Atq; aliquis ſpectans Ebnerum in carmine noſtro
  Dicet, & hac dignus laude uir iſte fuit.

Quare age uir noſtro fama digniſsime ſæclo
Adſere ſincera munera noſtra fide.

D. CHRISTOPHORO COLERO V. C. Norico.

NOn te digna quidē, ſed qualia munera poſſum
Mittere, quæſo hilari fronte Colere feras.
Qui cum ſis merito ſacri pars magna Senatus
Et doctis faueas doctus & ipſe uiris
Non metus eſt ne deſpicias hæc uilia, ne ue
Diſpliceant animo carmina noſtro tuo
Quāquā autem exulibus nulla eſt hoc tēpore Muſis
Gratia, conueniens non ea cauſſa tibi eſt
Te ſtudijs Muſæ puerum fouere benignæ
Te tulit in molli gratia blanda ſinu
Nimirum quia noſtra probas tua ſacra retractas
Et ſtudia hæc dextro noſtra fauore iuuas
Macte uir ingenio, atq; animo digniſsime tali
Debetur meritis gloria uera tuis
Et niſi uana animum ueri deluſit imago
Inclyta per Muſas fama parata tibi eſt
Nam cum tot ſuperent noſtræ præconia Muſæ
Quæ cecinere bonos, quæ cecinere malos
Cur mihi non aliqua uirtus tua laude feratur?
Mendacem uirtus non habitura notam.
Nunc lege triſtantis funebria carmina Muſæ
Triſtia nunc, alio tempore læta leges

Cum tamen hæc inter Bilibaldi occurret imago
Et pia Nucelij fata, probabis opus.

MICHAELI ROTINGO AMICO
chariſsimo ſuo.

Cum me tot meritis cogar debere fateri
Præter amicitiæ nomina ſancta, tibi
Pectoris ingrati merita ſim labe notandus,
Arguar, & nullam dicar habere fidem
Si tua ſit noſtris non indita fama libellis
Si potero officij non memor eſſe tui
Præcipue cum tu cupias è carmine noſtro
Victurum æternos nomen habere dies
Ingenui eſt animi ſpecimen Rotinge, modeſta
Ambitione, iſtas quærere laudis opes
Vera quidem uirtus, nec adultera, talia quærit
Præmia, quæ ſancti nominis inſtar habet
Quæ, niſi diuina, nulla ratione parantur
Hei mihi quàm multos iſte fefellit amor
Quæ quia diuina tibi tu ratione paraſti
Non aliqua falli conditione potes
Quo minus ad ueræ meritum uirtutis honorem
Te tua quàm minimo uita labore leuet.
Alta petant alij ſpumantibus æquora remis
Oppoſito quærant ſubdita regna polo
Diuitias cumulent, celebrent fora, iurgia tractent,
Sceptra ferant, condant oppida, bella gerant,

Tu tibi tranquillæ quæ deligis ocia uitæ
Proſequere, hæc pars eſt debita ſorte tibi
Namq; nec ingenium facilis natura negauit
Nec tibi ſors etiam tota maligna fuit
Fœlix quem fortuna bonis mediocribus auxit
Quodq; dedit proprium perpetuumq; dedit
Hic neq; magnorum miretur inania regum
Nomina, nec tumidi ſplendida iura fori
Cui ſit honeſta domi nec prodiga ſumptibus uxor
Quæ coquat ad tenuem prandia parca focum
Ille nec immodico ſpectet conuiuia luxu
Fercula nec multo pulucrulenta croco
Ille nihil Siculas, menſarum crimina, cœnas
Nec maneat famula miſta Phalerna manu
Sed ſi ſorte ſua uiuet contentus, habebit
Commoda, quæ regum nullius arca dabit.
Liber enim uiuet, metuet nihil, omnia ducet
Friuola, quæ uulgi pectora uana ſtupent
Quæ Rotinge dei poſtquam tibi munere uita
Contigit, hac fœlix parte manere potes
Rebus in humanis quantum licet eſſe beato.
Parta tuis ſtudijs uita beata tibi eſt
Quæ precor ut tranquilla tibi & diuturna ſuperſit
Vt ſibi conceſſam ſera relinquat humum.

AD IOACHIMVM CAMERA-
rium ſuum.

Sdtur

Saturnalitijs quid agam Ioachime diebus
Te uere digna ſimplicitate rogas
Dum totis plebæa ſonant ſpectacla theatris
Dum tota Bromius regnat in urbe pater
Mutua dum celebrant læti conuiuia amici
Dum minimum tota quisquis in urbe ſapit
Cum me nemo uocet, nemo me accedat amicus
Cum ſpernant omnes quos ego ſemper amo
Quid faciam potius quàm ſolus inertia tractem
Quæ ſtudia in uacua ſunt mihi ſola domo?
Nam quis, ut in tali populo, dignetur amicum
Qui nunc iſtarum non ſit amicus opum?
Quis nam tali inopem dignetur honore poetam
Qui niſi Muſarum commoda nulla ferat?
Atq; ea Muſarum quis amet iam commoda, quando
Contemnunt etiam quos adamaſſe putes?
Hæc mihi cauſſa fuit lætis Ioachime diebus
In uacua ſolum delituiſſe domo
Qui ſcis quàm ſoleam gaudere ſodalibus illis
Qui mea non ægre libera uerba ferant
Quamquam hæc ipſa ſuos nouit ſibi ponere fines
Si qua mihi eſt animi libera ſimplicitas
Nunc tamen hoc mirum poterat Ioachime uideri
In tanto populo poſſe latere aliquem
Præcipue dum nemo latet, dum læta laborum
Pectora, lætitia concutiente, ſtrepunt

Tam carum caput, fidele pectus
Ad ſeras, & ad ebrias lucernas
Ponemus tibi nobilis ferinæ
Partem, Calidonidosq́; propinqua
Miſſam indagine uepribusq́; ſyluæ
Et nil præterea, ſed ipſe tecum
Adduces breue ſymbolon, quòd iſto
Pacto conueniemus, ut luamus
Et uino ſimul & uacante menſa
Quicquid perdiderint & hæc & illa
Quæris nomina forte, Quæſtor, Heſſus
Hœpellus, Stibarusq́;, Micalusq́;
I nunc eſſe nega chorum facetum.

IN LIBELLAM ASTROLOGICVM
Ioachimi

SI memoratur Atlas cœlum ſudaſſe ferendo
Si tulit Herculeus ſydera feſſa labor
Si flāmas rapuit Iouis alta ex arce Prometheus
Si Lunam ſuperis abſtulit Endymion
Te quoq́; poſteritas credet Ioachime fuiſſe
Cœleſtes ſolitum ſcandere ſæpe domos
Qui tanquam aſtrifero ſis nuper ab æthere lapſus
Aſtra, gradus, orbes, lumina, ſigna doces
Qui tam pulchra nouæ potuiſti tradere luci
Scripta palam nullo tempore uiſa prius

IN POETICAM HIERONY
MI VIDAE

NOn ita põtigenã Venerẽbene pinxit Apelles
Non ita Phidiacæ numina ſancta manus
Quã bene puberibus iuuenẽ deducit ab annis
Ad Muſas docti prouida cura Vidæ
Hunc lege qui magni cupis aurea ſcripta Maronis
Tramite difficili non remorante ſequi
Vna fere patria eſt, non una eſt uena, ſed auſum
Hoc ſperare tamen dixeris eſſe Vidam

LAVRENTIO VIGELLIO SVO.

CVm noſtra fugeres Laurenti nuper ab urbe
Cur me tanta tibi fallere cura fuit?
An quia me comitem fieri tibi poſſe timebas?
An quia quem cuperes fallere dignus eram?
At mihi dixiſſes abiturum mane, dediſſem
Quæ tibi nunc ſero carmina miſſa uides
Omnia debebant non falſos inter amicos
Verba etiam falſam non habuiſſe fidem
Si tamen officij ratio te iuſta coegit
Non eſt ad ueniam ianua clauſa tibi
Nam potius mandata tui contempſeris Heßi
Quam patris, hæc uenia res caritura fuit
Interea hæc age trade meo mea carmina Paulo
Serius at culpa carmina miſſa tua
Me, ſi forte roget, uenturum dicito, ſed quàm
Tu prius huc redeas, poße uenire nega

Quòd

Quòd ſi Pieridum tibi nunc ſubit ille ſororum,
Quem modo iactabas, non ſimulatus amor.
Non te cura diu patriæ damnoſa tenebit,
Iam uolucer certe Dædalus eſſe uoles.
Iam tu Triptolemi cuperes conſcendere currus,
Iam quoq;, ſi careas talibus, ire pedes.
Quòd ſi cura tenet chari te iuſta parentis,
Expecta, nihil eſt cur properare uoles.
Et ſi iam meliore loco res facta parenti eſt,
Non uideo cur non huc rediiſſe queas.

IN PLVTVM ARISTOPHANIS A
Thoma Venatorio uerſum.

AVribus ut placeant Graiorum uerſa Latinis,
Res eſt difficili plena labore dari,
Præcipue numeros numeris q reddere poßint
Crede mihi paucos tempora noſtra ferunt.
Quanquam ſunt etiam multi qui fortiter audent
Carmina Romano uertere Græca ſono.
Cum tamen exhibeant nil quàm quòd fortiter audent,
Præſtitit audaces forte fuiſſe minus.
Non tamen ergo ſua fraudandi laude fuerunt.
Qui bona de Graijs noſtra dedere bonis.
Sic Venatoris Romano carmine Thomæ
Iam loquitur noſter factus Ariſtophanes.
Non equidem totus, nec enim fuit utile totum
Vertere, quòd melius comica Græca ſonent.

Hoc tamen ingenij ſpecimen dedit utile Thomas,
Forſitan exemplum ſi placuiſſe queat.
Tu cui cæcus erat prius & ſine lumine Plutus
Aſpice, num ſumpta luce uidere queat.

ANDREAE OSIANDRO.

CVm neq; ſic magni tractes oracula Chriſti
Vt queat humani te puduiſſe loci.
Cum neq; ſic ſophiæ myſteria ſacra ſequaris,
Vt nolis leuibus te recreare iocis.
Cum te nulla adeo curarum ſeria turbent:
Vt gerere à Muſis corda aliena queas.
Cur mihi non animum nugas Hoſiander ad iſtas
Quas damus à curis diſſoluiße uoles?
Et tua quandoquidem nobis præſentia rara eſt,
Et mea, neſcio qua conditione, tibi.
Ne ſit amicitiæ tamen hæc iactura, quod illa
Debuit officium littera teſtis agat.
Lugubris interea funebria carmina Muſæ:
Perlege ſic uideas funera ſera, Vale.

AD GEORGIVM HALOANDRVM.

SI quid Haloander ſacratis legibus oci
Subtraxiſſe queas, iſta prophana uide.
Non quia ſint adeo ſacratis diſsita, ut ore
Hoc Muſæ poßint erubuiſſe loqui.
Sed quia funebres imitantia carmina luctus,
Læticiæ cultus non habuere ſuæ.

Nec tu

Nec tu Pieridum nunc es nouus incola regni,
Cognita iamdudum Caſtalis unda tibi eſt.
Non opus ergo meas tibi depinxiſſe Camœnas,
Quas ſatis ex ipſo noſſe colore potes.
Quod ſi forte tibi minus hæc legiſſe uacabit,
Hoc ſatis eſt, oculo tranſiliente uide.

AD HONESTVM.

SVnt qui quod nunquam potuerunt eſſe uocantur,
Moribus & uitæ nomina falſa gerunt.
Tu quoniam uere, quod diceris eſſe uocaris,
Et quod te decuit nomen honeſte geris.
Quid mirum ſi noſtra tuis ſe moribus æquam
Exhibet officijs capta Thalia tuis.
Muſica ſume igitur grato munuſcula uultu,
Quæ damus & noſtri hoc pignus amoris habe

MICHAELI ROTINGO.

DIuinam, placido qui præfers nomine, pacem
Candida qui placidæ munera pacis amas:
Pacifici placidas Regis te transfer in ædes,
Cum uagus occiduas Phœbus adibit aquas,
Mollia ſecuræ tractabimus ocia pacis,
Qui chorus ætheriæ pacis amamus opus.
Angele pacis ades, pacem fer, Veneris autem
Omnia pacificæ plena quietis erunt.
Quanquàm ſæpe ſoles pacem turbare loquendo,
Et ſedet in lingua bellica uirgo tibi.

Sed uenias,quia pacis amans Deus omnia nobis
  Læta bono propriæ pacis amore dabit.

GEORGIO HOEPELLO COMPATRI.

HVc mi Compater huc adeſto quæſo,
Poſtquàm ſol feret Heſperum cadentem,
Arcem tunc pete Regis imperantis,
Notos iam tibi cognitosq; ab uſu,
Montes ſcandere, nam chorus tuorum
Noſtrarumq; ſimul ſodalium te
Expectabit in arce conſueta,
Atq; ut cuncta ſcias,memento tecum
Nudæ ſymbolon attuliſſe menſæ,
Sed paruum ſed inutile & minutum,
Nam magnis rata pœna iam ſtatuta eſt.

HVMANISSIMO VIRO D. GEORGIO Gaudero Patricio Norico.

DIcere ſæpe tibi uoluit Gaudere ſalutem,
  Anxia amicitiæ noſtra Thalia tuæ
Dicere ſed uariæ cauſæ tenuere uolentem
  Non paſſæ audaci currere,ut ante,uia.
Quarum cum plures aliæ,tamen omnibus illis,
  Plenior,improbitas temporis huius erat:
Nam quis inaudaces hac tempeſtate Camœnas,
  Iuditioue probet conſilioue iuuet?
Sic abiecta iacet contempti gloria Phœbi,
  Palladis artiſciæ languit omnis honor,

Rara

Rara ſuum ſtudijs adhibet quem debet honorem
Gratia, rara ſuum littera pondus habet.
Artibus eximijs tantam inuexere ruinam
Nuper honorificum turba profeſſa locum:
Munera linguarum tam peſsum cuncta dederunt,
Tam populo nugis impoſuere rudi:
Vt ſit in hoc ullis uix hiſcere tempore tutum,
Qui colimus ſacri Muſica regna chori.
Qualiacunq; tamen ſint hæc Gaudere Georgi,
Non deploratæ conditionis erunt.
Spirat adhuc aliquis Muſis fauor & ſua nondum
Deſerit abiectas gratia Pieridas.
Dum te dum ſimilesq; tui non prorſus honorem,
Sacraq; Muſarum deſeruiſſe iuuat
Tu tamen in primis niſi me uaga fama fefellit,
Vnicus Aonidum diceris eſſe comes.
Macte tua uirtute chori comes unice noſtri,
Præmia uirtuti ſunt noua danda tuæ.
Gratulor applaudoq; tuæ ſuper omnia famæ,
Nec laus hac melior quam ſequerere fuit,
Arduanamq; mihi res & præclara uidetur,
Inter opes ſtudijs inuigilare bonis.
Semper enim ſtudijs inimica opulentia rerum eſt:
Vt ſtatus & ratio temporis huius habent.
Nanq; uetus melior fuit & ſapientior ætas,
Cum pulchrum doctis regibus eſſe fuit.

Cum res principibus niſi doctis nulla daretur,
Publica quo patriæ cunq; gerenda modo.
Tu quoq; diuitias doctæ iunxiſſe quieti
Prorſus honorifica conditione ſtudes.
Cunq; trahant alios ad inertia uentris auari,
Ocia, te ſtudijs appopulantur opes.
Macte iterum uirtute iſta, qua gloria nunquàm
Accedet titulis clarior ulla tuis.
Me niſi fama chori uatum uulgata feſellit,
Nominis iſta tui fama perhennis erat.
Nam mea non poſſunt aliquam ſentire ruinam
Carmina, ſit Muſas illa ſequuta licet.
Viue igitur miſſa lætus Gaudere ſalute,
Si qua poteſt Muſis triſtibus eſſe ſalus.

CLARISSIMO VIRO D. HIERONYMO
Baumgartnero V. C. Norico.

SIc tibi fauſtus eat ſic ſit ſine nubibus annus,
Cuius nunc ſubeunt limina ſolis equi.
Sic te nec tergo uideat nec fronte maligna,
Cuius hic apta deo nomina menſis habet.
Vt bonus eſſe ſoles noſtris Hieronyme rebus,
Siue benigna dea eſt, ſiue maligna dea eſt.
Cumq; alij dubijs ſeu certis caſibus actum,
Vel male diſsimulent, uel ſimulanter ament.
Solus fortuna retines in utraq; tenorem,
Conſtantes animi quem retinere ſolent.

Cumq;

Cunq; ſatis uidear deſertus ab exule Muſa,
Noſtra eſt in patria te duce Muſa ſua.
Tu quod erat certe ſine me mihi triſte futurum,
Exilium patria dulcius eſſe facis.
Nate deas inter Phœbæia regna tenentes,
Corporis atq; animi nacte decenter opes.
Debeo plura tibi quàm debuit optimus olim
Temporis Auguſto conditione Maro.
Nam neq; tunc ullo fuerant ſine honore Camœnæ
Nec ſua principibus fama maligna fuit.
Tunc ſua erant uulgo non inuidioſa poetis
Præmia, tunc cenſu non caruere ſcholæ.
Nunc ſtudia auerſum frigent neglecta per orbem
Et uix quo miſerum corpus alatur habent.
Et niſi neglectis urbs Norica præſtet aſylum,
Aut nulla aut tenuis uita futura fuit.
Qua tamen & talem niſi te fortuna tuliſſet,
Quid mihi cum turba Noris amœna tua?
Ante meos ergo uiuentis ſpiritus artus
Deſeret, & rurſus cum uolet intus erit.
Quàm tantis poßim meritus ingratus haberi,
Nomine quanta tuo iam mihi ferre graue eſt
Quod tamen ingenio poſſum ſtudioq; fideli,
Non erit officij languida cura mei.
Et mea ſi uitam, quam ſperant, ſcripta merentur,
Forte aliqua hoc ueniet nomine uita tibi.

CHRISTOPHORO COLERO V. CONS. NORICO.

QVi quod habes ueris nomen uirtutibus æquas
  Digne quidem uerſu ſed meliore cani.
Quãta tua eſt probitas q̃ quæ tibi ſcribimus olim
  Vilia, laudari carmina digna putas?
Tale equidem nihil agnoſco quod nominis huius
  Menſuræ ratio paruula ferre queat.
Dum tamen ingenue laudas mea, laude ferendum
  Candorem oſtendis pectoris eſſe tui.
Note per Aonij nemoris ſpacioſa uireta,
  Tu quoq; Caſtalio fonte Colere ſatur.
Quas tibi pro pietate tua perſoluere grates?
  Quæ poſſum meritis præmia ferre tuis?
Quid niſi quòd laudem, ſi quam mea ſcripta merẽtur
  Deberi fatear tempus in omne tibi.
Qui me nil meritum de te bene, fronte benigna,
  Accipis & multa dexteritate foues.
Quæ quia natura eſt tibi tam generoſa, nec unquã
  Parte bona ſimilis deſinis eſſe tui.
Certa meæ uenit de te fiducia menti,
  Per te etiam noſtras poſſe ualere preces.
Cum ſis Noricidæ pars tu quoq; magna Senatus,
  Turbaq́; patronum te ſtudioſa colat.
Non eſt quòd metuam ne ſit tibi noſtra moleſtum
  Carmina manſueta ſuſtinuiſſe manu.

Accipe nunc igitur miſsi tibi ſcripta libelli
Et patriæ laudis perlege ſcripta tuæ
Non tamen hic opus eſt totum legiſſe libellum
Pene ſatis fuerat lemmata ſola legi
Quòd ſi forte tibi mea ſcripta Colere placebunt
Fac precor effectum quæ placuere ferant
Sit tibi ſit fœlix qui nunc nouus inchoat annus
Integer, & nulla labe notandus eat
Sydera ſic nullam cladem tibi ſæua minentur
Sic tua te ſaluo ſit tibi ſalua domus.

IN LIBELLVM GEORGII SABINI.

VNius immenſo monumenta uolumine dixit
Cæculus, errantis per duo luſtra uiri
Multorum exiguo monumēta uolumine dixit
Hac duplici claudens fine Sabinus opus
Accipe nunc generoſa tuas Germania laudes
Ni ſis, ut ſolita es, neſcia forte tui
Quanta ſit ingenij, quæ gratia carminis huius
Tam te ſcire uelim quàm rogo ut iſta legas
Si qua fides tamen eſt ſenioris habenda Poetæ
De Iuuene, oracli carmen id inſtar habe
Me niſi fama chori uatum uulgata fefellit
Gloria Pieridum prima Sabinus erit.

VINCENTIO OBSOPOEO SVO

CVi uerum non falſa dedit uictoria nomen
Vincenti ſolida uincere docte fide
Si qua tui te cura tenet, ſicut tenet, Heßi
Ad Madidi mecum uina bibenda ueni
Quòd ſi non mecum uenias, poſt ipſe uenito
Cum fuerint ſoceri prandia ſumpta tibi
Inuenies illic quod te inueniſſe iuuabit
Simpliciter plenum pectus amore tui

D. GEORGIO STVRTIADAE

CVm nec finē habeat uirtus tua maxima nec dū
In me profuſa deſinat eſſe liberalitas
Nūc quoq; Sturtiade nō deſinis eſſe benignus
Quin uina mittis illa quæ promiſeras
Condita de ueteri quæ tu noua ducis amurca
E fece uini uina dicta ſobria
Sic quoq; nunc creſcet meritorum turba tuorum
Augebiturq; uera liberalitas.

IOBO GASTO SVO.

GAſte ſalutiferi myſteria promere uerbi
Docte bona nobis cognite Gaſte fide
Cum tibi non deſit facundæ gratia linguæ
Quiq; bonis uere candor ineſſe ſolet
Cum tibi ſint & opes nec iniquæ, nec nimis amplæ
Sed quæ ſufficiant teq; decere queant
Quid mirum ſi te placide ſtudioſa colentem
Ocia, doctorum candida turba colat.

Quorum

Quorum præcipuo quia me dignaris in albo
An meriti poſſim non memor eſſe tui?
An ne ego cum celebrem per noſtras plurima ſyluas
Nomina, te tacitum præterijſſe queam?
Non ita me faciles adament ſuper omnia Muſæ
Non ita me uatum numina ſancta probent
Quæ mihi nunc caro deducere carmina Gaſto
Incipient, & tu carmine dignus eras
Dignus eras & qui noſtris legerere libellis
Quiq; decus ſcriptis adijcerere meis
Sed tamen hæc aliâs tibi liberiore feremus
Pectore, nunc aliud quod meditabar erat
Iam Sol hyberno fugiens Chironis ab arcu
Capripedem modico lumine Pana ſubit
Orgia naſcentis prope ſunt natalia CHRISTI
Gaudia quæ nobis læticiamq; ferunt
Nos domini tecum genitalia feſta colemus
Nos duo amicitiæ maxima turba tuæ
Nos duo fatidici non ultimus Heſſus honoris
Et Lucas ueræ cultor amicitiæ
Non opus ut ſpecioſa pares conuiuia nobis
Fercula ſunt tecum qualiacunq; ſatis
Plurima non etiam perdemus uina bibendo
Cultores CHRISTI *ſobria uita decet*
Tres erimus tecum, ſi quartum quæris amicum
Adde Sigiſmundum, plena Phaſelus erit

Si tibi forte alia ratione uidetur agendum
Reſcribas quid non, quidq; morere. Vale

IN MENSA SVA NORIBERGAE

TEr tribus atq; tribus mēſa eſt hæc ſacra puellis
Non tibi cui mater, qui pater ante, fuit
Si tamē & Bromium ſuper hac libabis honorē
Pro numero Charitum Pieridumq; bibes
Tredecimus Genio dabitur, ſed plenior, hauſtus
Læticiæ reliqui læticiæq; deo
Si qua uoluptati debentur ſobria ſumes
Pocula, deformis ſit procul ebrietas

AD IOANNEM CATZMANNVM
Noricum Iocus.

REgis amans magnoq; comes gratiſſime Regi
Quo non maiores poſſidet alter opes
Deniq; ſceptrigero carus Keczmanne Poetæ
(Regia nunc fatuus ſceptra Poeta tenet.)
Cum ſis ſceptrigero carus Keczmanne Poetæ,
Cuius tu Muſas non ſimulanter amas
Cum tua non habeant aliquem præcordia fucum
Nec mens à lingua diſſonet ipſa ſua
Quid mirum noſtros ſi non ſis inter amicos
Vltimus, & multis ſi uideare prior
Sicut amicitiæ conſtabant iura fidelis
Donec in una annis pluribus urbe ſumus.

Sic quoq; temporibus debet conſtare futuris
Quo nos cunq; loco fata futura manent
Ergo ego non patiar noſtris tua grata libellis
Nomina non aliquo laudis honore legi
Non tamen huius erat mihi nunc ſuſcepta laboris
Non etiam ratio hæc temporis huius erat
Longe aliud fuerat quod nunc mea Muſa uolebat
Res tibi uerſiculis nota duobus erit
Lyncus & ipſe tuas hodie ueniemus ad ædes
Si uacat, & ſi nos forte uenire uoles.

IN FORIBVS SCHOLAE ERPHVRDIANAE CVM E NORICO REVERSVS *eſſet Anno* M. D. XXXIIII.

Ec quod adhuc reduces quo nos adducere Muſas
Poßimus placido ſydere, tempus erit?
Fallor an hanc fato melius currente reduxit
Verſa remolliti numinis ira, diem?
Sic ego, Caſtalidum ſic reddidit una ſororum
Nec de gente nouem carior ulla mihi eſt:
Quæ modo fatalem caſum cladem q; ſequutæ
Indigno miſeræ uulnere concidimus
Spem nactæ meliora dari iam numine Diuum
Tempora, de tenebris triſtibus eruimur
Et ſimul amiſſum ſtudijs reparamus honorem
Heu nimium clades hæc diuturna fuit

Quare age perge datum fatis urgere laborem
Cætera permittens, qui regit iſta deo
Talibus Vranie dictis ſolata rogantem
In patriæ rediјt lucida regna ſuæ
Nec tu Ghericula ſiue es uetus incola in urbe
Seu nouus in noſtris ſedibus hoſpes ades
Ne tu uana putes noſtra te uoce moueri
Certa eſt, & cauſſas res habet iſta ſuas
Quas tamen hic nimium fuerit memorare moleſtum
Et fuit alterius temporis iſte labor
Nunc age qui reduces poteras ſperare Camœnas
Me duce Muſarum limina rurſus adi
Me niſi uerſa retro fati uis certa fefellit
Iam ſuus ingenijs reſtituetur honor
Iam ſtudia amiſſum decus & detracta reſument
Præmia, iam uirtus nulla iacebit iners
Nam quid ut humanis rebus ſtudia iſta negemus
Quæ colimus? quæ nam uita futura fuit?
Nunquid ut indoctis regerentur & orbis & urbes?
Qua ratione nec hæ ſtare, nec ille poteſt
Mille alias taceo cauſſas, ſi mille requiras
Qui ſapis, occurrent milia multa tibi
Quisquis es aut parui nouus aut uetus accola Gheræ
Ne ſine iuditio ſcripta fac iſta legas
Nos tibi, ne dubites, Pegneſida liquimus Vrbem
Cultaq; Thuringæ uenimus arua plagæ

Non

Non quia non fuerim meritis & honoribus auctus
Sed quia magna Scholæ cura mihi huius erat
Quæ me quo potuit ſemper dignata fauore eſt
Huic ego me gratum qua ratione negem?
Hanc modo fert animus merito releuare iacentem
Si ſinat hoc qui nos, quod ſumus, eſſe ſinit
Quis tamen hoc auſit de ſe promittere ſolo
Multorum ſeries iſta laboris eget
Accedent alij qui nos aut artibus æquent
Aut eciam ex iſta uincere parte queant
Cætera ſuccreſcens moderabitur omnia tempus
Proxima iam tanget littora noſtra ratis.

IN EFFIGIEM PRINCIPIS HESSORVM

QVem iuuat Heßiaci faciem uidiſſe Philippi
Hæc uideat docta facta parerga manu
Nondum contigerat ſexti confinia luſtri
Floris adhuc primi tempore talis erat.
Tempore ſeruilis quo dira incendia belli
Suſtulit, & pacem per ſua regna dedit
Reppulit inſidias poſitas ſibi fortibus armis
Fulmineo Francas terruit enſe plagas
Exitium præſens eluſit ab hoſte paratum
Illius Auguſtum pœnituiſſe ferunt
Omnes Europæ reges conſpexit & urbes
Cumq; his certa ſibi fœdera conſtituit.

Pronior ad pacis, quàm belli ſemper ad artes
Tanta gerens primo tempore, talis erat
Nunc quoq; terribili quatiens arma horrida motu
Talis ad huc magnos fulminat ante Duces
Talis in arma uiros rapit, & Mauortia ſternit
Agmina, ceu gladijs obuia quæq; metens
Vuittemberga domos talem nunc eſſe fatetur
Hoc duce quandoquidem reddita tota ſibi eſt.
Tanta ſui primo potuit qui tempore ueris
Illius autumnus conijce qualis erit?
Quicquid erit, niſi mens ueri præſaga fefellit,
Ipſe breui magnis tempore maior erit.

IN EFFIGIEM DVCIS VDALRICI VVIRTENBERGENSIS.

HAc ducis Vlrichi depinxit imagine uultus
Nil præter uultus pingere docta manus
Quod ſi tã poſſent animi quã corpora pingi
Taliter hæc alijs poßet imago loqui
Florebam regno, atq; opibus, me gloria bello
Extulit, eximio milite fortis eram
Qualis in imperium fuerim, nec tu puto Cæſar,
Maxime ſi uiuas Aemiliane neges.
Iam pulchra nimium fœlix mihi prole uidebar,
Iam mihi ſumma bonæ ſpes rata pacis erat.
Inuidit fortuna, meosq; euertit honores,
Et patrias fractis rebus ademit opes.

Exutus

Exutus patria atq; opibus tria luſtra peregi
Tam ſunt exilij tempora longa mei
Nec merui cur indicta ratione perirem
Quæ fuerat facti certa decensq; mei
Vidit, & ex merito quod iudicat omnia numen
Reddidit & patriam diuitiasq; mihi
Friuola Siggingi quo tempore bella repreſſit
Et capto precium laudis ab hoſte tulit
Iuſta meus pro me num mouerit arma Philippus
Debita iuſtitiæ gloria teſtis erit.

D. GEORGIO SPA-
latino ſuo.

QValis eras in flore tuæ Spalatine iuuentæ
Talem nunc etiam gratulor eſſe uirum
Cum ſoleant alios aulæ corrumpere Regum
Miror te mores non poſuiſſe tuos
Qui dum Saxonidos ſplendore moraris in aula
Quinq; tuæ uitæ luſtra peracta uides
Da Curios, Fabiosq; mihi magnosq; Catonas
Deſinerent iſtic moribus eſſe ſuis
Quando igitur puero nihil es mutatus ab illo
Quem mea Bucolico carmine Muſa canit
Si qua tuo temere Spalatine negaueris Heſſo
Iam mihi longe alius quàm Spalatinus eris

Diſpeream tamen & cunctos extinguar in annos
Ni tua perpetua nomina laude feram.
Et tua Germanum non neſciet Anglia uatem
Anglia Germani ſanguinis alta domus
Nunc non paſſa fuit breuis hæc anguſtia longum
Scribere, et hoc quod habes uix rude carmē erat.

Finis Libri Noni
Syluarum.

POSTERI-
OR FARRAGO OPERVM
EOBANI HESSI
CONTINET

Vrbis Noribergæ deſcriptionem.

Expeditionem & uictoriam in Sueuis principis Heßi &c.

Coluthum de raptu Helenæ & iudicio Paridis poema uerſum.

Locos Homericos inſigniores item uerſos.

Præcepta ſalubria carmine Elegiaco ſcripta.

Medicinæ laudem ex Eraſmo Roterodamo.

Elegiarum libellum.

Quid in unoquoq; libro contineatur, index qui ſequitur oſtendet.

INDEX
IN DESCRIPTIONE VRBIS NO-
ribergæ hæc habentur.

Vrbis Noribergæ ſitus fo. 2.
Vrbis pulchritudo & elegantia 3.
Ambitus murorum urbis 5.
Muri, foſſa, turres in munitione urbis ibid.
Arx imperialis 6.
Pegneſus fluuius 7.
Pratum Allerium 8.
Laus urbis à clementia cœli 10.
Sylua urbi circũfuſa 11.
Lapidicinæ, ex quibus urbis ædificia fiũt 12.
Fõs ad lapidicinas 13.
Armentatiũ urbis publicum ibidem.
Horrea publica 15.
Curia 16.
Forum maximũ 17.
Fontis pulcherrimi deſcriptio 18.
Templum uirginis matris in foro ibidem.
Xenodochion maximũ intra urbem 19.
Templum Xenodochio iunctũ 20.
Xenodochiũ ad diuum Sebaſtianũ ibidẽ.
Quatuor leproſorum Xenodochia extra urbem 21.
Templum Diui Petri quod Sebaldinum uocãt ibidem.
Sepulchrum diui Sebaldi 22.
Templũ diui Laurentij ibidem.
Aedicula corporis Chriſti ibidem 23.
Officinæ ferrariæ 24.
Verda ſuburbiũ 26.

Horti extra urbem ibidem
Schola nuper inſtituta 27.

IN EXPEDITIONE Vuirtenbergen.

Digreßio in laudem iuuenilis ætatis Philippi principis Heſſorũ 32.
Expeditio in Francos inſtructißima 33.
Emporium Francophurti 35.
Conflictus & uictoria Philippi ad Laupham 38
Fuga & clades ad Laupham ibidem.
Philippus è ducibus Bauariæ 39.
Digreßio in laudem Heßiæ 40

IN COLVTHO

Vita Coluthi 44
Argumentum poematis de raptu Helenæ 45
Deſcriptio deorum ad conuiuium ſola diſcordia ſpreta 36.
Oratio Palladis ad Paridem 49.
Oratio Iunonis ad Paridem ibidem.
Oratio Veneris ad Paridem ibidem.
Nauigatio Paridis in Græciam 50.
Paridis & Helenæ colloquium 52.
Hermiones querela ad famulas 53.

IN LOCIS HOMERICIS.

Clypeus Achillis 58.

Martis

Martis & Veneris adulterium 62.
Equus Troianus 65.
Horti Alcinoi 66.
Therſites 67.
Vlyſſes & Menelaus 69.
Sirenes 70.
Ate 71.
Litæ 72.
Equi Achillis 73.
Cithara Achillis 74.
Haſta Achillis 75.
Thamyris ibidem
Ceſtus Veneris ibidē.
Moly 76.
Nepenthes ibidem.

IN LIBELLO DE bona ualetudine conſeruanda.

Rerum naturaliū breuis digeſtio, ab elementis & humoribus 8.
Spiritus & uirtutes 83.
Generales tuendæ ualetudinis præceptiunculæ ibidem.
De his quæ ad corpus pertinent 84.
Simplicium ciborum facultates aliquot 87.
Carnes ibidem.
Membra animalium 88.
Aues 89.
Fructus arborum ibidem.
Legumina 90.
Olera 91.
Radices ibidem.
Frumentacea 92.
Piſces 93.
Oua ibidem.
Lacticinia ibidem.
Vina 94.
Cereuiſia ibidem.
Medicinæ laus 95.
Chorus illuſtrium medicorum 104.
Chorus Muſarū 108.

INDEX IN LIBELLO ELEGIARVM inſunt.

De Schola Norica ad Bartholomæum Bacchium 110.
In auſpicio ſcholæ propoſitũ carmẽ 112
In inuidũ, quo intẽtatæ calũniæ reſpõdet 113.
Elegia de ingreſſu Martini Lutheri in urbem Erphurdiam 116.
Elegia ſecũda de ingreſſu Martini &c. 118.
De concione Mar. Lut. ad populũ Erphurdienſem, honoribusq; eidem exhibitis elegia tertia 119.
Ad Martinum Erphurdia abeuntem Elegia quarta 121.
Ad Iuſtũ Ionam theologum cũ Martino redeũtem à Cæſare, Elegia quinta 123.
Ad Huldérichum Huttenum ut Lutheri cauſam adſerat Elegia ſexta 124.
In Hieronymum Emſerũ Lutheromaſtiga Inuectiua Eobani Heßi 126.
Ad autores ludi Vuittẽbergæ in Caprum æditi 128.

τέλΘ·.

VRBS NORI
BERGA ILLVSTRATA CARMINE
Heroico, per Helium Eo-
banum Heſſum

Ad Vrbem ipſam

Qui tibi tot dedimus per tempora pauca libellos,
Per noua nunc ipſam te tibi ſcripta damus:
In te nunc agnoſce tuas Vrbs Norica laudes,
Et num de ueteri ſis noua facta uide.
Tu qua fronte meum ſis acceptura laborem
Neſcio, ſed tamen hoc ſecla futura ſcient.

MAGNIFICIS

AC SAPIENTISSIMIS VIRIS, DOminis, Conſulibus, Prætoribus, Præfectis ærario &c. totiq; Senatui inclytæ ciuitatis Nurenbergæ, Dominis ſuis colendiſſimis, Helius Eobanus Heſſus S. D.

VRBIS NVRENbergæ deſcriptionem ſapientiſſimi Patres, non illam quidem ordine, ſed per partes, ut quæq; ſe offerebat (intelligebam enim poëma me non hiſtoriam contexere) compoſitam, cui potius quàm ueſtro ornatiſſimo Ordini, in cuius maxime gratiam ſcribebatur, nuncuparem dedicaremq; non uideo, nec tum occurrebat ulla alia ratio, qua & fœlicius æderetur liber, & æditus maiorem inueniret omnium hominũ fauorem, quàm ſi ueſtri clariſſimi nominis patrocinio, uelut Palladis Aegide armatus ac decoratus exiſſet in

iſſet in lucem. Nec enim dubitabam quin ſi meo nomine periclitaturum eſſet poëma intra ueſtros, ut dicitur, parietes enatum, ueſtræ tamen amplitudinis & gloriæ reſpectu aliquo certe populari applauſu acciperetur, & quicquid mearum uirium imbecillitate decederet, id ueſtræ autoritatis magnitudine libello ipſi adſtrueretur. His de cauſsis, bona ſpe animatus, libellum ipſum Typographis dedi ut excuderetur, excuſusq; non hic tantum legeretur. Et quanquam in tempora iniquiſsima incidiſſe me uidebam, in quibus nec ſtudijs literarum ſatis dignus ullus habeatur honor, nec ſcribendorum librorum, bonorum iuxta ac malorum aliquis, ut ille inquit, inueniatur finis, tamen cum & antea complures in hac ciuitate libros non omnino maligna, ut opinor, fama emiſiſſem, non ſum ueritus et in hoc facto, utinam tam felici quàm audaci, tam meæ exiſtimationis, quàm uulgarium iudiciorum ſubire periculum, ſatius ducens paucis bonis quàm infinitæ malorum multitudini placuiſſe, cum hoc nulli ferè ſit difficile conſequi, illud quã paucisſimis, & per ſummos demum labores uix contingat. Quis enim non uideat hodie paſsim nullo iudicio ſumma impudẽtia libros ædi, nec ædi ſolum, ſed eciã probari, & quo quiſq; ſit ineptior, eo citius inueniret lectorem? Ea eſt enim imperitæ multitudinis conſuetudo, ut de bonis nunquam bene, de malis ſemper

male iudicet, hoc eſt, contemnat optima, non probet niſi quæ ſint peßima, adeo ut quæ in ſtudijs literarū uulgo fauorem inueniant, ea demum uere mala liceat intelligere. Atq; etiam quæ multitudini placeant, bonis uiris non poſſe non eſſe ſuſpecta. Ita fit ut hoc tēpore tam modis omnibus corrupto tot libri prodeāt in lucem, boni iuxta ac mali. Bonorum quidem & utilium nihil fuit unquam nimiū, malorum utinam tādem ſit aliqua ſatietas. Et fuerat fortaßis non omnino inutile mala quoq; in uulgus ſcripta ſpargere, ſi eorū comparatione bona cognoſcerentur, & non etiam optimis ferè neglectis peßima quæq; obuijs manibus excipientes toto eciam pectore amplexaremur. Hæc ea non ſcribo, quo meis libellis, quorum non paucos & in hac Vrbe euulgaui, ipſemet patrocinatus, quod turpißimum ſit, exiſtimationem parem, quam tamen ſi ipſi ſibi nō pepererunt hactenus, quid eſt quod hic anxie laborem, ut nunc tandē adſtruatur mihi, quod tot annorum uigilijs ac ſudoribus comparare non potui? Sed eo quòd indignor indoctißimis etiam idiotis idem licere, quod æquum fuerat doctis tantū permittere. Quo in genere cum odioſum ualde ſit uti exemplis, tum quia quòd qui id faciat, nō poßit non haberi ſuſpectus inuidiæ, tum q, ea ipſa, quæ huiuſcemodi ſunt, prorſus indigna cenſeri debent, de quibus anxia ſit inſtituenda diſputatio, abſtinebo nominibus, quæ

recenſere

recenſere penè infinitum ſit, & ipſo quaſi genere cõtentus ſpeciem non attingam, præſertim cum hunc locum copioſe doctorum quorundam uirorum ſtilo exagitatum eſſe uideam, nec tamen ullum hactenus afferri aut excogitari eius morbi remedium. Ego uero cum in hac ornatiſſima ueſtra ciuitate, id quoque, ut par eſt, legibus eſſe cautum uideam, ut ne quis liber, niſi prius ab eo negocio præfectis approbatus, in lucem prodeat, non poſſum non admirari ueſtram cum in adminiſtranda Republica prudentiam eximiam, tum ſingularem in prohibendis malis & ineptis libris probitatem. Cum enim hæc ciuitas uelut exemplar quoddam ac regula uiuendi gubernandiq; Res publicas, alijs multis ſit propoſita, periculum erat, ne ſi reliquæ gentes mala & inepta ſcripta hic ſpargi uiderēt, exiſtimare poſſent, hic recta quoq; ſtudia contemni, cum contra nuſquam foueantur maiori diligentia, utinamq; reſpondeat & ſucceſſus. Quanquam hoc quidem in ueſtra manu non erat, qui collabentibus paſſim literarum ſtudijs, inſtituta hic magnis ſumptibus Schola publica bene conſultum uoluiſtis. Culpa temporum hactenus fuit in cauſſa, quo minus florerent per Germaniam, uel uetera uel noua gymnaſia. Quæ tamen culpa uereor ne adeò in ſeipſam ſit reciſura, ut certis admodum ſignis diuinare liceat, breui tempore fore, ut doctorũ hominũ penuria

ciuitates ac Reſpublic*æ oẽs uel maxime pericliten tur ac laborent.* ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐκτὸς χόρου *Itaq; reuertar ad rem.* Ego *quamuis, ut paulo ante di cebam, ſtomachatus eram ualde ridiculoſa quædam ſcripta circumferri, non tamen adeo ſum ea indigni tate commotus, ut ob hoc ipſe me adſcribendum con ferrem, qui probe intelligerem tales libros, nec ſi lea gantur adferre quicquam gloriæ, nec ſi contemnãtur exiſtimationis aliquid detrahere poſſe, ſed magis ani matus exemplo honeſto doctiſsimi quondam uiri, ac elegantiſsimi* Poëtæ, Chunrati Celtis, Vrbis *ueſtræ dignitatem gloriamq; uerſibus illuſtrandam mihi de ſumpſi.* Quanquam *uero* Celtis *longe fuiſset aliud à meo propoſitum, ſicut item aliud genus ſcripti, tamẽ cũ intelligerem huiuſcemodi ingeniorum monumẽta mille caſibus expoſita eſſe, et* Celtim *ipſum nec ſcri pſiſſe oĩa & pleraque nondũ nata ſcribere nõ po tuiſſe, exiſtimabam et ego me facturũ operæ preciũ, ſi tam ea quæ ſcripſiſſet ille, q̃ quæ nõ ſcripſiſſet, hero ico carmine facerẽ nõ paulo illuſtriora.* Nam *hoc, ut exiſtimo, meo mihi iure gloriari licet, multũ lucis hu ius* Vrbis *gloriæ ex meis uerſibus acceſsiſſe, nõ quia non aliunde quoq; uel acceſſerit iam ante, uel accede re quotidie poſsit, ſed quia doctiſsimorum uirorum iudicium ſemper fuit, nullo alio genere ſcripti, æque ſtabilem, & certam gloriæ poſſeſsionem ac carmine acquiri,*

acquiri, uel quòd liberior ſit in hoc genere ſtilus, & euagetur latius, eaq; illuſtret & erigat, quæ ſi oratiōne proſa attingas iaceant, & quaſi ſua ſe obſcuritate ſubtrahant ac premant. uel quòd æterniora putantur eſſe quæcunq; bono poëmate ſunt deſcripta. Quanquam uero nequaquam gloriari poßim, bona eſſe quæ ſcribam poëmata, polliceri tamen mihi certò uideor poſſe non ita ſtatim, ac alia pleraq;, interire, quæ ego quidem neſcio, an natura ulla bona, cura certe multa ſtudioq; diligenti in ueſtram gratiam & honorem Vrbis, cui gratum oſtendere me uolebam, elaboraui. Hoc ſimul indignum iudicans, cum per multos alios eruditos uiros, lucubrationes ſuas uobis inſcribere gloriamq; ueſtram uarijs monumentis illuſtrare uideam, me qui ſextum iam annum in Vrbe ueſtra, ueſtro eciam ſumptu ac ſtipendio uiuam, nihil ad huc nominatim uobis inſcripſiſſe. Quanquam enim multos hoc quinquennio libros emiſerim, qui apud exteras quoque gentes, ſi non magno, aliquo certe in precio habentur, tamen ſubpudet me, nihil extare hactenus, quod peculiari aliquo officio me uobis obnoxium eſſe doceat. Eo igitur conſilio libellum hunc ſcripſi, ut &, quod ipſa res erat, de Vrbe pulcherrima, deque me ipſo meisque ſtudijs optime merita, non tacerem, & uobis animi mei gratitudinem ac beneuolentiam hoc

non iniucundo, ut opinor, argumento declararem. Vos ſi uiciſſim hanc meam uoluntatem probabitis, totum hoc quicquid eſt laboris ac operæ hic inſumptum, nuſquam alio collocatū uelim, probaturos uero cum ueſtra eximia uirtus & ſapientia, tum in ſtudia literarum ac earum ſtudioſos ſingularis benignitas ac muneficentia iam dudum mihi tanquam certiſſima argumenta perſuaſerunt, Valete. Nurenbergæ Menſe Martio, Anno Chriſti

M. D. XXXII.

In urbem

IN VRBEM
NORIBERGAM ILLVSTRATAM PER EOBANVM HESSVM PRAEFATIO.

VOS MIHI PRIMA noui date carminis orſa Camœnæ,
Quæ colitis placidum Pegneſi diuitis amnem.
Norida luſtrantes circum genialibus Vrbem
Delitijs, cultamq́; noua ſtatione tenentes
Herciniam, ſterili iamdudum aſſueſcitis oræ
Oblitæ patrios colles Heliconia regna,
Et nemus Aonium, & ſacræ Permeſſidos undas.
Dicam opus æternum ueſtro memorabile cantu
Vrbis Teutonici, qua non eſt altera regni
Nobilis aut opulenta magis, uel fortior armis,
Legibus aut ſanctis inſtructior, inclyta cuius
Res ita ciuili floreſcit publica cultu,
Vt non ulla magis concordia debeat ulli

Nixa bonis populo radicibus, illa bonorum
Aucta magiſtratûm meritis, uirtute fideq́;.
Tantum alias inter clarum caput extulit urbes,
Quantum ſydereos uaga Cynthia deprimit ignes,
Quantum alias inter uolucres Iouis eminet ales.
Huius ego ueras ſcripturum dicere laudes
Non auſim, nec enim capit hæc anguſtia tantum
Tam breuis illud opus, ſed ſicut in aere uerno
Prata nouo florum lucentia gramine, parcæ
Libantes rimantur apes, ita nos quoq; ſummis
Omnia ceu digitis tanti carpemus honoris
Maxima, perpetuo ducturi carmina uerſu,
Aeternos quod poßit opus durare ſub annos,
Et placuiſſe diu, numeris quia conſtet, & iſthæc
Non ita uulgatum ratio commendet honorem.
Quanq̃ quæ ratio, quis honor, quæ temporis huius
Forma placere queat quam Pieris ulla coloret?
Non ſi Meonidæ, non ſi diuina Maronis
Muſa ſuum præſens decus offerat, explicet, ornet,
Tam ſunt ingenijs hæc tempora dura, ſuisq;
Moribus indurata malis, ut uera bonorum
Nec poßint, neq; ſi poßint, agnoſcere curent
Ipſa ſibi exitio propria feritate futura,
Ni ſua forte bona incipiant agnoſcere, & iſthæc
Longa renaſcentûm ſtudiorum tædia ponant.
Non tamen huius erat locus, aut hic, ulla querelæ

Maioris

Maioris ratio, quia nos & dicere laudes
Vrbis honoratæ conantes nulla moretur
Temporis improbitas, & ſancti cura Senatus
Prouida confortare animo, noſtriq; leuare
Debuit ingenij uires, maiora uolentis
Quàm forſan præſtare queat, ſed ut omne ſub iſto
Pondere deficiat, non eſt culpanda uoluntas
Quæ ſua propoſiti non æquet uota laboris.
Si tamen eſt auſus filo neuiſſe pedeſtri,
Qui prior huic urbi potuit, nec numine læuo
Laudibus inſignem meritis contexere pallam:
Deniq; ſi quædam uulgaribus ædita chartis
Sordida, & in triuijs præconia nata feruntur,
A populoq; legi laudato digna uidentur.
Cur mea manſuras memorantia carmina laudes
Credere laudatis metuam? cur ſi qua placere
Tempore ſcripta queant iſto redolentia Muſas,
Ne mea non placeant uerear? quis deniq; tantus
Sit pudor ingenij ſibi confidentis, ut iſtum
Credere laudandum non audeat eſſe laborem?
Eximiam meritis celebrari laudibus urbem,
Præcipue cum ſint, qui nulla laude ferendas
Res celebrent, & magna graui præconia uerſu
Vilibus adijciant nullo diſcrimine, dum ſe
Venditat ignauum genus hoc, & nomina ſpirans
Magna, ſuum titulis alienis captat honorem.

Ipſe nihil famæ ludibria uana moratus
Commoda uera ſequar, quæ uera laude canentes
Digna ſequi ſolet, & nunquàm ſpes fallere honeſtas.
Nunc mihi dexter ades ſancti ſacer ordo Senatus
Qui regis æquatis populoſam legibus urbem
Noridos Herciniæ, multa quam flauus arena
Et placido mediam Pegneſus flumine ſcindit,
Huc ades & placidas aures mentemq; benignam
Verſibus his adhibe, ne noſtri ſumma laboris
Vana ſit, & nullum ſine te mereatur honorem.

VRBIS NORIBERGAE SITVS.

Eſt locus Hercinio qua ſe Germania ſaltu
Cõtrahit, & uelut in cẽtrũ coit, undiq; clauſus
Perpetuis nemorum denſa compagine ſyluis,
In ſeſe toto tractu redeuntibus ipſas
Incluſumq; uago curſu facientibus orbem.
Milia pauca quidem circum ſe quaq; patentem,
Sed ſterili totum ſabulo infœlicis arenæ
Squalentem, neq; diuitijs Cerealibus aptam.
Ille locus nunquam grauidas produxit ariſtas,
Aut inopes multa ditauit meſſe colonos,
Nec placidas Bacchi pulcherrima munera uites
Protulit, aut ullo uineta obnoxia cultu
Ni cogas, etenim cogunt, tam eſt acre colonis
Ingenium, tam mens docilis, tam uiuida uirtus,

Vt quod naturæ eſt ipſis ratione negatum
Arte parent. Sed & hæc aliâs, nunc cœpta ſequemur
Præterea locus ille alijs eſt dotibus omni
Parte ſatis fœlix, quo nec ſit amœnior ullus
E media tellure ſitis, nam proxima ponto
Excipimus, ſeu flumina ames, ſunt flumina, ſeu te
Fœtibus oblectant pleni uernantibus horti,
Non hic defuerit natiui gratia ueris,
Sunt fontes, ſunt egelidi prope flumina riui,
Sunt nemorum dulces umbræ, lætiſſima totis
Paſcua ſunt pratis, pecori eſt ager uber alendo
Atq; homini, nec tam populo natura maligna eſt,
Vt ſi pauca negat, neget omnia protinus uni.
Quid memorem celſis poſitas in collibus arces,
Oppidáq; & pagos, totq; ardua culmina uillas,
Quæ magis opportuna loco mihi cuncta canentur.
Huius in orbe loci extremo, qua uergit in Eurum
Vrbs iacet egregijs operum circundata muris,
Aedificata ſolo ſterili, uerum ipſa per artes
Facta opulenta ſuas, & florens rebus honeſtis,
Quæ (q̃a cõtigerit quondã hæc loca Norica pubes)
Norica nomen habet iuncto cognomine montis,
Cuius inæquali cliuo & radicibus imis
Adiacet, Arctoi qua ſpectat ad ardua mundi
Sydera, uiſendus procul arcis mole ſuperbæ
Ipſa cauam lato uallem complexa receſſu,

More ratis medio depreßior ultima ſurgens,
Hinc atq; hinc tollit ceu cornua, proſpicit horum
Celſius in Boream, madidum ſubiectius Auſtrum.
Ipſe uago mediam Pegneſus flumine ſcindens
Perfluit, & uarios rerum ſe præbet ad uſus
Perfacilem, ſolis nec ſordibus abluit urbem.
Qui uicini habitent populi, quæ proxima circum
Rura colant gentes forte hoc quoq; ſcire neceſſe eſt;
Norica Teutonidas media urbs regionis in ora,
Qua uidet auroræ uenientem à partibus Eurum,
Regna tenent fortes ſyluis incluſa Bohemi.
Proxima quæ pluuijs afflatibus irrigat Auſter,
Gens uetus & nullis belli uirtute ſecunda,
Rura colunt niue Rhætæ adurata Sueui.
At prope quæ ſole occiduo uineta tepeſcunt,
Magnanimi fœcunda colunt atq; optima Franci.
Aequoris immunes partem quæ uergit ad Arctos,
Duringi pingues habitant, quos inter & urbem
Pars bona de Francis interuenit, ille profecto
Omnibus hanc populis propius ſibi uendicat urbem,
Hæc natura loci, ſitus hic regionis & urbis.

VRBIS PVLCHRITVDO ET ELEGANTIA.

ORnarunt alij præſtantes laudibus urbes,
Ex quibus ut taceã ueteres, & nomina tantũ
Proxima cõmemorẽ laudauit carmine priſcã

Treuirin

Treuirin Auſonius, patriæ non immemor idem
Burdegalam clara cantatam uoce reliquit.
Tempore & ingenio minor hoc Sidonius urbem
Laudibus æternis cecinit, quam diceris olim
Poſſediſſe tuo miles Decumane colono.
Nec tibi uulgari cantata eſt Lypſia uerſu
Buſchi Pieridum comes inclyte. Quid loquar autem
Hanc quoq; (quam nobis nunc eſt noua nata uolũtas
Commendare nouo uenturis carmine ſeclis)
Inueniſſe ſuas qui poſſet dicere laudes.
Non temen has aliquo cantatas carmine, Celtim
Quod magis illuſtrem poterat decuiſſe poetam,
Quod quia fòrte ſuis ſic poſſe placere putauit
Temporibus magis, hoc nobis opus ille reliquit.
Nunc egò, quando alias alij cecinere poetæ,
Norica berga tuas laudes, tua nomina dicam
Inclyta, & æternæ tradam per carmina famæ.
Dum tamen hic dubito, quæ prima exordia ſumam,
(Tantarum confundit enim me copia laudum)
Dumq; oculos animo ſequor, & cõtemplor in omnes
Mundiciem partes urbis, cultumq; domorum
Arte laboratum, non de uulgaribus ulla,
Sed qua rara ſolent & non niſi magna parari.
Dij quales arces, dij qualia mœnia cerno,
Qualibus urbanas extructas molibus ædes,
Qualia perpetuo ſurgentia culmina ſaxo,

Saxo quale genus producit Norica tellus,
Arcibus æternis haud quaquam uile locandis,
Naturæ ingenio quodam, quo namq; reciſum eſt
Tempore molle fuit, facile & tractabile ferro.
Poſtquàm auras tetigit ſuperas (mirabile dictu)
Dureſcit magis atq; magis, roburq; manendo
Concipit, & ſenio ſuperat durante iuuentam,
Pluraq; non patrios in ſecula prorogat annos.
Hoc lapide aſſurgunt opera omnia, publica nedum
Verum etiã priuata, domus, fora, templa, per omnes
Aequatis certo regionibus ordine partes,
Supra priuatos quàm poßis credere ſumptus
Sufficere, & tantas potuiſſe attollere moles.
Magnorum dicas æquare palatia regum.
Huc licet antiquas fama æmula conferat urbes,
Vel nos uincemus, uel non cedemus honori
Temporis antiqui quantacunq; arte ſuperbo.
Non huic clara Rhodos certauerit aut Mitylene,
Non Epheſus, duplici non æquore clauſa Corinthus,
Si ſint nunc etiam quales quandoq; fuerunt.
Atq; ut prætercam longis opera ædita ab annis
Si noua nunc etiam ſpectes ſurgentia, dicas
Poſt paulo eximijs talem fore cultibus urbem,
Qualem non aliam præſens conſpexerit ætas
Quamodo cunq; patet latis Germania campis.

AMBI-

AMBITVS MVRORVM VRBIS.

Hic quoq; præfati ueniam, ſi carminis huius
Paupertas breuibus nō clauſerit omnia chartis
Quæ uel erāt dicēda. uel olim dicta ſuperſunt
Aut non hiſtoriæ quo debent ordine leges
Cuncta uelut radio contexant fila ſequaci.
Hoc opus eſt Muſis omni ratione pudendum,
Nunc quoq; quod faciunt uix excuſabile factum.
Hanc præfati igitur ueniam quia pinximus urbis
Noridos expreſſi ceu prima inſignia uultus
Par erat hoc eciam dictæ adieciſſe figuræ
Quanta ſit, ut poſitos includat ducta colores
Linea, ne dubijs forſan fallare parergis
Vrbs mihi ſollicita nunc deſcribenda Camœna
Omnis circuitu murorum milibus octo
Ambitur ſtadijs, ratione uidelicet illa
Quatuor & bis tricenis duo milia, noſtro
More, ſed inde aufer duo milia cum quingentis
Paſſibus, hoc ſpacium eſt muris, hic ambitus urbi
Haud quaquam exiguæ, nec quæ ſit maxima, rerum
Proxima præcipuis, quanquam quid ad urbis honorē
Quidue ualent ad opes & honeſta negotia rerum
Murorum ingentes gyri, ſi cultibus intus
Magna uacent ſpacia, & deformia tecta ruinis
Ciue egeant, quales heu multas uidimus urbes?
Nam dolor eſt meminiſſe, ſed hic non ulla locorum

Deſolata iacent, nullus uacat angulus, omnis
Plena, nec ipſa ſuis ſatis eſt urbs ampla colonis.
Atq; hic multa meam ſubit admiratio mentem
Parte aliqua Solymas hac poſſe fuiſſe minores
Quæ tantum caperent populum, quo tempore pœnas
Perſoluere ſuo crucifixo ſanguine Chriſto
Romanosq; ſuis uinclis auxere triumphos,
Quandoquidem ſuperet Solymas hæc milibus ipſas
Plus tribus antiquas, ſi littera uera loquuta eſt.
Quid tamen hoc refert nec enim ſi plura uelimus
Talia commemorare, modum ſtatuiſſe queamus.

MVRI, FOSSA, TVRRES IN *munitione Vrbis.*

Qui primus tormenta ſonos imitantia tetri
Fulminis inuenit, quisquis fuit ille, bonorum
Hoſtis, & humanæ uitæ certiſſima clades
Ille fuit, ſtygijs hunc miſit Erinnys in orbem
Sedibus, ut placidæ turbaret commoda pacis.
Hic ſcelere & Titanas, hic & Salmonea uicit
Impietate ſua, quo nec crudelius ullum
Immiſere malum ſuperi mortalibus ægris.
Quis neget iratos hoc inuentore fuiſſe
Humano generi, per quem ſimul aurea pacis
Ocia ſunt turbata, ſimul pulcherrima uirtus,
Militiæ uis, fama, uigor, laus, gloria, robur
Turpiter interiere, nec unde reſurgere poſſint

Inua

Inueniunt, hoc inuento uictore quietis.
Hunc propter muniri urbes, & cœpta profundis
Oppida concludi foſsis, atq; aggere cingi,
Turribus & muris defendi, hic fecit ut eſſet
Tuta loco uirtus, nec ſe iam crederet æquis
Armorum ſpacijs, eadem tibi Norica berga
Cauſſa fuit ualidis circumdare mœnibus urbem
Et foſſas turresq́;, & propugnacula muris
Addere, nam triplici muro es circumdata, quorum
Turribus interior ſtat firma mole ducentis
Terribilis, ſpacio ſe inter diſtantibus æquo.
Hunc inter mediumq; interſitus agger arenæ
Perpetuo tractu circum, ſubit alta patensq́;
Foſſa ter undenis pedibus, quam flexibus ingens
Tertius æterno claudit munimine murus.
Conferat huc aliquis ueteris mihi mœnia Thebes
Portarum numero falſis infamia ſcriptis,
Et liceat falſo portarum nomine turres
Sicut Meonidæ nobis quoq; dicere, duplo
Vincimus, & nullo tegimus mendacia fuco.
Quid noua nunc dicam ſurgentia mœnia? quantæ
Accreſcant ueteri moles, quæ robora muro?
Magnorum uideas dicas opera eſſe Gigantum
Cyclopum fabricata manu, ueteresq́; putabis
Hic iterum muris circumdare uelle Mycenas.
Quid loquar æquatas ualles montesq́; reciſos?
Translatosq́; alió tumulos? ne mœnibus urbis

Obſtarent, damnoq; forent, ſi perfidus hoſtis
Occupet, ac tumulis protectior incubet urbi.
Quod fieri diuina uetet clementia, & ipſos
Hac hoſtes potius condemnet clade malorum.

ARX IMPERIALIS.

Diximus occiduũ qua parte urbs uergit ad axẽ
Arcem cliuoſi ſuper alto uertice montis
Eſſe ſitam, poſitæ quæ deſuper imminet urbi
Vnde patet totos late proſpectus in agros,
Qui iuxta circumq; patent, ſyluasq; patentes
Claudentesq; plagam turritæ more coronæ.
Illa igitur celſi ſurgens à uertice montis,
Sydera celſa petit, tectis cœloq; minatur.
Alta domus Regum, domus inclyta Cæſaris olim
Cum placet & quoties inuiſere Norica magnis
Mœnia Cæſaribus, namq; & regaliter omni
Aedificata modo eſt intus, foris haud ita cultu
Conſpicienda pari, ſed in atri robore ſaxi
Impoſitum conſiſtit opus firmumq; uetusq;,
Non ſecus ac medio quæ prominet æquore rupes
Deſpicit & uentos, & rauca tonitrua cœli
Vi nulla concuſſa, nec ulla mobilis arte,
Sic firmata ſuo ſtat robore Norica moles.
Deforis aſpicias, Cyclopia ſaxa putâris,
Intus ubi ingreſſus fueris, ſimul omnia magno

Magnificaq́; opera admirabere condita ſumptu
Ornatuq́; pari diuorum ſedibus. Illic
Claudit inauratum conclauia picta lacunar
Plurima, ſunt illic trabibus fulgentibus aulæ,
Illic incruſtata nitent uariante colores
Arte pauimenta, & radiantes ære columnæ,
Plenaq́; nobilibus cælata toreumata ſignis.
Et quæ cuncta piget breuibus numerare camœnis
Ornamenta loci, quæ multo plura ſuperſunt,
Quàm canere Heroi deceat modulamine uerſus:
Hoc ſtetit antiquæ, ſi uera eſt fama, Dianæ
Ara loco, noſtrisq́; etiam Latonia ſyluis
Culta, Genethliaci liquit iuga frondea Cynthi,
Scilicet aut ſyluas, aut horrida bella colebant
Noſtri maiores, nam ſeu pax læta uigebat,
Venatu, uicijs nondum corrupta iuuentus
Ocia fallebat, doctiſsima uiuere rapto.
Cùm niſi parta graui res nulla labore iuuaret,
Seu fera ſanguineum reſonabant claſsica Martem
Bella ſequebantur, bello gens nata gerendo,
Illecebrarum hoſtis, duræ uirtutis amatrix.
Credibile ergo magis fuerit coluiſſe Dianam
Quàm non legitimam Venerem, uel mollia Bacchi
Orgia ueſani, nec gaudia honeſta ferentis,
Vel quicquid luxu corrumpere deſide uitam
Et patriæ queat indignos inducere mores.

Adiacet umbroſa tililetum fronde uireſcens,
Dum ſinit & melior cum ſole reuertitur annus
Frigore grata quies ſoliſq; leuamen ab æſtu
Igne ſuo ſteriles dum findit Sirius agros.
Nec deſunt uarijs uernantes floribus horti,
Quales blanda Venus tibi pulcher Adoni parauit,
Penſile ſuffultum ſtat opus nixumq; columnis,
Quale apud Aßyriam memorant Babylona fuiſſe,
Si tamen exiguis componere maxima fas eſt.

PEGNESVS FLVVIVS.

QValis in Aemonijs Peneus nobilis oris
Inter amœna fluens curſu laureta ſecundo
Labitur, & uirides leni ferit agmine ripas,
Talis ab æſtiuo Phœbæi ſyderis ortu
Piniferos placido Pegneſus flumine montes
Inter & arua ſecans pratis ſpaciatur amœnis,
Norica lenifluo donec ſe in mœnia lapſu
Inſinuans, mediam placido fluit amne per urbem
Magnificaſq; uadis hinc atq; hinc alluit ædes,
Lenibus ipſe ſuis magis ac magit ædita ripis,
Culmina miratus, ſemperq; recentia cultu
Tecta nouo ſpectans, pontes ſubterfluit altos
Bis ſenos, quorum quidam de marmore ſtructi,
Quidam ſublicij diuerſis partibus urbem
Coniungunt, ſubit ille rotaſq; & ſaxa molarum

Corri

Corripiens rotat, ac uictricibus atterit undis.
Nam tenet innumeras non tantum farra molentes
Littus utrumq; molas, ſed & atra fragmina ferri
Cudentes, duraq; trahentes forcipe lamnas,
In minimas donec ceu fila ſequacia partes
Diducant longi ſtridentia pondera ferri.
Vno igitur primos illapſus flumine muros
Scinditur in geminas ubi naſcitur inſula partes,
Inſula congeſto quæ ſumit ab aggere nomen,
Lata ſatis, ſpacioq; ſatis planiſſima longo
Efficit hippodromum, uideas certamine multo
Cornipedum curſuq; teri, cui margine utroq;
Prætexunt uirides umbracula frigida ſyluæ,
Cum furit & nimios igniti ſyderis æſtus
Sirius ardor agit, tililetum ſubter amœnum.
Ille locus gratas præbet ſpaciantibus umbras
Ad ripas utriusq; uadi, tum plena lauantum
Et releuantum æſtus gelidæ ſub tempora noctis
Flumina conſpicias, ibi uelamenta puellæ
Linea uicini madefactant fluminis unda,
Et multo madidis immiſſo ſole colorant,
Donec in optatum certent niue uerſa nitorem.
Sunt quoq; naſcentes illic medicantia thermæ
Balnea corporibus morborum tabe grauatis.
Artificumq; domus tenuiſſima fila trahentum
Texentumq; nouos pannos, maioribus olim

Inſuetum genus,noſtra uix urbe receptum
Nuper,& augendis opibus ſucceſsio facta eſt.
Inde in ſe rediens unum coit amnis in alueum
Vnus & ipſe fluens,donec diſcrimine rurſus
Diſſectus duplici,partem circumfluit urbis
Exiguam,clauditq; forum,quo quicquid ab uſu
Diſplicuit,uel iam uetus eſt,uel inutile,uenum
Adſolet exponi,poſt hoc ſibi rurſus ad imum
Redditus elapſum ſubit extra mœnia curſu
Lenifluo,multis paribus piſcoſior amnis.
Piſcibus innumeris,ſiquidem Pegneſus abundat,
Non ſtupidis,non inſipidis,non qualibus aiunt
Eſſe lacus plenos atq; exundare paluſtres,
Qui limum turpiſq; trahunt ſcenoſa fimeti
Pabula,ſed uiui gaudentes fluminis unda,
Fercula ieiuno præbent iucunda palato.
Nomina quis referat?quorum uel barbara quædam,
Vel ſunt nota parum,nec idonea carmine dici
Salue amnis uicture diu,ſi forte Camœnas
Vlla manet noſtras uenturæ gloria famæ.

PRATVM ALLERIVM

ERgo ubi ſe fluuius tulit extra mœnia, pratum
Alluit,& leni complectitur agmine, quantum
In longum poſſunt quingenti extendere paſſus.
Allerium dixere patres:nec prouida mutat

Nomen

Nomen poſteritas, rationem nominis huius
Nec moror ipſe, eadem nec dicitur eſſe per omnes:
Quis queat illius prati uernantis honorem
Aeſtiuumq; decus uerbis æquare canendo?
Non mihi tota ſatis fuerint Peneïa tempe,
Si quis ad hæc diuûm loca transferat, aut Sicularum
Regna uoluptatum, quas aut in uallibus Aetnæ
Herbiferis, aut ad gelidum miremur Helorum.
Non ego delitias tales uidiſſe putârim
Thraca ſub Hemigenis labentem rupibus Hebrum,
Quales hic Pegneſe uides cum floriger annus
Regnat, & effudit plenum noua copia cornu.
Huc ex Orchomeno Charitas migraſſe putâris,
Atq; adeo nudas ſeſe exhibuiſſe uidendas
Atq; amplexandas, ita dotibus omnia fulgent
Hæc loca natiuis, alias hic frigida leues
Aura mouet, ſerie quas area longa quaterna
Continet impoſitas, quam totam ingentibus umbris
Pene tegunt, grauidosq; leuant ſubeuntibus æſtus.
Hic quoq; conſpicui tres ſecto è marmore fontes,
In caua ſuppoſita ceu baptiſteria labris
Aeratis gelidam fudere canalibus undam.
Atq; ita ſub calidi ſolis ſitientibus æſtu
Aerea largifluum ſuffundit fiſtula rorem
Tam gelidum quàm ſi brumali frigore manet,
Tam liquidum quàm Blanduſiæ ſit uitreus humor.

Caſtalium dicas fontem, aut Aganippidos undæ
Huc aliquam tacito delatam flumine uenam.
Si modo ſint Muſæ, quæ Norica flumina potent,
Quanquam ſunt etiam, ſed nos decora inclyta prati
Conuenit Allerij nugis deducere omißis,
Parte quod á læua tranquillo cingitur amni
Dextera colle uiret modico, leuiterq; remiſſum
In cliuum ſurgente, ſed hortis arboribusq;
In ſpeciem nemoris cultum, quibus inuolitantes
Vernant argutæ uolucres, & uocibus auras
Dulciſonis mulcent, ſeu Phœbus mane renaſcens
Infudit rebus quem nox tulit atra colorem,
Seu cum ſumma tenet, ſeu cum petit ultima cœli
Limina, Atlantiaco tincturus in æquore cu rum.
Ille locus nunquam uacat, aut conſortia neſcit,
Non tamen usq; adeo capit immoderata uoluptas
Iſta loci, neq; ſic mores euertit honeſtos,
Vt quicquam uel turpe gerant, uel inertia tractent
Ocia, ciuiles nec reſpicientia leges.
Quicunq; iſta colunt læti uiridaria prati,
Nec quiſquam de tot ſubeuntûm milibus unquam
Iurgia funeſtæ mouit diſcordia pugnæ:
Tantus amor populo, tam cura eſt ſedula pacis,
Tam fundata bonis concordia legibus hæret
Omnibus inconcuſſa, nec eſt qui ſoluere tentet
Nam ſcelus auſurum uetat ultrix pœna feroci

Addita

Addita præſcripto, quoniam ſunt multa malorum
Milia, nec tanto in populo ſine legibus unquam
Tranſierint iſtæ ſine cæde & ſanguine turbæ
Extra præcipue cohibentia mœnia ſontes.
Quid memorem, quoties leuibus certare ſagittis
Collibuit, quàm pulchrà locum notet area, circum
Clauſa nouis trabibus, quàm nullæ deſuper umbræ
Impediant, quàm colliculo ſtet condita turris
Aeditiore ſcopum retinens, tum ſi qua frequenti
Sint ſtata, ſicut ſæpe ſolent, certamina ludo,
Picta toreumaticis ſtatuunt tentoria ſignis
In medium, aduerſæ contra ſignacula metæ,
Vnde queant poſitum iaculis contingere circum,
Non oræ tantum Pegneſidos accola ciuis,
Verum etiam ueniens alijs ex urbibus hoſpes.
Vidimus hoc etiam magnos certamine reges,
Vidimus Heroas claros, famaq; ſuperbos
Decertare duces in amœni puluere prati,
Prati carminibus noſtris nunc nobilioris,
Quàm uel præſtiterint uarijs tot ſecula ludis,
Vel præſtare queat uenturis ulla diebus,
Aequatura licet regales pompa triumphos.

LAVS VRBIS A CLEMENTIA COELI.

QVid quòd non aliam clementior aëris urbem
Spiritus afflauit, nec enim, pulcherrima ſano

Aedificata loco, uiciantes accipit Auſtros.
Corpora letiferi pereuntia tabe ueneni
Sæpius, ut fama eſt uinoſæ Mœnia Leſbi,
Artifici ſtructura operum, ſed peſtilis auræ
Illapſu fundata, ſed hanc neq; peſtifer ullus
Ventorum contingit odor, quia dura ſalubris
Poſſidet arua ſoli, quod nec fregere paluſtres
Illuuie fœda, & uiciato humore lacunæ.
Frigida nec tetras exhalant rura Mephites.
Cum neq; ſulphureæ ſubeant per concaua uenæ,
Antra ſalebroſas ſubter ſqualentia rupes.
Sed ſterili regio tota obducatur arena,
Et ſubtus niſi ſaxa iugo concreta perhenni
Dulcibus adſoueantur aquis, ac tota rigetur
Ora probabilibus potuq; ſalubribus undis.
Non mirum ſi nullus ab his uapor ater ad auras
Exhalet, latebris qui triſtibus aëra fumis
Inficiat, uiruſq; nocens in corpora ſpargat.
Adde quòd hyberno plaga Norica frigore nunquam
Torpuit uſta nimis, nec iniquis ſolibus arſit
Temporis æſtiui nimium, ſed utraq; uiciſſim
Temperie gaudens, raro mala tempora ſenſit,
Corpora tabe ſua graſſantis in omnia peſtis.
Hinc etiam uigor ille animorum, hinc uiuida gentis
Ingenia exultant, quando ſolet aëris idem
Qui fuit, eſſe animis habitus, quando inde trahuntur

Virtutes, uicia & peſtes, rerumq; figuræ:
Qui quia Germani latiſsima regna per orbis
Purior eſt nulli, nulliq; benignior urbi,
Non alibi meliora uigent in rebus agendis
Ingenia, aut animi magis ardua facta ſequentes.
Corpora quinetiam multo robuſta labori
Sufficiunt, & militiæ ſatis apta iuuentus.

SYLVA VRBI CIRCVMFVSA.

CIrcuit incluſam pulchris amplexibus urbem
Sylua, patens paſsũm per milia quinq; receſſu
Interiore ſui, uel paulo plura, nec ulli
Herciniæ nemorum cedens, ſi commoda ſpectes,
Aut etiam quæ ſyluarum ſolet eſſe uoluptas,
Te iuuet, atq; animi tantum oblectamina quæras.
Nanq; nec immenſis horrendos cornibus Vros,
Nec ſtupidas gignit prælongis cruribus Alces,
Qualia Sarmaticæ paſcunt animalia ſyluæ,
Olim etiam noſtras non ignorata per oras,
Dum magis incultis Germania ſaltibus eſſet,
Horrida, quæ proprio nunc eſt ita ſplendida cultu,
Vt nulli poſsit terrarum cedere, uerum
Cuilibet æquari quæcunq; ſit urbibus amplis
Prædita, & uberibus cultiſsima floreat agris.
Sunt tamen & nemora, & ſaltus, & plurima ſyluæ
Copia, uenantũm ſtudijs accõmoda, nec dum

Arboribus nudi montes ingentibus omnes,
Vnde ſit innumeris uis prodiga materiei
Vſibus, & noſtræ ne eą deſit gloria genti.
Quam uacui nunquam præſtarent iugera campi
Talis & hæc, cuius nobis nunc maxima ſyluæ
Vtilitas memoranda fuit, quæ Norica circum
Mœnia proſpiciens, ſimul amplis fructibus urbem
Afficit, & multa, ſi qua eſt ea gloria, ditat
Dote uoluptatum, quæ cum ſit honeſta uoluptas,
Non ſpernenda fuit, ratio ſed maxima honeſtæ
Vtilitatis erat, cuius ſi carmine dici
Haud quaquam ſimplex facies potuiſſet in ullo:
Hoc etiam mihi dicta foret, nunc commoda præſtat
Plura breui quàm quis poßit comprehendere uerſu.
Materia quodcunq; ad opus, quacunq; redundans.
Semper inexhauſto frondeſcens germine, quamuis
Innumeras laſſet, tot ſecula cæſa, ſecures.

Quod genus hoc Muſæ? ratio quæ? quasue partes
Sylua nec immunis, nec maxima durat, & omnes
Viribus ipſa ſuis uelut æmula creſcit in annos.
Gens nemorum ſtudioſa, ſuas Germania ſyluas
Ipſa ferit, cogitq; nouo pubeſcere fœtu.
Cum uel arena ſiti ſterilis conficit iniqua,
Vel labor excidit diuturnus & arida facta eſt
Planities, tum ne iaceant loca uaſta reciſis
Arboribus, noua conficiunt, & ſemina mittunt

Sparſa ſolo uacuo, campiſq; iniecta relinquunt.
Tum uideas prodire nouas ſine ſtipite frondes,
Mox quoq; colliculos tenues, tum cortice robur
Adcreſci, paruoſq; umbram defendere ramos
Exiguam, teneramq; nouo de germine ſyluam
Surgere, & in patrias paulatim adoleſcere formas,
Donec in antiquũm redeat decus, altaq; cœlo
Attollat capita, & concuſſo uertice nutet
Laßatura iterum patrias iam ſylua ſecures.
Has aliæ innumeræ, per tot iam ſecula, terræ
Neſciuere artes reparandarum ſyluarum,
Inuentrix docuit Germania, tanta cupido eſt
Tantus amor nemorum, quorum uel blanda uoluptas
Vel grauis utilitas ſit reſponſura labori.
Cætera nanq; ferunt ſpacioſis iugera campis,
Sicut & hæc intra late proſpectat & extra
Vicinos plenis flaueſcere meßibus agros.
Hæc eſt Herciniæ multum pars inclyta ſyluæ,
Norica quæ longo circumdat mœnia flexu,
Extirpata diu, niſi ſic recidiua maneret.
Magna parte ſui, poſtquàm defecit, & ipſam
Se reparans, ſemperq; noua ſibi prole renaſcens.

LAPIDICINAE EX QVIBVS VRBIS AEDIFICIA FIVNT.

Haec eſt Hercinij longe pars inclyta ſaltus,
Circumfuſa uagis incluſæ amplexibus urbi.
Quæ non tecta modo ciuilia, materiēi
Fœlici ubertate, omnes conſeruat in annos,
Nec tantum bona delitijs, aut deniq; blandæ
Nata uoluptati, ac pinguis fœcunda ferinæ,
Verumetiam generoſa ſuo ſe marmore iactat.
Quod fundis lapidum creſcentem ſemper ad urbem
Mittit inexhauſtis, qua proxima ſpectat ad ortus
Hybernos Aurora tuos, decliuis in Auſtrum
Diſsita uix paſsûm tria milia, tam prope tantas
Naturæ produxit opes clementia, tanta eſt
Illius ubertas, tam diues copia ſyluæ.
Nam iuga paulatim qua ſurgit in ardua, totis
Saxea uiſceribus ſubſunt ſola, dixeris unum
Eſſe omnes lapidem colles, nam pluribus antris
Eruitur, paſsimq́; ſpecus natiua theatra
Saxifragi ducunt, unoq́; è marmore muros
Ingentes, nuſquam rimæ, non uulnera ſaxum
Vlla per integrum, niſi quæ fecere ruendo
Cædentes latomi lapidoſi uiſcera montis.
Nam cuneis ſcindunt multa ui fiſsile ſaxum,
In partesq́; ſecant uarias, quadrasq́; recidunt:
Informes grauibus poliendas inde dolabris
Artificiq́; manu ſtructuræ in nomen ituras.
Aſsiduo uideas ſtudio feruere laborem.

Fruſtra recidentum camerati è fornice ſaxi
Atq; ipſos pendere uelut de rupibus altis
Moliriq; ſuis è ſedibus ardua montis
Viſcera, ſaxifrago ualles plangore reſultant.
Illi operi incumbunt, atq; ictibus aëra rumpunt
Perpetuis, iam ſaxa caua de ſede reciſa
Prona ruunt, uaſtoq; trementem pondere terram
Concutiunt, longo ſonitu nemus omne remugit
Nec minor his labor eſt, qui fortibus ordine longo
Curribus expediunt, & in urbem ſaxa reportant.

FONS AD LAPIDICINAS.

Præterea arboribus locus eſt et amœnus et ũbris
Frigidus, & iuxta fons in conualle propinqua.
Abiete ſub nigra manat gelidiſsimus unda,
Incluſus ſecto lapidi, ſitientibus olim
Dulce refrigerium, non illum Solis iniqui
Contingunt radij, non denſum frigus adurit,
Tam rami nemoris ſemper frondentis inumbrant,
Et munit natura loci, nam preſſus in ima
Valle co..rctatur lapidum munimine pulchro.
Vt ſi for.e ſitim ſis extincturus, ad ipſum
Deſcendiſſe tibi ſit per bis terna neceſſe
Limina iunctorum graduum, nec prodiga tantum
Præbet adhærenti latomorum pocula turbæ:
Verum eciam urbanæ ſæpe oblectamina plebi,

Matronis, ſenibus, pueris, nuribusq́; puellis
Exhibet, huc etenim dum formoſißimus annus
Permittit ueniunt, & uina liquentia ſecum
Vina ciboſq́; ferunt, & grati fontis ad undam
Syluestri celebrant conuiuia læta ſub umbra
Ipſe ego (nam memini) luſtro iam rite peracto
Ad fontem ſalientis aquæ cum ſæpe uenirem,
Tam ſum conueniente loci dulcedine captus
Illius, ut cuperem tentoria figere, & illic
Exigere hoc reliquum: Muſis præſentibus: æui.
Et locus eſt Muſis certe ſic commodus ipſis,
Vt ſi forte uelint noſtras habitare per oras,
Non alium legiſſe locum, nec quærere uellent,
Non alios fontes. Sed enim quia fonte ſub iſto
Sæpe Venus latuit, leuis & ſua tela Cupido
Torſit ab his latebris per inertia pectora amantûm
Diffugere Deæ, non tam loca pulchra peroſæ
Quàm non eſſe loco ſua commoda, qualia uellent
Qualia uel deceant Heliconia templa colentes.

ARMAMENTARIVM VRBIS *publicum.*

AD luſus natæ, non ad dicenda Camœnæ (eſt
Arma mihi, nũc arma mihi memorare neceſſe
Sed tantũ memorare, nec in fera prælia ductã
Nec bello commiſſa, ſed in fera bella parata.
Qualia nulla prior uidit nec protulit ætas,

Talia, in euentum quemuis ſpectantia belli,
Continet una domus, domus una, ſed ampla receſſu,
Multiplici, rerumq; capax, quis talia Regum
Arma habuiſſe queat? quamuis nunc omnia multis
Artibus armorum loca ſint pleniſſima, nulli
Contigit, illa tamen tantarum gloria rerum,
Quantas hic populus cumulatis poſſidet armis.
Quid morer in minimis, & nomina parua canendo
Defraudem maiora loco? Quis dixerit autem,
Quis facile expediat, quot milia chiriboardæ?
Quot baliſtarum pendentum? quantus aceruum
Congerat haſtarum numerus? uis quanta bipennum?
Quis modus harpagonum? quis ferrea tæla, ſecures,
Herculeasq; ferat clauas? quis in ordine glandes
Multiplici poſitas, globulosq; ex ære rotundos?
Quid clypeos frameasq; loquar grauidasq; pharetras?
Aclidas, Anconasq;, Macedoniasq; Sariſſas?
Quid tormenta uagas iaculantia in aëra flammas,
Saxaq; deciduo ſternentia pondere quicquid
Contigerint? quid mille alijs data nomina tælis?
Omnia quis numero capiendis urbibus apta
Inſtrumenta queat comprehendere? longior æquo
Efficiar, ſi cuncta uelim deſcribere, quorum
Nomina uix capiunt faciles horrentia Muſæ
Verum age terrifici uerisſima fulmina Martis
Expediam, ſonitus dictas de nomine rauci

Bombardas,hominum clades,rerumq; ruinas,
Murorum tormenta,Deorum ſigna furoris.
Tales mille tamen uideas hic ære ſonoro
Artifici factas opera,ſtant curribus altis
Innixæ ualidisq; rotis,ſtant ordine longo,
Et uario tormenta Iouem motura tonantem,
Terribiles uiſu formæ,licet arte magiſtra
Nulla laborati maior ſit gratia facti.
Illas ſæpe uidens aliquis dubitauit,an eſſet
Plus operæ precij quàm quod foret artis in illis,
Cum tamen ex æquo ſpacio conſtaret utrunq;.
Nam quia non uſquam fundendi operoſior æris
Gens alia eſt,Europæ inter latiſſima regna,
Quàm quæ de ueteri,ſi uera eſt fama,profecta
Noride nomen habet,quæ nunc impoſta ſubacto
Mœnia Pegneſo colit,haud res mira uideri
Debuit,his alias ſi uincit rebus & urbes,
Et populos,quando hæc eciam maioribus ætas
Præualet armorum ſtudio,decore artis,& uſu.
Nam quid ad hæc collata queant uetera arma uideri?
Queis neq; nūc ratio ulla,nec eſt locus ullus,ut olim
Ariete cum duro quaterentur mœnia,nec dum
Tanta Cyclopæos afflarent fulmina muros,
Diruerentq; eciam ualidas uno impete turres,
Fœlices quos illa tulit prior omnibus ætas
Aurea,& inſani ſtudijs innoxia belli,

Et nihil

Et nihil armorum, nec talibus indiga rebus,
Quæ pia pacificæ tollunt commertia uitæ.

HORREA PVBLICA.

VRbis in Hercyniæ medio ſterilicꝗ; locatæ
In regione ſitum quis neſciat? unde nec uſus
Diuitis uber agri, nec earum copia rerum
Vlla ſit unde famem propellere poßit egentum
Turba hominum? tamen ex aliquo ceu diuite cornu
Affluere huic populo, quibus & ſe poßit abunde
Atq; alios plures, quis non miretur? in annos
Paſcere ſi qua ferat rerum fortuna nouarum
(Quod procul auertant ſuperi, tranquillacꝗ; pacis
Dona ſalutiferæ noſtris ſupereſſe diebus
Annuat, atq; omnis tribuat Deus arbiter æui)
Copia qua ratione tamen tam fertilis urbi
Affluat huic, ut pauca loquar, nec ſingula dicam,
Vt taceam prudens quibus artibus iſta Senatus
Proſpiciat, qua ſint reliqui moderamine ciues.
Publica fruge grauem ſunt horrea multa per urbem
Horrea Trinacrij nunquam ceſſura coloni
Meßibus, & flauo quæ Gargara ditia cultu,
Et quæ mirentur Lybiæ Cerealia rura,
Horrea frumentis plenißima. finxeris autem
Eſſe humiles fortaſſe caſas, ne talia fingas,
Horrea ſunt magnorum operum, atq; ingentia tecta,

Magnificæq; domus, quarum par quælibet altis
Arcibus eſſe queat, ſed non quàm ſtructa decenter
Exterius, ſed quàm ſint intus ditiā, refert,
Quàm iaceant frumentorum genera omnia magnis
Accumulata tot annorum per ſecula, aceruis
Et licet accumulent nunquam non horna uetuſtis
Plus ueterum tamen eſſe ferunt, eademq; manere
Poſſe decem decies, decies quoq; quinq; per annos,
Quorum multa tibi præbebunt horrea noſtra,
Siue igitur dura ſæuus, quod abominor, hoſtis
Obſidione premat, non urbi copia deerit
Quarumcunq; opus eſt per talia tempora rerum.
Non tantum frumenta etenim cumulata reponunt,
Verum alijs eciam penuaria plurima rebus
Plena tenent, quibus excidium propellere poßint
Incumbens, hoſtisq; minas contemnere inanes,
Tempora ſeu diræ famis inclementia cæli
Duxerit, aut duri ſternens furor omnia Martis
Nulla erit hic metuenda fames, quæ corpora leto
Hauriat, aut miſeros cogat ſua pignora ciues,
Deſerere, atq; cibos aliena quærere terra.
Poſſumus hoc teſtari eciam quod uidimus ipſi
Cum paucis annona fuiſſet carior annis
His aliquot, quali ciues pietate Senatus
Fouerit afflictos rerum & pietatis egentes.
Namq; ubi cocta Ceres magno ueniret, & eſſent

Omnia difficili ſtipe per fora cuncta paranda,
Horrea clauſa diu reſerari iußit, & inde
Sumptibus expoſitas magnis compinſere fruges,
Et populo Cereris iuſtißima pondera uendi
Dimidio precio illius, quo publica paßim
Per fora uendebant alij, penuria donec
Deſiit, & redijt Chriſto duce frugifer annus.

CVRIA.

SEd quo te memorē domus inclyta carmine? cū ſis
Non minima aſſumpti pars nec ſpernēda laboris,
Curarum domus, & ſancti ueneranda Senatus
Regia, Scotigenæ quæ proſpicis alta Sebaldi
Culmina, uiciniq; uides fora maxima circi.
Quanquam nemo ſatis te carmine pinxerit ullo
Pro meritis, pro laude tua, cui cedere iure
Debeat antiqua notiſsima curia Tulli:
Aggrediar tamen, & tantæ non omnia paruo
Ornamenta domus referam, ſed pauca libello,
Quæ ſi non alio memorabilis eſſet honore,
Hoc laudata ſatis fuerat, quòd talibus eſſet
Ingenijs habitata patrum, qui maxima rerum
Pondera cum ſubeant, poſſunt & maxima ferre.
Nunc eſt & reliquis ornatibus aucta, ſuperbo
Structurarum opere, & luxu loca ſancta decenti.
Non nimio tamen, aut muliebriter informato,

Sed caſto dignoq; uiris, nam plurima Regum
Continet exterior ſimulachra, Heroica geſta,
Picta per effigies auro minioq; ſuperbas.
Intus fornicibus ſurgunt de marmore ſecto
Atria, non ullo non tempore peruia, quorum
Clauſa pauimento ſubter loca carceris umbræ,
In quibus aut meritos pœnam, aut quos ultima fato
Supplicia expectant, cuſtodia dura coercet.
Inde gradus ſurgunt duplices quibus itur in aulam,
Aulam tam iuſto ſpacio quàm diuite cultu
Conſpicuam, totamq; ſua ſibi mole patentem,
Nulla columnarum ſeries interſecat, aut quæ
Libera præpediat ſpacia, aut teſtudinis altæ
Pondera ſuſtineat, fulget laquearibus aureis
Nuda ſuperficies, faſtigia ſumma relucent
Auratis trabibus, connexiq; ultima tecti
Limina, ſubiectis multum eſt in partibus aurum.
Plurima parietibus fulgent decora inclyta pictis,
Siue ducum, quos iuſticiæ pulcherrima uexit
Gloria, ſiue hominum, per honeſta exempla beatis
Aequiparandorum ſuperis, hic illa ſeueræ
Iuſticiæ ſedes, & dignum laude tribunal,
A quo nemo inſons unquam, niſi uictor, abiuit,
Nemo nocens unquam potuit, niſi uictus, abire,
Parte alia (nec enim ſimplex domus illa nec una eſt)
Maxima porticibus ſurgunt conclauia latis,

Digna Deum dapibus, Regum digniſsima menſis,
Tam ſunt magnifico parte omni ſplendida ſumptu,
Tam iucunda grauem commendat gratia luxum,
Pulchra ſuis uideas fulgere toreumata ſignis,
Nec tam facta manu, quàm ſponte enata putaris:
Nec deſunt tabulæ, præclara opera excellentûm
Artificum, poſitæq; alios Icones in annos
Clarorum Heroum, quos maieſtate uerendos,
Maieſtas plus ipſa loci commendat: ut autem
Plurima præteream non his dicenda Camœnis:
Quid grauis eximium loquar Auguſtale Senatus?
Quo ſacer ille patrum chorus, & clariſsimus ordo
Confluit, & ſummis urbana negocia curis
Verſat, & æquata metitur cuncta bilance
Pondera, cœliferos delaſſatura Gigantas.
Sed tamen hic nolim diſertior eſſe uideri,
Ne malus obtrectet, ſicut ſolet omnia liuor
Forſitan, & cauſſam dicat quæſiſſe ferendi
Auribus incautis, fucum facientia uerba.
Hoc metuens nihil adijciam, nihil amplius addam,
Vix etiam hæc auſus paucis attingere uerbis.
Inde canam potius quæ plus habuiſſe fauoris,
Et minus inuidiæ poſsint, nunc cœpta ſequemur.

FORVM MAXIMVM.

IAm fora ciuili ſi proſequar omnia uerſu,
In quibus hic populus diuerſa negocia tractat,
Offendam placidas nimijs ambagibus aures:
Non quia non meritæ ſint eæ quoq; nomina partes,
Sed quia de multis ego ſcribere pauca uolebam,
Quæ cum ter tria ſint, de ter tribus, attinet unum
Dicere, quod reliquis cum ſit ſpacioſius omni
Præualet hoc etiam quod & eſt precioſius ipſo
Cultus luxuria, rerumq; frequentius uſu,
Cuius ad æquales quadrangula linea partes
Ducitur, æquali ſpacio ſibi diſsita ab omni
Limite, ſic quadrata fori fit forma, patentis
Terq; quaterq; decem paſſus uel plus minus, omni
Parte ſui, ſpacijs tam ingentibus area quadrat,
Tam celebris non pauca fori commertia poſſem
Si numerare uelim, quæ uulgi poſtulat uſus,
Omnia quæ populo uenduntur, emuntur, aguntur,
In medio conuenta foro, quod tempore nullo
Ceſſat, & inſano ſtrepitat prope murmure turbæ
Aſsidue coeuntis, & inter ſeſe agitantis,
Magnaq;, paruaq;, facta infecta negocia rerum,
Milia tot capitum, nullo non penè dierum
Conueniunt, ſtrepitu tanto feruore forenſi
Vt ſi cui uel apum libeat componere denſis
Agminibus, cum tota ſuis exanima lucis
Conglomerantur, & arboreis in frondibus hærent:

Vel fore=

Vel formicarum uerno ſub Sole ferenda
Mole laborantûm turbis, non friuola peccet,
Non etiam ſimili non poßit imagine dici
Vſus, & appoſita rem demonſtraſſe figura,
Quando per ingentem Germani nominis oram,
Non aliam populus numeroſior incolit urbem,
Nec minus eſt facies ſpecioſa & ſplendida pulchri
Quàm ſpacioſa fori, nanq; undiq; pulchra coronant,
Atq; opera, atq; domus pulchræ ſumptuq; ſuperbæ,
Vtq; aliquid (quoniam locus iſthoc poſtulat) horum
Libemus, paucis quædam libet ædere uerbis.

FONTIS PVLCHERRIMI DESCRIPTIO.

A Dextra regione fori qua cliuus ab arce
Deſinit extremus ſtat pyramis acta ſub auras
Perſpicua, & uarijs operum cælata figuris,
Marmore tota nitens, atq; auro tota coruſcans,
Crebr à pylis, et multiplici tanquam ordine ſtructis
Turribus aſſurgens, topiaria dicere poßis
Eſſe opera, at mollem non fallunt marmora tactum:
Circumſtant ſimulachra uirûm de marmore ſculpta,
Atq; auro cælata, quibus florere per orbem
Cura fuit rebus per fortia facta gerendis.
Totum opus exterius circundat ferrea ſepes,
Cancellis contexta ſuis, de marmore crater
Intus, & undanti refluens aſpergine labrum,

In quod defluit unda, bis octo canalibus æreis,
Quas capita humano rictu deformia ſæuis
Dentibus apprenſas retinent, tereteſq; tenaci
Ore ſpuunt undas, quarum non larga ſcaturit
Illo uena loco, ſed quam de fonte ſequaci
Terreſtris longo deducit fiſtula tractu.
Non ut aquas olim plures Romana ſolebat
Ducere, & obiectos terebrare potentia montes,
Atq; æquare cauas, ſtructa teſtudine, ualles.
Noſtrum opus eſt operæ leuioris, & approbat ætas
Ipſius hæc uſum. Quare ſeu nomine fontem
Seu quis Caſtellum (quod nunc deſcribimus) olim
Hoc opus appellet, nihilum peccârit opinor,
Dummodo non merita fraudata hæc laude feratur
Pyramis, æternumq; ex noſtro carmine nomen
Inueniat, quem nos fontem dixiſſe iuuabat.

TEMPLVM VIRGINIS MATRIS IN FORO.

AT parte ex alia templũ adiacet, hoc opus ipſi
Non uulgare foro decus, ædificauit honori
Matris Chriſtiparæ, q quartus nominis huius
Carolus Auguſtus Romani inſignia geſſit
Imperij, doniſq; uolens Regalibus auxit
Templum à ſe poſitum, foribuſq; inſigne ſuperbis,
Quæ fora proſpiciunt, auroq; & imagine multa
Veſtibulum adiecit, cuius ſuprema theatri

Pars ſpeciem præfert, & ſi res poſtulet uſum,
Nanq; ex hac (uelut arce) hoīm conuentibus amplis,
Relliquiæ monſtrabantur, cum nuper adhuc dum
Vana ſuperſtitio floreret, & impia in iſthæc
Relligio uitia humanas terrentia mentes,
Ficta licet ſtolidæ, miracula credita, plebi
Relliquiæ fuerant, quæ nunc quoq; nota ſuperſunt,
Carole magne tua, & noſtrorum inſignia Regum,
De cruce ſaluifica, et quæ Chriſti exangue perempti
Tranſiit haſta latus, non aſpernanda profecto
Munera, ſed ueneranda etiam, ſi ſola uetuſtas
Cōmendet meritorū haud immemor, aut male grata
Non etiam cultus nimio obſeruentur honore,
Sicut adorantum. Sed nos ad cœpta feramur,
Hoc ſeu ueſtibulum, ſeu uerius æmula priſcis
Porticus iſta foro, lucem & decus adijcit ingens,
Quæ cum magnifice cælata ſit intus & extra,
Eximio pede ad uſq; alti faſtigia tecti,
Diuerſorum operum formis, uarijsq; deorum
Atq; hominum ſtatuis, etiam, cum poſtulat uſus,
Præbet adorantum populo ſpectacula Regum,
Infantiq; Deo ſua myſtica dona ferentûm:
Quæ ſuper æquales, auratus circulus, horas
Indicat, & ſonitu notat æris nola canori.
Tam ſpecioſa igitur, tantoq; extructa labore
Porticus, impenſis templum ſuperauerit ipſum,

Cui coniuncta patens, in partes quattuor hæret.

XENODOCHION MAXIMVM
INTRA VRBEM.

SI quis honorificam qui laudibus euehat urbem,
Noridos Herciniæ, ſummum pietatis honorem,
In miſeros, & in afflictos, & rebus egentes
Prætereat, non ille ſatis feciſſe labori
Aſſumpto queat, aut uere laudaſſe uideri.
Non alium ſiquidem populum per Teutonis oram
Muneficum magis, aut uera pietate priorem,
In miſeros facile inuenias, tot præſtat egenis
Officia, & totam tot Xenodochīa per urbem
Inſtituit, quorum quod præualet omnibus, atq; eſt
Eximium, nunc carmen erit, ſed ut omnia paucis
Cætera quæ canimus. Medio iacet urbis ad amnem
Illa domus, cui ſiue uoles dare nomen ab ægris,
Siue dare hoſpitibus ius & fas cuilibet eſto,
Dummodo res conſtet, nobis nunc Xenodochēum
Arriſit, ſiquidem uerſu riderer inepto,
Si Noſocomion dixiſſem aut Noſocomion,
Et fermè his deſunt Romana uocabula rebus.
Illa igitur domus in ripa Pegneſidos undæ
Vrbe ſita eſt media, ſpecia pulcherrima, ſumptu
Splendida, ſtructura inſignis, quò nomine magnorū
Arcibus æquiparanda Ducum, nam magna uetuſtæ,
Acceſſit domui pars nuper, ut amplior eſſet,

Atq;

Atq; capax hominum magis, ut creſcentibus annis
Creſcit, & urbanæ maior fit copia turbæ:
Atq; ideo plures etiam quos triſtis egeſtas
Opprimit, aut morbo populati corporis artus
Deſtituunt, nec cura domi potis ulla leuare eſt:
Quin pereant dulcesq; relinquant luminis auras,
Rebus id anguſtis, & dura ſorte coacti;
Ni c,to magnifici pietas animoſa Senatus
Suſcipiat, curamq; alijs quoq; mandet haberi,
Qui domui præſunt, quorũ domus omnibus apta eſt
Iſta miniſterio miſeris, & egentibus ægris,
Quorũ ingẽs numerus, quæ ſemp maxima turba eſt
Sumptibus immenſis alitur, ſed & arte medendi
Præditus ingenti conducitur ære Machaon:
Qui leuet auxilio, quibus eſt opus, atq; ita ſeruet,
Quos patitur ſeruare datam natura per artem,
Vſibus ijs præſens ut ſit medicina, ſub ipſis
Aedibus adiectum eſt non pharmacopolion ulli
Deterius, totam quæ ſunt non pauca per orbem.

TEMPLVM XENODOCHEO IVNCTVM

HIs etiã adiunctũ templũ uetus ædibus hæret:
Non tam mole ſua, aut ullà memorabile cauſa
Quàm q̃ reliquias (quas diximus ante) recep-
Continet, & Romanorũ diademata Regum, (tas
Queis ſine nec fieri, Cæſar nec uerus haberi
Auguſtus poterit, ſi non inſignia ſumat

Hinc ſua, Cæſareæ nanq; eſt hic illa coronæ
Gloria, qua regni conſtat ius atq; poteſtas
Maxima Romani (nanq; hoc nunc more loquuntur.)
Hæc, quoties alicui deſertur tanta poteſtas,
Hinc petitur, delata huc conditione refertur.
O decus, ô Vrbis pulcherrima gloria noſtræ,
Quæ ſola hanc meruit, quæ nulli contigit Vrbi
Gloria perpetuis non interitura diebus.

XENODOCHIVM AD DIVVM SEBASTIANVM.

ATq; ut prætercam duo Xenodochđa, nec oẽm
Materiam quæcunq; offert ſe ſponte, loquaci
Carmine cõſecter, certe quod carmine dignũ
Xenodochion erat longe hoc meliore, canemus.
Planitie diſtante ſitum, ſub mœnibus Vrbis
Mille fere paſſus præterlabentis ad amnem
Pegneſi ſacrum diuo quem tæla Tyranni
Confeciſſe ferunt, magnum ſpernentis Ieſum.
Templum hic exiguum, ſed cultum & deniq; multa
Relligione ſacrum, iuxta domus ædibus amplis
Quattuor in partes diuiſa, nec ordinis ullum
Commodioris opus quenquam uidiſſe putarim,
Tam ſunt porticibus adſtructa cubilia longis
Ordine perpetuo ſibi reſpondentia, quantum
Quattuor in ſpacium patet area lata domorum.
Totum opus æquali ſpecie parte extat, ab omni

Quadrato extructum ſaxo,locus arte ſituq́;
Pulcher & eximius,nec quo ſit amœnior alter,
Huc cum ſæuit atrox inimico ſydere peſtis
Crebraq́; uulgati popularũt corpora morbi,
Infecti lue peſtifera triſtiq́; ueneno
Portantur,ne dira lues collectior urbem
Polluat,& regnet totum intra mœnia uirus.
Ergo extra ægra ferunt letali corpora morbo
Seu ruitura neci,ſeu reſtituenda ſaluti.
Et curas adhibent,dum ſpes ſuper ulla trahatur.
Præterea quos Mentagræ ſerpentis adurens
Corrupit ſcabies,illo curantur,& illo
Accipiunt alimenta loco,dum corpora morbus
Deſerat,& membris decedat noxius humor.
I nunc eſſe nega ueræ pietatis amantes,
Quos tam certa trahunt alienæ uota ſalutis.
I confer quoſcunq́; potes per Chriſtidos orbem
Subiectum regno fidei,quando iſta per omnes
Nota plagas,alios durant memoranda ſub annos.

QVATVOR LEPROSORVM
Xenodochia extra
Vrbem.

SVnt eciam ſua leproſis,regionis ad oras·
Quattuor ante urbẽ,partem ſub quamlibet unã
Hoſpitia ædificata foris,qua ſtrata uiarum
Publica,diuerſis ducunt regionibus urbem.

Sumptimus omnia muneficis dotata,nec ulla
Vel decorata minus,uel egentia parte relicta.
Singula templa adſunt illis quoq;,cuilibet horum,
Adſidet & ſtudij & morum ratione probatus,
Sacrarum interpres rerum,uerbiq; miniſter.
Vsq; adeo nullis (quanquam uel inutilis) ordo
Negligitur,quin corporibus quodcunq; mederi
Atq; animis poſsit,larga pietate miniſtrent,
Qui Pegneſiacam populus ſacer incolit urben:

TEMPLVM DIVI PETRI,
Quod Sebaldinum
uocant.

NOn quia tēpla Deo placeāt,quæ marmore &
Humanæ fecere manus,qui corda piorū (ære
Incolit,& mētes habitat ſummo æthere dignas
Sed quia magnificum nihil omiſiſſe per urbem
Illuſtrem,mihi cura fuit,quod carmine nullo
Attigerim,breuibus licet exequar omnia dictis
Hanc eciam memorare animo calor incidit ædem
Sacram Petre tibi cæleſtis clauiger aulæ.
Tum quia magnifico ſtructa eſt opere,atq; labore
Artifici perfecta nitet,tum ſacra uetuſta
Relligione patrum,& multos celebrata per annos
Templum auguſtum,ingens,celſis ſublime columnis
Aedificatum intus,latum teſtudinis altæ
Fornicibus crebris,& totum marmore ſecto.

Prætereа donis opulentum, diues & auri
Diues & argenti, quæq; eſt memorare moleſtum
Nobilibus gemmis pictaî ueſtis & oſtro.

SEPVLCHRVM DIVI
Sebaldi.

EXtat in hoc tēplo monumentū inſigne Sebaldi
Quem diuū pars magna uocant, hic primus ab
Externo ueniēs, fertur loca noſtra colētes (orbe
Chriſticolam docuiſſe fidem, pro cuius honore
Officij meritisq; pijs his cultibus illum
Affecit pia cura patrum, teſtata ſalutem
Hoc primum doctore ſibiq; ſuisq; paratam
Atq; ideo hoc illi poſuere inſigne ſepulchrum
Officij memores, quo non præſtantius ullum
Siue manu, ſiue ingenio, ſiue arte magiſtra
Contendiſſe libet, totum eſt ex ære nitenti
Artificis cælata manu, pulcherrima moles,
Naturæ uarijs operum, forma omnis ab imo
Surgit epiſtylijs fracta excreſcentibus inter
Serpentum ſpecies operoſa toreumata florum.
In ſummo coît, & pulchri faſtigia tecti
Contrahit, ipſa eciam uarijs cælata figuris.
Non anguſta tamen, ne uertex ſummus acutum
Pyramidem faciat, quanquam tres pyramidales
Adſimilet conos, circum capitella columnis
Addita ſunt, ſpiræq; breues, toruliq; rotundi,

Atq; abaci teretes, quibus aut ſimulachra Deorum
Aut hominum inſiſtunt, uideas colludere fictas
Arte puellarum effigies, ſemperq; nouatos
Formarum uultus, colubros adrepere, nudas
Stare puellarum ſpecies tenus ilia, donec
In caudas abeant media plus parte Draconum.
Quid ſtatuas alias memorem matrumq; uirorumq;,
Has nudas, illas armis & ueſtibus aptas?
Quid tot quadrupedum formas? tot ſculpta Leonum
Corpora? nudorum infantum quid mille figuras?
Muſa nec ulla queat tanto ſatis eſſe labori,
Nec uerbis æquare opus immortale futurum,
Quod neq; Praxiteles, nec Myron, nec Polycletus,
Nemo Chares, nemo Scopas reprehendere poßit.
Quanquam fama illos ſculpendi nobilis æris
Commendat, noſtros melior peruenit in annos
Gloria. ſicut enim fuit ignorantior ætas
Et rudis illa prior, ſic nos creſcentibus annis
Creſcere, & inuentis meliores addere rebus
Par fuit, & ueterum uinci fœliciter artes.

TEMPLVM DIVI LAVrentij.

DIximus auguſtam legati principis ædem,
Qua magis eximio ſtructuræ excellit honore,
Cratifero ſacrum iuueni, quod in æditiori
Arce ſitum, ſe mole ſua ſpectabile templum

Exhibet, apparetq; procul, ſublime duabus
Turribus aſſurgens, paribusq; ſub æthera tendens
Pyramidum tectis fulgentibus ære coruſco,
Quæ ſuper aurati, & uicini nubibus orbes
Stant gemini, tum tecta auro diſtincta refulgent.
At pars inferior quadrati è marmore ſaxi
Stat ſolidá ipſa ſuo uelut in ſe pondere nitens:
Parte hac ueſtibulum uergens in ſyderis oram
Occidui, ſtat magno aditu, ſtat limine celſo,
Stat foribus fultum egregijs, magnoq; labore.
Arte laboratis magna tam pulchra rotundis
Signa periſtylijs ſuperaſtant, qualia circum
Parte ab utraq; fores ornant, & limina templi
Ipſa intus templi facies, tam plena decoris
Omnigeni apparet, tam maieſtate ucrenda
Ingreßis patet, ut tacita perfundere poßit
Relligione animos, fornix altißimus ipſos
Penè eciam uiſus refugit, populoq; minatur,
Cuius magna tamen grauibus teſtudo columnis
Suffulcita ſedet, quarum longißimus ordo
Agmine dimenſus duplici, diſcrimina præbet
Fornicibus tria, quos inter celſißimus omnes
Eſt medius, minor extremos menſura coercet.
Huius diuitias templi nec dicere promptum eſt,
Nec libet, & nec erat nunc his locus, ergo relictis
Templorum ſacris adytis, ciuilia rurſus

Aggreſſurus eram miracula, ni mea uota
Iam directa alio res una morata fuiſſet.

AEDICVLA CORPORIS Chriſti ibidem.

AEdicula hæc illa eſt, in qua ſacrata reponi
Hoſtia conſueuit, crucifixi corpus Ieſu.
Hoſtia non iterum ſacras mactanda per aras,
Pro nobis mactata ſemel, quæ nullius unquam
Siue domus eguit, ſeu captu ignobilis arcæ
Includi potuit, tamen huic humana uoluntas
Anxia plus æquo diuini ſemper honoris,
Per cultus operum, fidei pietate ſepulta,
Talia conſtruxit ſacras monumenta per ædes.
Sed quia nunc fidei non eſt ſuſcepta tuendæ
Vlla mihi ratio, ſed tantum opera inclyta rerum
Dicere quæ noſtram ſunt plurima nota per urbem
Sed celebrata minus, uiſum eſt & carmine dignum
Hoc opus ædiculæ nulli fortaſſe ſecundum.
De genere hoc operum, niueo ſtat marmore fultum
Vegrandi pede, quam ſubtus nituntur Atlantes
Tres, uelut incumbat moles ruitura, niſi ipſi
Suſtineant, mox cœpta baſi conſurgit ab ima
Celſæ Pyramidos turris ſimulata figuram.
Quanquam ſtricta magis longæq; ſimillima uirgæ
Ardua conuexæ teſtudinis ultima tangat:

Marmore tota nitens, tota exactiſsima miro
Ingenio artificis, uariusq; & lumina fallens
Ordo columnarum, quas circum perq; ſupraq;
Textile ſurgit opus, tanquam ſi marmora flexu
Curuentur, flexusq; ſequacia fila morentur.
Non ſecus ac ramis ſeſe textura recuruis
Implicet ac mutata loco noua fiat, ita omni
Arte columnellæ uariant, ſemperq; renatæ
Conſurgunt aliæ, quas inter mille relucent
Signa uelut uiuum ſpirantia, dixeris ipſi
Infudiſſe animas lapidi qui fecit, ubi autem
In ſummum iam creuit opus, iam contigit arcum
Fornicis excelſi, nec iam ſuper ulla relicta eſt
Creſcendi ratio, tum ſe de uertice ſummo
Tanquam obſtante ſibi teſtudine fracta recuruat,
Quæ ſi cuncta aliquis miranda putarit in ære,
Quod fundi fingiq; poteſt, flecti atq; reflecti,
Cur uon hoc potius miretur marmora frangi
Dura modo, ut manibus uideantur poſſe reflecti?
Cætera quæ dicenda ſuper mihi plura fuerunt
Admirata operis ſplendorem, Muſa negauit.

OFFICINAE FERRARIAE.

SI gens præcipuo laudata eſt Norica ferro
Semper, & hoc ueterum teſtãtur ſcripta uirorũ
Quid mirum ſi qui populus ſit origine auita

Noricus, ut fama eſt, patriæ memor antiquaī,
Ferrum amet, & ferri laudem ſibi uendicet uni,
Tractandi per mille modos, ac mille per arteis
In ferrum gens nata, piæ ſeu commoda pacis,
Seu gerat inſani furioſa negotia Martis.
Nam modo quis populus Vulcania doctius arma,
Aut melius facit, aut meliora, aut plura per omnes
Qua patet Europæ latiſſima Regia, terras?
Ergo ſuper fluuium quaq; infra deſerit urbem,
Quaq; ſupra petit illabens, per ſumma domando
Complures poſuere domos miracula ferro
Namq; quis aſpiciens quanta ſe mole rotarum
Voluat opus, quanta ferrum ui diſtrahat, ut ſit
Perfectum ingenio, iam poſſit ut unus & alter,
Quod non mille uiri poterant nondum arte reperta.
Iſta uidens, quis non miretur? & omnia retro
Sæcula deſidiæ damnet, qui talia nunquam
Cognôrint noſtrorum hominum præclara reperta.
Magna rota ingentem ui fluminis acta cylindrum
Fert ſecum uoluitq; rotans, pars ultima cuius
Dentibus armata eſt crebris, qui fortiter acti
Obſtantes ſibi machinulas rapiuntq; feruntq;,
Ni rapiant remoraturos ipſosq; rotamq;
Vndasq;, grauidumq; ingenti mole cylindrum.
Ergo ubi ui tanta correpta eſt machina pendens
Inferius, molem ſupra mouet ocyus omnem,

Inſtru-

Inſtrumenta regens, quibus atri lamina ferri
Scinditur, & uarios rerum tenuatur in uſus.
Nunc has nunc alias aptiſsima ſumere formas,
Vi nempe indomita iuſſu parere coacta.
Ferrea nam uideas capita aſsimulata Dracones
Alterum ab alterius morſu diuellere ferrum
Dentibus, hic retinet, maſſam trahit ille Draconum.
At hoc dum faciunt, ita ſe perniciter urgent,
Certantes crebris inter ſe aſſultibus, ac ſi
Pro uita non pro ferro cernatur utrinq;.
Atq; ita dum rapidis ferrum rude morſibus arcent,
In filum teres expoliunt, quod ab ore receptum
Vipereo, adſiſtens in mille uolumina curuat.
Quis deus hanc Muſæ, quis tã memorabilis artẽ
Oſtendit caſus? non ille aut Thracius, aut Cres:
Aut Italus fuit, ingenio qui claruit illo,
Vnde hanc humanis conceſſerit uſibus artem,
Sed Germanus erat, ſed Noricus, ille diu rem
Inuentam occuluit, quia ſicut ſemper auarum eſt
Humanum ingenium, ſolus percepit & artis
Commoda multiplici ſibi reſpondentia fructu.
Inuiditq; alijs, quod per ſe ſolus habebat
Inuentum, ac prope ſe natum, haud aliunde repertũ.
Donec (ut æternum non res potis ulla latere eſt)
Ars noua clauſa diu erupit, uenitq; ſub auras
Sponte ſua, uinctam ſeſe indignata teneri.

Parua gradu primo,mox euulgata frequenti
Ambitione hominum creuit,nec ſe amplius intra
Antiquos tenuit fines,iam libera,iam ſe
Ipſam non capiens in ſummum euaſit,ab illo
Non habitura locum,quo deinde aſcendere poſsit
Hoc opus in tenues ferrum deducere chordas.
Nec minor ille labor,quo cætera ferrea cudunt
Inſtrumenta uel armorum uel pacis amicæ,
Loricas,ocreas,galeas,thoracas & enſes:
Quæq; alia armorum norunt genera arma periti.
Sponte ea prætereo,quæ ſunt uulgaria,quæq;
Non ſolum rigidi fiunt de robore ferri,
Verum etiam uarios ex ære parantur in uſus,
Seu tu ſigna uoles,ſeu uaſa Corinthia nuſquam
Vel plura inuenies uel nobiliora parari.
Seu te flexibilis liuentia pondera ſtanni:
Siue ſonora iuuant de flauo facta orichalco,
Grandibus hic liquefacta fluunt tibi cuncta caminis,
In maſſasq; abeunt ingentes,inde rebelles
Informant uarijs impoſta incudibus ictus
Ter centum in ſpecies,circum fragor intonat ingens
Non ſecus ac uaſtis Siculæ ſub molibus Aetnæ
Fulminei Cyclopes in æra ſonantia crebros
Ingeminant ictus,repetitaq; uerbera miſcent.
Læta ſonant maria,& uicinæ Doridos undæ.

VERDA SVBVRBIVM.

POſtquam laudatæ ſcribendo exceßimus Vrbis
Mœnibus,& fluuium iuxta ſpaciamur amœnũ
Admonet ipſe locus,ne,cum tot carmine in iſto
Dixerimus partes urbis,decora inclyta,laudes
Delicias uernæ fugiamus dicere Verdæ.
Paßibus hæc domina quingentis diſtat ab urbe
Qua uidet exorti uenientia lumina Solis.
Dulce ſuburbani ruris decus,atq; uoluptas
Præcipue cum floret ager,cum germinat arbos,
Cum leuat umbra graues æſtus,cum gratus ad amnẽ
Eſt locus in molli nobis ſpaciantibus herba,
Tunc locus ille ſuis penè ipſa gratior Vrbe
Dotibus eſſe ſolet,ſiquidem ſitus undiq; aperta
Planicie,quoquo uerſus tibi præbet amœnum
Proſpectum,ſeu te libeat uiridantia prata
Viſere,prata iacent liquidum iucunda ſub amnem,
Seu te ſyluarum facies frondoſa uirentûm
Oblectat,prope ſunt ſyluæ circumq; renident.
Ipſe inter ſaliceta uirentia labitur amnis
Tam placidus quàm purus aquæ,lenisq; ſuſurro,
Formoſam tenui redimitus arundine frontem,
Quem circum tenera ſaltans laſciuit in herba
Naiadum chorus,& nuper quoq; noſtra ſequutæ
Piërides ueſtigia,colludunt ludentibus ultro.
Heu quia tam pulchrum decus,& quia gaudia tanta

Deformat glacialis hyems, pro floribus almis
Spargens Sithoniasq; niues gelidasq; pruinas.

HORTI EXTRA VRBEM.

Nec minor hortorũ memorandis laudibus urbẽ
Gloria commendat quorum tam copia diues,
Quàm fuit Alcinoi nemorũ quæ mala ferebãt
Punica, & ingentes malos, uuasq́; uirentes.
Et dulces ficus, & florens germen oliuæ:
In quibus æterno florebant omnia uere,
Et fructus fructu ſuper exoriente recenti
Conſenuit, nulloq; peribant tempore flores:
Et ſi qua his alia affinxit diuinus Homerus.
Nos neq; fabellas, nos nec mendacia picta
Fingentes, canimus quæ nos conſpeximus ipſi:
Delitiæ tantæ hic hortorum, tanta uoluptas,
Quantas uix animo, qui non conſpexerit ipſe,
Concipiat, tanto pomaria ditia cultu
Floreſcunt, tanto ſuperant pira muſtea fœtu,
Quanto non alijs hortorum ſepibus usquam
Incluſi potuere piri, nec dulcia deſunt
Poma breuis ceraſi, nec mora rubentia ſucco
Sanguineo, eſt nucibus ſua gratia, ſiue colurnas,
Siue ea iuglandes tibi conciliare ſueuit.
Noſter ut autumnus fert omnia, ſic quoq; noſtros
Pruna Damaſcenis nunquam ceſſura per hortos.

Producit, nec quiſquam hic Perſica poma requirat.
Sunt & amigdalinæ glandes, ſunt mollia ſorba
Meſpilaq́; & lento ſtipata Cydonia ſucco.
Quid memorem totos contectos uitibus hortos?
Quarum palmitibus crebro topiaria flexu
Contexunt opera umbrantes, teſtudine denſa
Diſſectas per culta uias, arcentq́; moleſti
Sideris ardorem, pendent à uitibus uuæ
Deſuper & poſitis præbent ſpectacula menſis
Grata, toros uiridi ſpargentes fronde comantes.
Maxima pars habet adiectas non deſide factas
Arte domos, ſed delitijs & luſibus aptas
Permiſsis, non luxuriæ, aut ignobilis oci,
In quas urbanis plerunq́; laboribus ægri
Exhauſtiq́;, ſuis quærentes ſumere curis,
Grata refrigeria, atq́; animos laxare uolentes
Secedunt, gaudentq́; auræ tum deniq́; flatu
Liberiore frui, dum clauſis mœnibus aër
Aeſtuat, & nulli perflant loca preſſa Fauoni.
Adſunt rorantes geniali aſpergine fontes,
Diſperguntq́; leues circum loca conſita lymphas,
Vitaliq́; rigant pluuia, nam ſæpe ſub auras
Laxa relapſurum iaculatur fiſtula rorem.
Hæc eſt naturæ facies lætiſsima, ſeu uer
Intepuit, ſiue æſtatis tenet omnia feruor.
Siue ſeneſcentem concludit fructifer annum

Autumnus,nam triſtis hyems læta omnia turbat.
Has ego delitias hortorum,hæc gaudia tanta
Prætulero cunctis opibus,uitæq́; forenſi,
Et regum celſis domibus,menſisq́; Deorum.
Quod ſi ſic fortuna aliquando errarit,ut horum
Egerit huc aliquid,tum me uel diuite Crœſo
Aurificoq́; Mida credam magis eſſe beatum.

SCHOLA NVPER INSTITVTA.

Siue eſt hæc rabies plus quàm ſcelerata malorũ,
Siue eſt hoc fatale malum,quo tempore noſtro
Cuncta repentino ſunt præcipitata tumultu
Artes,& ſtudia,& mores & præmia recti
Quicquid id eſt,ſiue ira Deûm,ſeu pœna malorum.
Præcipitata iacent utiq;,& uix poſſe uidentur
A tam peſtiferæ ſe attollere clade ruinæ
Rurſus,& amiſſas per ſeipſa reſumere uires:
Ni caueant urbes,quarum eſt magis omnibus inter
Amiſſum reuocare decus,niſi deniq; reges
Fractarum pergant opera inſtaurare ſcholarum,
Quod ſi non facient,quod ſi contemnere pergent
Hæc monita,has fido promptas de pectore uoces,
Ne mihi,ne libeat fœdam Germania cladem
Diuinare tibi,nec enim nunc uera monenti
Tu credes,donec ueniant tibi plena querelis
Tempora,cum ſero cupies ſapuiſſe,nec ulla

Cladibus ipſa tuis poteris ratione mederi.
Cum neq; qui mores,neq; qui ciuilia iura
Conſtituant,puerisq́; tuis oſtendere poßint
Cognita maiorum ueſtigia,cum nec habebis,
Qui tibi uel magni poßint oracula Chriſti,
Vel ſacra uentoſæ myſteria tradere plebi.
Huius id aſpiciens Vrbis pia cura Senatus,
Hæc metuens ne damna ſuis in ciuibus olim
Contingant,cupiens miſeram ſarcire ruinam,
Præmia propoſuit ſtudiis,eademq́; profeßis
Inuitans, qui forte uelint cum laude futuros
Munere gratuito ſtudiorum carpere fructus.
Interea,& dandæ in paruis præludere palmæ
Muneribus,dum cuncta retro ſublapſa feruntur,
In peiusq́; ruunt,nec erat ſatis æra magiſtris
Conſtituiſſe,ipſos etiam iuſſere foueri
Diſcipulos,grataq́; dederunt commoda menſæ
Pluribus,O ſancti nunquam laudata Senatus
Cura ſatis,quæ digna ſatis præconia tantæ
Vlla feram laudi,non ſi mihi ferrea pectus
Roboreum uox æquet,& ut mea carmina lucis
Vel minimum attulerint,at nos uentura loquentur
Secula,quæ ſacris uenient meliora Camœnis.
Atq; utinam plures imitentur,ſicut ad omnes
Pertinet exemplum,quod uos imitabile cunctis
Propoſuiſtis opus.Sed enim nunc deniq; ſentit

Quantum ueſanis Germania Bardocucullis
Debeat, in uulgum qui primi ſpargere uoces
Ambiguas auſi, turbârunt iura ſcholarum,
Et morem diſcendi arteis, cœleſtia dona:
Quæ quia ſunt alio mihi deplorata libello:
Hic precium non eſt operæ reuocare querelas
Ingratas, & nil ultra utilitatis habentes.
Veſter honos ô Noricidæ delecte Senatus
Vrbis, & inclyta fama & gloria uera manebit,
Dum trahet inſtabiles ueſter Pegneſus arenas.

AD VRBEM NORIBERGAM OPERIS CONCLVSIO.

Accipe nũc mihi dicta tuas Vrbs inclyta laudes
Quas tibi nos quanq̃ plures debere fatemur,
Non tamen idcirco paucas ſpreuiſſe decorũ
Has tibi erit. Quamuis mereantur maxima Diui
Munera, fronte ſolent hilari tamen omnia ferre
Qualiacunq; damus, ſic te quoq; munera Vatis
Accipere iſta tui, meritam meliora, decebit.
Qui maiora tamen potuit dare nulla, niſi ipſam
Vt tibi te daret, & tibi te laudaret, ut eſſes
Non alijs modo, uerum etiam laudata tibi ipſi.
Nam niſi tu noſtras auerſa mente Camœnas
(Quod de te prohibet probitas tua ſumma uereri)
Accipias, iam parta meo tibi carmine fama eſt.

Iamq;

Iamq́; ea ſuccreuit noſtro tibi gloria uerſu,
Quam non ulla dies, non ulla extinguere poßit
Mors, adeo cunctis ueniens iniuria rebus.
Quod dare non potuit tantarum opulentia rerum,
Hoc tibi perpetuos abiturum nomen in annos,
Nos damus, hoc noſtris nunc Norica berga *Camœnis*
Si te ſponte tua debere fatebere, maius
Nil mihi præſtiteris, noſtri hæc ſatis ampla laboris
Summa erit. & merces mihi tu numeroſa futura es.

Finis.

ORNATISSI-
MO VIRO DOMINO IOANNI FI-
CINO ILL. PHILIPPI HESSO-
rum Principis à Libellis & Conſilijs,
Patrono & amico colendo ſuo,
H. *Eobanus Heſſus.*
S. D.

EN TIBI PROMISSI ME-*morem Ficine Thaliam*
En tibi pollicita carmina iuſſa fide
Nunc mea magnanimo recitabis ſcripta Philippo
Hoc nunc officij eſt uir memorande tui.
Tu quoq; non ficti lege carmina plena fauoris.
Talia qui fingat ſcribere nemo poteſt.
Accipe communis patriæ ſpirantia laudes
Carmina: uix tanto principe digna tamen:
Ah quotiens tam iuſta legens encomia, dices
Hoc te, quod faceres, Heſſe decebat opus
Non alia decuit cantari uoce Philippum
Quàm quæ ſic patrij nominis eſſet amans
Carmine magnanimus potuit meliore Philippus
Pectore non potuit candidiore cani

Cumq́; tot eximios habeat Germania uates
Omnibus hæc merito meta terenda fuit
Quorum de numero quia nomina pauca fuerunt
Quæ facili canerent Heßica facta pede
Ipſe nouum uolui uerſu celebrare triumphum
Tantus in obſcuro ne premeretur honos.
Et ne quæ tali nunc principe noſtra ſuperbit
Heßia, Phœbæa forſan egeret ope
Quacum nec melior nec Muſis aptior uſquam
Terra ſit, hac eciam laude ſuperba foret.
Quod ſupereſt hæc inuicto Ficine Philippo
Carmina, ſed læto principe, noſtra leges
Nam quia ſæpe meas nugas laudare ſolebas
Hic quoq́; tu nobis æquus habendus eras
Nec dubito quin te mea carmina teſte probentur
Verus Muſarum ſemper amicus eras
Propterea hinc eciam ueros decerpere fructus
Debes. & meriti præmia ferre tui
Tu quoq́; curarum ſi quando à mole uacabis
Atq; aliud quod agas non erit, iſta leges
Iſta leges, patriaq́; & principe digna uidebis
Te tamen ô utinam iudice digna. Vale

Erphurdiæ in Thuringis XXII. Septembris M. D. XXXIIII.

INVICTORIA

VVIRTEMBERGENSI AD ILL, ET
INCLYTVM PHILIPPVM HESSO
*rum Principem &c. Gratulatoria Accla
matio Helij Eobani
Heſſi.*

*QVAE NOVA TAM CE-
lebri Germanũ fama per orbẽ* — *Exordium*
Tollitur applauſu? quis honor — *ab admirati-*
quæ gloria parta eſt — *one.*
*Quæ tantis populos gratan-
tes laudibus implet?
Quæ tam læta hilares uicto-
ria concutit alas
Et uolat Heſſiacas circum lateq; per oras
Te generoſe petens tua regna Philippe reuiſens?
Illa eſt ipſa tuæ: nec me ratio iſta fefellit,
Virtutis comes ingenitæ, uirtutis auitæ
Virtutis patriæ, quondam tibi debita ſoli
Sola tot Heroas, tot & inter fortia Regum
Pectora, te læto ſpectat placidiſſima uultu
Te miratur, amat: colit, adiuuat, erigit, auget
O fœlix generoſe animi: fortiſſime bello
Vnde tuas laudes: unde ordiar iſta Philippe* — *Propoſitio*
*Quæ facis inuicta decora immortalia dextra?
Non ſi cuncta uocem ueterum ludibria uatum*

Exequar iſtius minimum uirtutis honorem
Quæ te nunc Iuuenem Dijs immortalibus æquat:
Experiar tamen: Ipſa meas modo dirigat orſus
Inuocatio Aſtrorum decus Vranie: mea Muſa: meum cor
Ipſa patris ſancto tangat mea pectora flatu.
Vnde tamen? quoue inde ferar? laudum ne tuarum
A teneris orſus dicam primordia cunis?
Sicut ab Herculeis ſi quem iuuet anguibus, usq;
Fortia ad Oetæas deducere prælia flammas.
Forte nec immerito: nec me rationis egentem
Iſta ferent olim de te ceciniſſe minores,
Digreßio in laudem iuuenis aetatis Philippi. Qualis enim fueris iam tum puerilibus annis
Quanta uere tuo floreres indole, quantis
Dotibus ingenij: quanta uirtute potentis
Atq; inuicti animi: præſtares omnibus unus
Principibus: qui te primæuæ flore iuuentæ
Aequarent: quis neſcit? & hæc ſe ſcire fatentur
Qui Rhenum Fuldamq; bibunt: patriumq; Viſurgim
Qui uirides Mœni ripas Laniq; frequentant
Quasq; tuas præter fluit aurifer Aedera gentes
Guilielmus Philip. pater Iam iuuenis, iam puberibus ſpectandus in annis
Aequaſti propria laudes uirtute paternas
Illo te oſtendens dignum patre, cuius ab armis
Territa cognati trepidarunt cornua Rheni
Non tamen Heßiacos qua ſpectat parte Leones:
Et Nicer attonita ſtabat rapidißimus unda.

Hunc talem tantumq́; patrem quàm fortibus armis
Tu ſuperes, tua facta docent, tua clara Philippe
Militiæq́; domiq́; opera ædita, qualia nunquam
Vel mors ulla queat, uel edax abolere uetuſtas.
Sicut enim uirtute patrem Rex ille Philippum
Vicit Alexander, ſic tu uirtute Philippus
Clara tui ſuperas Guilielmi facta parentis,
Namq́; ut prima tuæ, ſed fortia facta iuuentæ — Franciſcum à Syggingen Philip. uicit.
Præteream: Quis enim neſcit quàm fortiter hoſtem
Contuderis, tua regna auſum uiolare: tuisq́;
Vim facere indigenis, quem tu nec læſeris unquam,
Nec cauſſam dederis cur tu peterere, ſed ipſum
Deflet adhuc Syggingа domus: mortalibus auris
Te duce ſublatum, tota ditione ſubacta,
Aequatisq́; ſolo domibus. Tibi ſeruit ademptum
Hoſtibus, antiquo dictum cognomine Burgum
Traiani, nunc uox alia eſt nec digna relatu.
Quantus in agricolas ſeruilia bella mouentes — Seruile bellũ compeſcuit.
Quàm fueris ſubito exortum metuendus in hoſtem,
Qua tales compeſcueris uirtute tumultus
Qua uictor ſtrato pietate peperceris hoſti
Milia quot leto dederis uictricibus armis,
Nolentûm dare colla iugo, ſæuire coactus
In tua ſpernentes clementia iuſſa colonos,
Scit tuus in rapidum uenturus Fulda Viſurgim — Fuldana ſeditio:
Scit uagus & paruo ſed iam grauis Vnſter Hiera

Deformat glacialis hyems, pro floribus almis
Spargens Sithoniaſq; niues gelidaſq; pruinas.

HORTI EXTRA VRBEM.

NEc minor hortorū memorandis laudibus urbē
Gloria commendat quorum tam copia diues,
Quàm fuit Alcinoi nemorū quæ mala ferebāt
Punica, & ingentes malos, uuaſq; uirentes.
Et dulces ficus, & florens germen oliuæ:
In quibus æterno florebant omnia uere,
Et fructus fructu ſuper exoriente recenti
Conſenuit, nulloq; peribant tempore flores:
Et ſi qua his alia affinxit diuinus Homerus.
Nos neq; fabellas, nos nec mendacia picta
Fingentes, canimus quæ nos conſpeximus ipſi:
Delitiæ tantæ hic hortorum, tanta uoluptas,
Quantas uix animo, qui non conſpexerit ipſe,
Concipiat, tanto pomaria ditia cultu
Floreſcunt, tanto ſuperant pira muſtea fœtu,
Quanto non alijs hortorum ſepibus usquam
Incluſi potuere piri, nec dulcia deſunt
Poma breuis ceraſi, nec mora rubentia ſucco
Sanguineo, eſt nucibus ſua gratia, ſiue colurnas,
Siue ea iuglandes tibi conciliare ſueuit.
Noſter ut autumnus fert omnia, ſic quoq; noſtros
Pruna Damaſcenis *nunquam ceſſura per hortos.*

Producit

Producit,nec quiſquam hic Perſica poma requirat.
Sunt & amigdalinæ glandes,ſunt mollia ſorba
Meſpilaq; & lento ſtipata Cydonia ſucco.
Quid memorem totos contectos uitibus hortos?
Quarum palmitibus crebro topiaria flexu
Contexunt opera umbrantes,teſtudine denſa
Diſſectas per culta uias,arcentq; moleſti
Sideris ardorem,pendent à uitibus uuæ
Deſuper & poſitis præbent ſpectacula menſis
Grata,toros uiridi ſpargentes fronde comantes.
Maxima pars habet adiectas non deſide factas
Arte domos,ſed delitijs & luſibus aptas
Permiſsis,non luxuriæ,aut ignobilis oci,
In quas urbanis plerunq; laboribus ægri
Exhauſtiq;,ſuis quærentes ſumere curis,
Grata refrigeria,atq; animos laxare uolentes
Secedunt,gaudentq; auræ tum deniq; flatu
Liberiore frui,dum clauſis mœnibus aër
Aeſtuat,& nulli perflant loca preſſa Fauoni.
Adſunt rorantes geniali aſpergine fontes,
Diſperguntq; leues circum loca conſita lymphas,
Vitaliq; rigant pluuia,nam ſæpe ſub auras
Laxa relapſurum iaculatur fiſtula rorem.
Hæc eſt naturæ facies lætiſsima,ſeu uer
Intepuit,ſiue æſtatis tenet omnia feruor.
Siue ſeneſcentem concludit fructifer annum

Autumnus,nam triſtis hyems læta omnia turbat.
Has ego delitias hortorum,hæc gaudia tanta
Prætulero cunctis opibus,uitæq; forenſi,
Et regum celſis domibus,menſisq; Deorum.
Quod ſi ſic fortuna aliquando errarit,ut horum
Egerit huc aliquid,tum me uel diuite Crœſo
Aurificoq; Mida credam magis eſſe beatum.

SCHOLA NVPER INSTITVTA.

Siue eſt hæc rabies plus quàm ſcelerata malorũ,
Siue eſt hoc fatale malum,quo tempore noſtro
Cuncta repentino ſunt præcipitata tumultu
Artes,& ſtudia,& mores & præmia recti
Quicquid id eſt,ſiue ira Deûm,ſeu pœna malorum.
Præcipitata iacent utiq;,& uix poſſe uidentur
A tam peſtiferæ ſe attollere clade ruinæ
Rurſus,& amiſſas per ſeipſa reſumere uires:
Ni caueant urbes,quarum eſt magis omnibus inter
Amiſſum reuocare decus,niſi deniq; reges
Fractarum pergant opera inſtaurare ſcholarum,
Quod ſi non facient,quod ſi contemnere pergent
Hæc monita,has fido promptas de pectore uoces,
Ne mihi,ne libeat fœdam Germania cladem
Diuinare tibi,nec enim nunc uera monenti
Tu credes,donec ueniant tibi plena querelis
Tempora,cum ſero cupies ſapuiſſe,nec ulla

Cladibus ipſa tuis poteris ratione mederi.
Cum neq; qui mores,neq; qui ciuilia iura
Conſtituant,pueriſq; tuis oſtendere poßint
Cognita maiorum ueſtigia,cum nec habebis,
Qui tibi uel magni poßint oracula Chriſti,
Vel ſacra uentoſæ myſteria tradere plebi.
Huius id aſpiciens Vrbis pia cura Senatus,
Hæc metuens ne damna ſuis in ciuibus olim
Contingant,cupiens miſeram ſarcire ruinam,
Præmia propoſuit ſtudijs,eademq; profeßis
Inuitans, qui forte uelint cum laude futuros
Munere gratuito ſtudiorum carpere fructus.
Interea,& dandæ in paruis præludere palmæ
Muneribus,dum cuncta retro ſublapſa feruntur,
In peiusq; ruunt,nec erat ſatis æra magiſtris
Conſtituiſſe,ipſos etiam iuſſere foueri
Diſcipulos,grataq; dederunt commoda menſæ
Pluribus,O ſancti nunquam laudata Senatus
Cura ſatis,quæ digna ſatis præconia tantæ
Vlla feram laudi,non ſi mihi ferrea pectus
Roboreum uox æquet,& ut mea carmina lucis
Vel minimum attulerint,at nos uentura loquentur
Secula,quæ ſacris uenient meliora Camœnis.
Atq; utinam plures imitentur,ſicut ad omnes
Pertinet exemplum,quod uos imitabile cunctis
Propoſuiſtis opus.Sed enim nunc deniq; ſentit

Quantum ueſanis Germania Bardocucullis
Debeat, in uulgum qui primi ſpargere uoces
Ambiguas auſi, turbârunt iura ſcholarum,
Et morem diſcendi arteis, cœleſtia dona:
Quæ quia ſunt alio mihi deplorata libello:
Hic precium non eſt operæ reuocare querelas
Ingratas, & nil ultra utilitatis habentes.
Veſter honos ô Noricidæ delecte Senatus
Vrbis, & inclyta fama & gloria uera manebit,
Dum trahet inſtabiles ueſter Pegneſus arenas.

AD VRBEM NORIBERGAM OPERIS CONCLVSIO.

Accipe nũc mihi dicta tuas Vrbs inclyta laudes
Quas tibi nos quanq̃ plures debere fatemur,
Non tamen idcirco paucas ſpreuiſſe decorũ
Has tibi erit. Quamuis mereantur maxima Diui
Munera, fronte ſolent hilari tamen omnia ferre
Qualiacunq; damus, ſic te quoq; munera Vatis
Accipere iſta tui, meritam meliora, decebit.
Qui maiora tamen potuit dare nulla, niſi ipſam
Vt tibi te daret, & tibi te laudaret, ut eſſes
Non alijs modo, uerum etiam laudata tibi ipſi.
Nam niſi tu noſtras auerſa mente Camœnas
(Quod de te prohibet probitas tua ſumma callereri)
Accipias, iam parta meo tibi carmine fama eſt.

Iamq́; ea ſuccreuit noſtro tibi gloria uerſu,
Quam non ulla dies, non ulla extinguere poßit
Mors, adeo cunctis ueniens iniuria rebus.
Quod dare non potuit tantarum opulentia rerum,
Hoc tibi perpetuos abiturum nomen in annos,
Nos damus, hoc noſtris nunc Norica berga Camœnis
Si te ſponte tua debere fatebere, maius
Nil mihi præſtiteris, noſtri hæc ſatis ampla laboris
Summa erit. & merces mihi tu numeroſa futura es.

Finis.

DE VICTO RIA VVIRTEMBERGENSI, AD IL= LVSTREM ET INCLYTVM HE roa *Philippum Heſſorum omnium, ac finitimarum aliquot Gentium, Principem, Gratulatoria Acclamatio.*

AVTORE H. EOB.
HESSO.

ORNATISSI-
MO VIRO DOMINO IOANNI FI-
CINO ILL. PHILIPPI HESSO-
rum Principis à Libellis & Conſilijs,
Patrono & amico colendo ſuo,
H. *Eobanus Heſſus.*
S. D.

EN TIBI PROMISSI ME-
morem Ficine Thaliam
En tibi pollicita carmina
iuſſa fide
Nunc mea magnanimo recita-
bis ſcripta Philippo
Hoc nunc officij eſt uir memorande tui.
Tu quoq; non ficti lege carmina plena fauoris.
Talia qui fingat ſcribere nemo poteſt.
Accipe communis patriæ ſpirantia laudes
Carmina: uix tanto principe digna tamen:
Ah quotiens tam iuſta legens encomia, dices
Hoc te, quod faceres, Heſſe decebat opus
Non alia decuit cantari uoce Philippum
Quàm quæ ſic patrij nominis eſſet amans
Carmine magnanimus potuit meliore Philippus
Pectore non potuit candidiore cani

Cumq; tot eximios habeat Germania uates
Omnibus hæc merito meta terenda fuit
Quorum de numero quia nomina pauca fuerunt
Quæ facili canerent Heßica facta pede
Ipſe nouum uolui uerſu celebrare triumphum
Tantus in obſcuro ne premeretur honos.
Et ne quæ tali nunc principe noſtra ſuperbit
Heßia, Phœbæa forſan egeret ope
Qua cum nec melior nec Muſis aptior uſquam
Terra ſit, hac eciam laude ſuperba foret.
Quod ſupereſt hæc inuicto Ficine Philippo
Carmina, ſed læto principe, noſtra leges
Nam quia ſæpe meas nugas laudare ſolebas
Hic quoq; tu nobis æquus habendus eras
Nec dubito quin te mea carmina teſte probentur
Verus Muſarum ſemper amicus eras
Propterea hinc eciam ueros decerpere fructus
Debes. & meriti præmia ferre tui
Tu quoq; curarum ſi quando à mole uacabis
Atq; aliud quod agas non erit, iſta leges
Iſta leges, patriaq; & principe digna uidebis
Te tamen ò utinam iudice digna. Vale

Erphurdiæ in Thuringis XXII. Septembris M. D. XXXIIII.

INVICTORIA

VVIRTEMBERGENSI AD ILL, ET INCLYTVM PHILIPPVM HESSO*rum Principem &c. Gratulatoria Accla*
matio Helij Eobani
Heſſi.

QVAE NOVA TAM CE=
lebri Germanũ ſama per orbẽ — *Exordium ab admiratione.*
Tollitur applauſu? quis honor
quæ gloria parta eſt
Quæ tantis populos gratan=
tes laudibus implet?
Quæ tam læta hilares uicto=
ria concutit alas
Et uolat Heſſiacas circum lateq; per oras
Te generoſe petens tua regna Philippe reuiſens?
Illa eſt ipſa tuæ: nec me ratio iſta feſellit,
Virtutis comes ingenitæ, uirtutis auitæ
Virtutis patriæ, quondam tibi debita ſoli
Sol a tot Heroas, tot & inter fortia Regum
Pectora, te læto ſpectat placidiſsima uultu
Te miratur, amat: colit, adiuuat, erigit, auget
O fœlix generoſe animi: fortiſsime bello
Vnde tuas laudes: unde ordiar iſta Philippe — Propoſitio
Quæ facis inuicta decora immortalia dextra?
Non ſi cuncta uocem ueterum ludibria uatum

Exequar iſtius minimum uirtutis honorem
Quæ te nunc Iuuenem Dijs immortalibus æquat:
Experiar tamen:Ipſa meas modo dirigat orſus
Inuocatio — Aſtrorum decus Vranie:mea Muſa:meum cor
Ipſa patris ſancto tangat mea pectora flatu.
Vnde tamen?quoue inde ferar?laudum ne tuarum
A teneris orſus dicam primordia cunis?
Sicut ab Herculeis ſi quem iuuet anguibus,uſq;
Fortia ad Oetæas deducere prælia flammas.
Forte nec immerito:nec me rationis egentem
Iſta ferent olim de te ceciniſſe minores,
Digreßio in — Qualis enim fueris iam tum pueriliibus annis
laudem iuue — Quanta uere tuo floreres indole,quantis
nis aetatis — Dotibus ingenij:quanta uirtute potentis
Philippi. — Atq; inuicti animi:præſtares omnibus unus
Principibus:qui te primæuæ flore iuuentæ
Aequarent:quis neſcit?& hæc ſe ſcire fatentur
Qui Rhenum Fuldamq; bibunt:patriumq; Viſurgim
Qui uirides Mœni ripas Laniq; frequentant
Quaſq; tuas præter fluit aurifer Aedera gentes
Guilielmus — Iam iuuenis, iam puberibus ſpectandus in annis
Philip.pater — Aequaſti propria laudes uirtute paternas
Illo te oſtendens dignum patre,cuius ab armis
Territa cognati trepidarunt cornua Rheni
Non tamen Heßiacos qua ſpectat parte Leones:
Et Nicer attonita ſtabat rapidißimus unda.

Hunc

Hunc talem tantumq́; patrem quàm fortibus armis
Tu ſuperes, tua facta docent, tua clara Philippe
Militiæq́; domiq́; opera ædita, qualia nunquam
Vel mors ulla queat, uel edax abolere uetuſtas.
Sicut enim uirtute patrem Rex ille Philippum
Vicit Alexander, ſic tu uirtute Philippus
Clara tui ſuperas Guilielmi facta parentis,
Namq́; ut prima tuæ, ſed fortia facta iuuentæ — *Franciſcum à Syggingen Philip. uicit.*
Præteream: Quis enim neſcit quàm fortiter hoſtem
Contuderis, tua regna auſum uiolare: tuisq́;
Vim facere indigenis, quem tu nec læſeris unquam,
Nec cauſſam dederis cur tu peterere, ſed ipſum
Deflet adhuc Syggingа domus: mortalibus auris
Te duce ſublatum, tota ditione ſubacta,
Aequatisq́; ſolo domibus. Tibi ſeruit ademptum
Hoſtibus, antiquo dictum cognomine Burgum
Traiani, nunc uox alia eſt nec digna relatu.
Quantus in agricolas ſeruilia bella mouentes — *Seruile bellũ compeſcuit.*
Quàm fueris ſubito exortum metuendus in hoſtem,
Qua tales compeſcueris uirtute tumultus
Qua uictor ſtrato pietate peperceris hoſti
Milia quot leto dederis uictricibus armis,
Nolentûm dare colla iugo, ſæuire coactus
In tua ſpernentes clementia iuſſa colonos, — *Fuldana ſeditio:*
Scit tuus in rapidum uenturus Fulda Viſurgim
Scit uagus & paruo ſed iam grauis Vnſter Hiera

Thuringicus Vidit enim Thuringus ager quàm fortis in armis
tumultus. Quàm fueris parta clemens in pace, nec unquam
Te tua crudelem uictoria fecerit hoſti
Clementia Deuicto: quantumq́; truci pulcherrima bello
Philip. Commoda prætuleris pacis: quam ſemper amaſti.
Studiũ pacis. Hoc de te confeſſa modo eſt data Francia dextræ
Expeditio in Depopulanda tuæ, niſi te uoluiſſe liqueret
Francos inſtructiß. Plus pacem quàm bella ſequi, ſi cura fuiſſet
Sanguinis ulla tibi fundendi, iam fuit hoſti
Expreſſa inuito certæ uictoria palmæ,
Nec dubie iam uictor eras, niſi uincere nolles,
Cum tu pacis amans, retro tranquilla ſequutus
Conſilia, impoſitis ſubiecto legibus hoſti,
Arma domum nunquàm fruſtra commota reducis
Arma prius nulli tam ſplendida uiſa, nec ulli
Quàm ſibi quamq́; tuæ tam uiſa ſimillima dextræ.
Conparatio. Qualis ab Eoo rediens Pompeius orbe
Victor inaurato ſcandat Capitolia curru
Agmina laurigeris ſtipent uictricia ſignis
Hinc atq́; hinc et uictorem comitentur ouantes,
Talis arenoſi deſcendens littora Mœni
Liquiſti, Fuldæq́; tui piſcoſa reuiſis
Flumina, non patria minor aſpiciendus in aula.
Laborũ & Quid memorem caſus tuleris quàm fortiter oẽs
periculorum Semper in aduerſis audax, inuictus in omni
patiens Phil. Fortunã, nec inepta domi, nec turpia ducens

Ocia,

Ocia,ſed potius ueræ uirtutis amore
Externas adiens per regna,per oppida,gentes
Plurima multorum uidiſti prouidus urbes
Et mores hominum,nec pauca pericula adiſti
Tam rerum uitæq; tuæ,quàm ſæpe tuorum:
O Laertiadæ nec inertior inclyte magno — Phil. Vlyßi comparatus.
Nec minor ingenio,ſi quis contingat Homerus
Qui te,qui tua facta canat,qui laudibus ornet
Virtutem ornatam meritis,rebusq; probatam
Iam ſatis,O qui me procul hinc ex Heßide terra
Montibus Aonidum ſiſtat,cupidumq; bibendi — Vergiliana imitatio.
Impleat os pectusq; ſacri de flumine fontis
Inſpirentq; melos quale inſpiraſſe feruntur
Aſcræo iuueni:faciles,mea numina,Muſæ.
Quòd ſi ne tantas poßim contingere laudes
Ingenij uis tarda uetet,mediocria captem
Munera,dum non poſtremas mihi Muſica partes
Turba ferat,quadamq; tenus ferar acta canendo,
Fortia,præcipue tua fortia facta Philippe. — Propoſiti aggreßio.
Qui nunc Sueuiaco patriam ſceptrumq; paternũ
Eximia uirtute duci poſt longa receptum
Tempora reſtituis regnoq; reponis auito
Eiectum expulſumq; domo,patriaq; fugatum
Huldreichum,uix hanc auſum ſperare ſalutem
Ni tibi coniunctus,niſi pars non parua fuiſſet
Sanguinis ille tui,quem,ni maturior annis

Eſſet, & ante tui metas excurreret æui
Fratris habere loco poteras, nunc illius alter
Non ſecus ac potes eſſe parens, & iure uocari.
O iuuenis uirtute ſenex, quàm nuper amicum
Adſeris in patriam ditionem fortiter, armis
Pulſum, reſtituiſſe armis, tua ſola ſine omni
Conſilio externo potuit clariſsima uirtus.

Excuſatio cur nõ omnia deſcribat.

Quòd ſi nunc ratio tales foret ulla paratus
Commemorare mihi, & pleno deducere uerſu
Non ſpacium exigui ſeries non ulla libelli
Sufficeret, nunc parua breuem complexa papyrum
Carmina Muſa canit, ſeq; ad maiora reſeruat
Quæ celebret tua facta olim, nec enim putat iſta
Contentum fore laude, ſed ad maiora paratum
Si qua ferat ratio, & ſinat inſuperabile fatum.

Comparatio.

Pauca tamen uelut è multis diſperſa per omnem
Campum diuitijs florum ornamenta iuuabit
Sollicita legiſſe manu, non temporis ulla
Exacta ratione, ſtato non ordine rerum
Sed ceu mellificæ uolucres per florida prata
Nunc hos nunc alios retinaci poplite florum

Applicatio p metaphoram

Delibant ſuccos, nec in ordine mellea certo
Paſcua conſectantur apes, ita nos quoq; ſparſim
Præcipuos auido libabimus ungue colores
Victricis uario textæ de flore coronæ.
Iam ter quinq; ierant à nato ſecula Chriſto

Si tria luſtra bis adijcias & quattuor annos
Tempora florigeri iam ueris adulta propinqua
Spectabant æſtatis opes, quo tempore demum
Martia terribili concuſſa eſt Heßia motu
Non aliquem patiens hoſtem quem pelleret armis
Non etiam factura ſibi quem perderet hoſtem:
Deniq; non urbes, non regna aliena tumultu
Inuaſura nouo, penituſq; procacibus auſis
Sed temere poſſeſſa alij & uiolenter adempta
Reddere regna uolens domino, quem crederet eſſe
Legitimum hæredem, ſimul & ſua iura tueri:
Quòd de ſtirpe foret ſatus illius inclytus Heros,
Qui nunc Heßiaci diſpenſat ſceptra Leonis:
Nā ſatis hoc notū eſt quā ſanguine iuncta ſit Heſſo
Vuirtemberga domus, gentes hæc fama per omnes
Sparſa, minus mirum facit, & rem laude uideri
Præcipua dignam, quod cum tibi nemo pararet,
Nemo etiam poſſet, nemo quoq; uellet auitum
Dux Huldreiche decus uictrici reddere dextra:
Tandem aliquem toto reperiſſes orbe Philippum
Qui poſſet, qui uellet, & in tua regna pararet,
Reſtituiſſe, tuis & te Dux inclyte terris.
Hoc igitur tunc mēte agitans hoc rebus adornās
Fortia magnanimus concuſſerat arma Philippus,
Nec mora confluere, & tota regione moueri,
Inuictos animis iuuenes, iam bella paciſci,

Narratio à periphraſi.

Philippus Huldreicho ſanguine iunctus.

Apparatus belli.

Poſcere iam uideas uotis ducantur in hoſtem
Hoſtibus excidium, cædes, cladémq; minantes
Arma fremunt, iam tela nouant fuſura cruorem
Hoſtilem, inſano ſic fertur amore iuuentus
Martis in indomitam rabiem, nec in arma cohortes
Heßia ſola equitum uocat, inuictasq; phalangas,
Milia tot peditum, ſed ab omni exercitus ora
Qua ſe cunq; aliquo pandit Germania tractu,
Confluit, & poſitis ad Fuldæ flumina caſtris
Agmina condenſant, & campos milite complent,
Diuitis immenſo merituri principis ære:
Nec cuiquam nocitura manus, niſi bella mouenti,
Et ſe iuſta ſatis uetituris bella mouere.
Et iam tempus erat, totis exercitus armis,
Optimus inſtructus, per campos ibat apertos
Te, caput umbroſa qui cingis arundine fuluum,
Mœne petens totus domino ceſſure Philippo
Qua uada Francigenas olim accepere, uetusq; — *Fracophurtũ ad Mœnum.*
Nomen adhuc retinent, poſitis inſignibus urbis
Mœnibus eximiæ, qua tum ſpecioſa Philippus
Agmina per placidi traduxit flumina Mœni,
Ibat enim tacita refluus iam mollior unda,
Hoſtibus accipiens reditura inuicta ſubactis
Arma, quibus non ante uadis aſſueuerat amnis.
Cum namq; emporium quo non celebratius ullum — *Emporiũ fran cophurti.*
Teutonis ora uidet, tangentibus alluat undis

Mercibus aſſuetus per tempora lõga ferendis
Tunc equitum peditumq́; uidens tot milia in armis,
Obſtupefactus aqua dubia ſtetit, an ne retrorſum,
Se raperet, peteret ne ingentis proxima Rheni
Littora, tantus erat terror uictura ferentis
Militis arma manu, tantos oblita ſtupores
Corda ſui traxere uirum quacunq; ſubibant
Qua pedites, qua ſigna equites, qua caſtra mouebãt
Qui ſi, noſtra legens, numero fortaſſe requiras
Quot fuerint, qualesq́; uiri, iam plenus ab omni
Parte, per hoſtiles uadens exercitus agros,
Lectorum peditum ter denis milibus ibat
Et quinis equitum, manus expertiſſima bello
Non de fece hominum lecti, ſed fortibus omnes
Inſignes meritis ueterani, & uiuida factis
Corpora. Talis erat Perſeia regna petenti
Miles Alexandro, nec enim numeroſior illo
Rege fuit, quàm te tuus hic ducente Philippe.
Talibus ille uiris ſuperauit Granicon amnem
Et uada conatos Perſas cohibere repreſſit
Milia multa uirûm ſternens fœlicibus orſus
Auſpicijs, tanti nimias contundere regni
Diuitias & opes, & ſceptra Dareia ad ipſos
Ferre Macedonio prognatos ſanguine reges
Sic tibi caſtra uagi ponenti ad cornua Nicri
Adſuit auſpicio fautrix fortuna ſecundo.

Peditum 30. mil. equitum 5. mil.

Non maiores copias Alexãdrũ Macedonem habuiſſe.

Caſtra ad Nicrũ locat Philippus.

Nam qua clade, ferum qua cæde affeceris hoſtem:
Auſum te contra: ſed inutilia, arma mouere.
Iam nec in obſcuro eſt, nec ad omnes garrula motus
Fama tacet, loquiturq; tuas Germania laudes
Qua uel ad occaſum: qua uel ſe extendit ad ortus
Phœbe tuos, qua flat Boreæ contrarius Auſter
Oppida quæ bello: quas expugnaueris arces
Rupibus impoſitas altis, nec uiribus ullis
Expugnabilibus, quas tu tamen unicus omnes
Ceperis, haud dubio circum ſermone uagatur:
Arx Aſperga capta à Phil. Nec teſtes Aſperga alios puto uicta requiris.
Quid memorē tormēta, quot et quæ quātaq; tecū
Extuleris, rapidos æquantia fulminis ictus
Natura bombardarum. Et nubis ruptæ ſonitus, & fulguris ignes
Qualia in imbelli timidiſſima dicere uerſu
Muſa reformidat, non bella, ſed ocia tutæ
Pacis amans, ſed quæ ſic te miretur, ut omnes
Audeat & poſuiſſe metus, & ad arma canenda
Hæc tua ſe totam tibi ſubmiſiſſe Philippe.
Duo milia curruum. Quid loquar armatos iterum, duo milia, currus?
Milia quot magnus nunquam ceciniſſet Homerus,
Argiuum proceres duxiſſe ſub Ilion altum:
Pars quorum grauis armorum, pars pondere uictus
Annonæ præſtantis opem, ne miles in armis
Sex milia aurigarum. Deficiens, & rebus inops & inertior eſſet
Quos auriga adeo currus numeroſus agebat,
Vt nume-

Vt numero impleret ſex milia, nec libet iſtis
Addere calones, lixasq́; cocosq́; bibaces
Et quæ turba fere leuiorum tanta ſequuntur
Agmina. Nunc adeo quàm te ſapienter in omnes Prudentia
Obtuleris caſus, quantum prouideris omni Philippi.
Fortunæ ratione aditus, ſiue illa ſecundo
Seu cadat aduerſo pede friuola, nullius eſſet.
Improuiſa mali rabies tibi, ſi qua fuiſſet
Quæ tibi nulla fuit, nec ſi qua ſecunda ueniret
Forte uideretur temere ueniſſe, ſed eſſet
Fortuna ingenio ante tibi perſpecta ſagaci.
Nam ſeu caſtra tibi fuerant metanda, legebas
Arte locum: quo non aditus foret hoſtibus ullus
Quæ prope riuus aquæ, quæ iuxta pabula multo Ars locando
Suffectura gregi, quæ ſufficerent armentis rum caſtrorũ
Quadrupedum, qua laude prior, ſed fortior, ætas
Extulit Aeaciden Pyrrhum Romana Tarento
Arma laceſſentem, totamq́; per Hellados oram Pyrrhus
Circum iam toties uictricia ſigna ferentem Epirota.
Seu ducendus erat ſumptis exercitus armis
Per loca ducebas non obice clauſa, nec ullo Peritia in du
Inuia præfractu, ſi ſic fortuna tuliſſet cendo exerci
Sin minus, immanes ſcopulos montesq́; fragoſos tu Phil.
Tutam aperire uiam ſuperaſti ſæpe coactos
Non ficto Annibalis rupes frãgentis aceto Annibal Pœ
Exemplo, ſed more tuo, ſed uiribus uſus nus.

Sylua Othonis.

Viribus armatæ uincentibus omnia dextræ
Sic iuga ſcandentem ſua te conſpexit Othonis
Quam memorant iſto dictam cognomine ſyluam

Diligentia in obeundis uigilijs.

Excubias uigilum tu ſemper obire ſolebas
Caſtra per, & raram proprijs admittere noctem
Luminibus, nec tam ducibus tua credere caſtra
Quàm tibi, ſic decuit uigilantem principis eſſe
Pro ſe, proq; ſuis animum, nec inertia noctis

Locus Hom. ex 2. Iliad.

Totius in mollem conuertere tempora ſomnum
Cui populi, cuius commiſſa negocia curæ
Publica ſint uigili, ſic te nocturna diurnis
Aequantem uidere tui tunc munera ciues
Tunc cum bella manu gereres, cum bella gerentes
Omnibus ipſe animo melior præſtante, leuares

Prudentia Phil. in prouidēdo uictui neceſſaria.

Sed nec in extremis fuerit laudum illa tuarum
Prouida uis animi, qua ſic alimenta tuorum
Accumulata manu prædiuite ſemper habebas
Vt non ulla magis fœcundum copia cornu
Concutere: aut poßit plures effundere fructus
Atq; ita ne miſeris inferret damna colonis
Militis illa manus rapto gaudentis, agebas
Feciſtiq; palam non te tam bella uolentem
Quàm pacem, quàm iuſticiæ ſua iura tueri
Hoc opus aggreſſum, tantos obijſſe labores
Dum quem reſtituis patriæ, ſimul adſeris armis
Reſtituisq; illi patriam, qua caſſus agebat

Immeri

mmeritum exilium iunctus tibi ſanguine princeps
Optimus, & meliore olim tot euntibus annis
Fortuna dignus, donec ſibi redditus ipſi
Te duce præreptos iterum repetiſſet honores
Inclyte Dux Huldreiche tuis nunc ergo beate
Et meritis ſanctaq; fide, quorum iſta tuliſti
Præmia, cunctarum quæ ſint tibi maxima rerum
Et quibus iſta frui fuerat digniſsima uirtus
Nam tua cum totum laus ſit uulgata per orbem
Gratantur reduci totum quicunq; per orbem
Et nomen nouere tuum laudesq; loquuntur
Ad te nunc redeo Princeps fortiſsime, cuius
Addubito mirer ne prius decora edita bello
An ſapientis opes animi, pectusq; paratis
Plenum conſilijs, longe ſuperantia captum
Iſtius ætatis, niſi ſit tua, namq; laborum
Tam patiens, quam fortunæ conſultus, in omnes
Victorem caſus præſtas te ſemper eundem
Quod ducis officium magni, quæ munera belli,
Quas armorum artes, euenta, pericula, caſus
Ignoras? animos qua dexteritate tuorum
Concilias, quia te tanto uenerentur amore
Obſeruentq; fide, nec enim me fama fefellit
Ipſe ego percepi uocemq; his auribus hauſi
Pro te ſi iubeas uitamq; animamq; paciſci
Militis eſſe tui, iacturam ſanguinis omnem

Apoſtrophe ad Huldreichum Ducem

Laus Phil. à diſciplina militari.

Eſſe leuem, ſaltem tua gratia plena fauoris
Ne deſit, neu deſtituat tua ſancta uoluntas.

Conflictus & uictoria Phi. ad Laupham.

Scit Nicer & paruæ uiderunt mœnia Lauphæ
Quantus in arma ruas, quàm prompto milite turmas
Staueris hoſtiles, quot milia fuderis illo
Temporis exigui ſpacio, quo ſcilicet hoſti
Clara ſatis quàm ſis fortis documenta dediſti
Quàm tua ſit uictum uictoria mitis in hoſtem
Et tua quàm bello ſit uiuida dextera, tam ſit
Pectoris illa tui pietas generoſa, nec ullas
Exigat à uicto poenas, ſic uera Leones

Leones inſignia Phil.

Iſta tuos decuit uirtus, ſic ergo Leonum
Te merito decorant inſignia. Qualibus autem
Exequar hic uerbis, quòd quos certamine uictos
Conſeruare tibi ſtudium fuit, & quibus ultro
Ignouiſſe paratus eras, ſeruare nequibas
In ſua præcipites, & te prohibente, ruebant

Fuga & clades ad Laupham.

Fata nimis miſeri, te poſſe ignoſcere uictis
Ignari, nam quid referam fugientia paßim
Agmina, per ſcopulos, per aquas, per ſaxa, per agros
Mortuaq; in duris hærentia corpora palis?
Sic fuga præcipites egit, ſic terror in omnes
Peruaſit, tanta trepidi formidine uitam
Eripuere ſibi, quam tu concedere uelles.
Nam quos ille tuus uictor non hauſerat enſis
Hauſerunt ſua tæla, & proxima flumina Nicri

Nicri

Nicri cuius aqua tum ſanguinis unda fluebat
Cuius erat multo tum ſanguinolentior amnis
Quàm Simois fuit ille olim tot fortia uoluens
Corpora, quàm flaui refluens fuit unda Scamandri
Cum tot cæde uiros uiolenta magnus Achilles
Sterneret, & fluuio curſum prohiberet eunti.
Tot Nicer undoſo tum uortice corpora uoluens
Turbidus ibat aqua, tam totus cæde rubebat
Sanguinea magni tincturus cornua Rheni.
Hæc clades docuit te uincere poſſe Philippe
Non eciam uinci, namq; hæc uictoria parta eſt
Tanta tibi, nulla cum cæde aut clade tuorum.
Præterea clades hoſtem ſic iſta repreſſit
Sic domuit, ne bella iterum neue arma parare
Auderet, ſed ſe muros includeret intra
Et potius quàm fortuito confidere Marti
Obſidione premi, & longos perferre labores
Quam ſemel ancipiti fortunæ credere uellet
Vrbibus iccirco tota regione receptis — Vrbes receptæ.
Omnibus, aut armis, aut ſe dedentibus ultro
Victricemq; manum metuentibus, unica uires
Arx experta tuas, ſed ferre Aſperga nequiuit.
Dij quibus impetibus, quibus hanc aſſultibus arcē — Arx Aſperga capta.
Aggreſſus trepidam concuſſeris, illa ruinam
Non metuens, tumidum cœlo caput alta ferebat
Tuta loco, quoniam non hac munitior ulla eſt

VVirtenbergiacæ tota regionis in ora
Et ſibi confidens nimium, te excludere primum
Auſa fuit, ſed non fœlix audacia ceßit
Nam quia tu cuperes captiuæ parcere, fractos
Extulit illa animos & ſe rata poſſe tueri
Principis ingenio, & magna uirtute Philippi
Boiorum à ducibus qui tunc ea tuta tenebat — Philippus è Ducibus Bauariæ
Munimenta loco, ſed quæ loca uiribus iſtis
Obſtiterint, quas illa tulit, quibus illa recepta eſt
Conſilio & uirtute tuis, Dij qualibus illam
Quaſſam fulminibus, domini ſub iuſta prioris
Iura redegiſti, Nunc te manet inclytus almæ
Poſteritatis honos, manet indelebile nomen
Famaq; iam uulgata, omnem uulganda per orbem
Gloriaq; inuidiam nunquam ſenſura malignam
Digne cani maiore tuba fortißime Princeps
Heſſe Philippe tuis uirtute ingentior annis
Quis tamen hanc, quæ te generoſa modeſtia cœlo — Heroica Phil. modeſtia.
Aequat, & Heroas locat inter ſumma tenentes
Culmina uirtutum, ſatis ullo carmine dicat?
Aut uerbis æquare queat? non iſta canendo
Aſſequar hic partem minimam, non ſi mihi Muſæ
Inſpirent animam ſiue immortalis Homeri
Siue tuam diuine Maro, nam qualia uictor
Geſſeris, & quàm ſis uictrici leniter uſus
Dextra, nulla tacet totum iam fama per orbem

Cum

Cum poſſes etenim delere,& funditus hoſtem
Perdere,ſic uictor moderatus es omnia,ne qua
Publica pax uiolaretur,ne motibus ullis
Concuteres iura imperij, ſed iuſta coactus
Arma,nec infeſta cuiquam ratione moueres
Præterea uicto cum ſic ignoueris hoſti Clementia Phil.in uictos
Vt ueniam,quam non meruit,mitiſſime uictor
Donares,quid hic ueterum te laudibus æquem?
Scipio magne tibi?ad rapidum qui uictor Hiberum Scipio.
Sæpe rebellanti toties ignoueris hoſti.
Talis & ille fuit qui magni nomen Iuli Iul. Cæſar.
Primus ad Imperij ſummos euexit honores
Romulidum,& ſumma rerum ſtetit unus in arce
Talis & ille fuit qui magni regna Darij Alexander magnus
Euertit,captiua trahens ingentia bello
Agmina,regalesq; opibus referentia gazas
Abſtinuit tamen,& Iuuenem nec regia coniunx
Nec quæcunq; ſolet talem fortuna mouere
Aetatem,mouit conſtanti pectore regem.
Talis & ipſe tuæ fueras in flore iuuentæ
Talis adhuc Iuuenis,talem te uictor agebas
Nuper ad undantis,uada cærula,ſanguine Nicri.
Talis eras cum te uincente Aſperga recepta eſt
Talis eris poſt hac,cum te uictoria fœlix
Euehet,& noſtras læta illabetur in oras
Tu modo,tu ne talem animum,ne moribus iſtis

Exue uirtutem ornatam, tua gloria ſummos
Aequabit iam parta Duces, pariendaq; uiuet.

Apoſtrophe ad Ducem Huld.

Tuq; adeo tu uiue memor clariſſime ſanguis
Dux Hulreiche, quibus meritis, quo munere, qua te
Extulerit pietate, & qua uirtute leuârit
Sanguinis ille tui decus immortale Philippus
Cui Rhenus, cui Lanus, & aurifer Aedera parent:
Cui Mœnus, cui Fulda reſtagnatorq; Viſurgis,
Cui ſyluæ & fluuij quibus Heſſia diues abundat

Digreſſio in laudem Heſſiæ.

Heſſia plena uiris, & latis inclyta campis
Qualis Hyperboreum proſpectans Thraca Booten
Gradiui domus ad Rhodopen Hemumq; niualem
Circumfuſa iacet, gelidisq; aſſueta pruinis
Gignit in arma uiros duratos frigore, quique
Aut Hebrum Neſſumq; bibunt aut Strimonis undas:
Talis & ipſa ſitu, talis regione locorum
Et fluuijs ſyluisq; frequens & montibus altis
Heſſia, naturæ ſimiles creat alma locorum
Ceu natos in bella uiros, quibus omnis in armis
Vita placet, non ulla iuuat ſine marte, nec ullam
Eſſe putant uitam quæ non aſſueuerit armis.
Quòd ſi tranquillæ uertantur ad ocia pacis
Ocia nulla terunt ſine magno uana labore,
Aut duro patrios exercent uomere colles,
Aequatosq; ſolo campos rimantur aratris
(Namq; & planities ſegetum fœcunda patentes
Explicat

Explicat innumeras, & plena meſſe colonos
Ditat, & ipſa ſibi ſatis eſt) aut ardua ſyluæ
Luſtra petunt, canibusq; feras ſectantur odoris.
Venatu genus aſſuetum, genus acre uirorum
Aut leges & iura ferunt, aut oppida condunt
Fortia, non ſolum bello munima, uerum
Quæ deceant in pace etiam oblectentq; quietos.
Quid ſacros memorem fontes? quid amœna uiretæ
Quid ualles ipſis certantes frugiferacis
Vallibus Aemoniæ? dulces quid ubiq; receſſus
Muſarum loca, confeſſu loca digna dearum.
O patriæ gelidi fontes, ô flumina nota,
O ualles, ô antra meis notiſſima Muſis, *Antrum ad la cum Francobergenſem intelligit.*
Quando ego uos iterum, ſicut puer ante ſolebam,
Aſpiciam, ueſtraq; ſedens modulabor in umbra
Carmina non aliquo doctus cantare magiſtro
Aedera qua patriam præterfluit aureus urbem
Ipſa humili aſſurgens in collem deſinit altum
Francoberga meis non ignoranda Camœnis, *Francoberga Eob. patria.*
Si qua manet me fama, & ſi mea carmina uiuent.
Sed quò dulcis amor patriæ, quò me rapis extra
Limina propoſiti? tecum dux inclyte nobis
Fabula cœpta fuit, qui Vuirtembergа receptis
Auſpicijs nunc regna tenes, tibi fauſta precamur
Omnia, perpetua populos in pace gubernes:
Nec te bella premant iterum, non ulla minetur

Exitium fortuna tibi, ſed floreat auctum
Imperium cum prole tua te principe digna,
Chriſtophoro: Tu nunc qua flores indole, quoq; es
Præditus ingenio, uirtutem agnoſce paternam
Chriſtophore, & lætare tui uirtute parentis
Qui tibi reſtituit patriam qua pulſus in aula
Cæſaris exul eras, uidi agnouiq; paternæ
Effigiem uirtutis, & in te ſigna notabam,
Quæ mihi ſpem facerent patriæ te poſſe receptæ
Reſtitui, quando ingenio præſtante ualeres.
Moribus usq; adeo quando ciuilibus eſſes,
Vt me colloquijs admiſſum ſæpe ſoleres
Comiter accipere, & menſa haud excludere eadem.
Ergo ut fortunam nemo tibi ſæuit iniquam
Sic tibi gratulor hanc æquam ſatis, erige celſum
Dux generoſe animum, tibi enim uictoria parta eſt,
Hæc modo, te manet huius honos & gloria belli,
Quam conſanguineo potes olim ferre Philippo
Acceptam, meritoq; tuis inſcribere ceris,
Mittereq; ad ueſtros ea facta legenda nepotes.

Chriſtophorus dux Vuirtembergen.

Nunc quia principiũ mihi carminis huius, & idẽ
Author eras, inuicte animo, fortiſsime bello
Heſſe Philippe, modum ſtatues, noſtriq; laboris
Finis eris, donec mihi liberiora dabuntur
Ocia mordaces non admittentia curas,
Et tua dum noſtris accreſcet gloria Muſis

Concluſio poematis ad Philippum.

Maior

Maior, & ingentes quæ, ſi non deſit Homerus,
Impleat Iliadas, ſanctasq́; Aeneidas æquet:
Si tibi forte aliquem pariant tua rura Maronem
En erit hoc etenim tempus quo totus & omnis
Immortalis eas in carmina noſtra, nec unquam
Vlla tuum ueniens obliuio turbet honorem.
Nunc partem exiguam rerum ceciniſſe tuarum
Vix licuit, uix hunc etiam fortuna laborem
Indulſit, ne tanta tamen, tamq́; inclyta uirtus
Eſſet in obſcuro, neue ignorata iaceret.
Quæ te ſupra alios ſublimem gloria tollit
Mortales, dum nemo tuas fortiſsime laudes
Dum nemo tua facta canit, dum caſſa poetis
Heſsia tota ſilet, nunquid ſiluiſſe decebat
Me quoq́; ? non adeo patriæ mea pectora laudis
Fugit amor, nec dignus eras tu cuius honorem
Et meritam premerent æterna ſilentia famam.
Salue ſemideum ſanguis generoſe Philippe,
Noſtraq́; placata, tuta ocia nactus ab armis
Carmina fronte uide, meq́; inter temporis huius
Qui tua facta canant, aliquem patere eſſe, poetas.
Sic tua perpetuis uirtus decorata tropæis
Floreat, & totum factis ingentibus orbem
Impleat, & nullum inueniat tua gloria finem.

Finis.

COLVTHI

LYCOPOLITAE THEBANI
VETVSTI ADMODVM POETAE,
de Raptu Helenes, ac iudicio Paridis,
Poema elegans & eruditum, ab
Helio Eobano Heſſo Lati
no carmine redditum.

LECTORI.

Fœmina, forma, Venus, Iudex Paris improbus, aurũ
Hæc hominum totas depopulantur opes.
Totius humanæ ſumma eſt hæc fabula uitæ,
Cuius in hoc libro ſcena peracta tibi eſt.

CLARISSI
MO VIRO DOMINO AMBROſIO CARLAVIO ERPHVRDIANO ME
dico ac Philoſopho inſigni. Amico ſingu
lari ſuo. Helius Eobanus
Heſſus.

CLARE VIR, *& digne Am*
broſidos cognomine plantæ
Pro meritis tanto digne
fauore coli.
Vt ſunt ſæpe ſuis cognata
uocabula rebus,
Nec temere multis nomen ineſſe ſolet.
Sic etiam immortalis eras hac parte futurus,
Neſcia quæ mortis ſola manere poteſt,
Hæc eſt quæ medicas peperit tibi clara per artes
Nomina, nec meritis inferiora tuis.
Cumq; alijs præſtes & honoribus, & tua Muſæ
Pallados æterno pectora fonte rigent.
Sæpe tibi, dotesq;, tuas miratus & artes,
Gratificaturus, ſi licuiſſet, eram.
Non licuit, quia nulla meis occaſio muſis
Hactenus aut animum materiamue dedit,

Non licuit quia te nullius laudis auarum
Eſſe bonum, dici non uoluiſſe liquet.
Et quia noſtra tuas timuit ſine munere Cleio
Rebus inops, cultu diues adire fores.
Atq; ita dum Latiæ circumſpicit omnia linguæ,
Quod daret, inuenit muneris eſſe nihil.
Nam uel nota prius, uel ſunt ingrata futura,
Quæ damus è noto munera prompta penu
Rara iuuant animos, & ineſt ſua gratia priſcis.
Et precium nouitas grandius omnis habet.
Ergo retrocedens peruenit in Hellada cultam,
Quasq; legis tenues rettulit inde notas.
Has tibi longinqua uelut è regione reuerſa
Non ſtudio merces attulit uſa nouo.
Nam prius & Siculi uariam paſtoris auenam
Traxit, & Heroas uidit Homere tuos.
Carmina nunc igitur Thebani aggreſſa Coluthi
Argiuum Latio condidit ore melos.
Et dum cui proprio donet confecta labore
Cogitat, Ambroſio mittit habenda ſuo.
Accipe græca ſtilo, Latio lita ſcripta colore,
Tradita græca mihi, facta latina tibi.
Tradere quæ noſtris nemo fuit hactenus auſus,
Illa ego Romana uoce legenda dedi.
Quòd ſi forte rogas cur talia munera mittam,
Non ſunt à ſtudijs hæc aliena tuis.

Nam medicas etiam tractare fideliter artes,
Cum libuit Phœbo præſide Muſa poteſt.
Scilicet herbarum ſubiecta potentia Phœbo
Tam commune tibi quàm mihi numen habet.
Et quia ſis animo non ad ſtudia iſta ſeuero
Sæpe etiam nugas, & ioca ſalſa probes.
Hæc tibi non tetricos redolentia ſcripta Catonas,
Quæ probet & laudet Gratia nuda damus.
Quæ Venus herboſis Epicuri cantet in hortis,
Quæ legat, abiecta cuſpide, lætus amor.
Quales ipſa ſuo uerſus in Adonide uellet,
Dum pueri deflet mortua membra ſui.
Ergo ubi te ſtudijs animus grauioribus æger
Deprimet, hinc ueniet certa medela tibi.
Tum legere Aeacidæ poteris connubia Pelei,
Mortalemq; Deæ complacuiſſe uirum:
Tum quod ab Heſperidum Diſcordia carpſerit hortis
Aurum Troiugenis exiciale leges.
Tum quia mortali ſteterint ſub iudice Diuæ,
Vt Venus illecebris uicerit una duas.
Vt penetret Phrygius claram Lacedæmona paſtor,
Et rapidis Helenen nauibus inde uehat.
Carmina præterea per nos adiecta uidebis,
Concinuit thalamum quæ chorus ante nouum.
Et quia ſolus amor fuit horum cauſſa malorum,
Aurea quæ pomi dona ſequuta ferunt.

Addidimus pueri flamma ferientis & arcu
Inſidias, luſus, nomina, ſigna, notas.
Quæ ſi forte leges, quàm ſunt ea nomina dices
Sæpius heu nimium cognita uera mihi.
Omnibus hæc deinceps per te data ſcripta legentur,
Tu ſiquidem noſtri cauſſa laboris eras.
Nunc age Thebani carmen geniale poetæ,
Quaq; fide debes adſere, quaq; potes
Sic tuus in patrias laudes adoleſcat & artes
Iam patrij conſors nominis Ambroſius.
Sic tibi, quam multis, Chriſto duce, ſæpe dediſti
Per Chriſtum ueniat uita quieta Vale.

COLVTHI
VITA.

Coluthus Lycopolites Thebanus ſcriptor Carminam natus ſecũdum Suidam, ſub Anaſtaſio cognomẽto Brachino, q̃ poſt Zenonẽ regnauit Cõſtantinopoli, poſt quem regnauit Iuſtinus Thrax, et poſt hunc ipſum Iuſtinianus ſuperioris auunculus, qui liberauit Italiam à ſeruitute Gothorum per Beliſarium, cuius erat cõſobrinus, ante annos abhinc mille uel paulo plures. Hic ſcripſit Calydoniaca uerſu Heroico libris ſex: præterea Encomia & Perſica.

Huic ad-

Huic adſcribitur & præſens poema, de raptu Helenes uſitatum & familiare in Apulia, ubi & poeſis Homerici Quinti primum inuenta eſt in templo diui Nicolai Caſſulorum extra Hydruntum, quam adſeruans diuus Beßarion Cardinalis Tuſculani uolentibus communicauit. Atqui ipſum quod abſconditum erat nunc commune habetur.

ARGVMENTVM PRAESENTIS *poematis.*

QVod ad argumentum huius poematis attinet uidere licet ipſum in nuptijs Pelei & Thetidis deorũ conuentũ, & immiſſam à Diſcordia dea confuſionem, tum ſuper pomo concertationẽ, & quomodo Iupiter Mercurium miſerit iudicaturũ inter tres Deas, daturumq; formoſißimæ quod petebatur pomũ, quomodoq; multis ultro citroq; dictis uerbis Paris Veneri pomum dederit, eo quòd illa promiſerat effecturam ſe ut ille Helenam uxorem acciperet, quod & ita factum eſt. Nauigans enim in Græciam ac Spartam perueniens Helenam ſuſcepit, ac ſecum in Ilium uſq; abduxit, principium malorum, quæ ex eo facto futura erant omnium:

COLVTHI LYCOPOLITAE THEBANI DE RAPTV HELENES POEMA,

Helio Eobano Heſſo Interprete.

NYMPHAE TROIAdes rapidi quæ flumina Xanthi
Accolitis, genus unde & ueſtros ducitis ortus,
Quæ uirides pulchra raptas à fronte coronas
Et ſacros, manibus ueſtris opera ædita, luſus
Sæpe relinquentes ad auiti fluminis undas
Ducitis Idæo faciles in monte choreas
Dicite uocali digreſſæ à flumine Nymphæ
Dicite fatalis quæ paſtor ſtruxerit urbi
Conſilia, aſſuetis è montibus unde profectus
Venit, & inſueti ſpacioſa per æquora ponti
Ducturus, terrasq; ſimul moturus & undas?
Quæ fuerit tanti miſeris uis debita fati
Nauibus? unde ierit tantorum cauſſa malorum?
Quæq; repens fuerit belli exitialis origo?

Quæ

Quæ cauſſæ irarum, quando & paſtoria diui
Iudicia accipiunt, & quod nam qualeue tantum
Iudicium fuerit, ſed quæ nam fama puellæ
Ipſius Argiuæ quando aut peruenit ad aures
Vos etenim Idææ celſa de rupe phalacræ
Digreſſæ conſidentem paſtoribus ipſum
Vidiſtis Parin, & ridentum læta ſororum
Reginam Venerem, ſed nos ad cœpta feramur
Sacra ſub Hæmonijs Hymeneia montibus olim
Peleo celebrante, Iouis mandata capeſſens
Dulcia conuiuis Ganymedes nectara fudit
Omnis eo ſiquidem magnorum turba Deorum
Venerat ad late reuolubilis Amphitrites
Germanam Thetidem forma præſtante puellam
Iuppiter è ſummo uenit delapſus olympo
Aequora Neptunus ueniens undoſa reliquit
Venit ab aerio Parnaßi culmine montis
Muſarum comitante choro formoſus Apollo
Venit & ipſa ſequuta ſoror Iouis inclyta Iuno
Nec deerat regina Venus, quin protinus altum
Centauri nemus ingrediens inuiſit amantes
Ipſa maritalis concinnans ſerta coronæ.
Pytho quæ pharetram leuiorem reddit amoris
Venerat, & nulli Pallas contacta marito
Sacra maritalis tedæ ad connubia uenit
Terribiles forti demittens uertice criſtas

Adſuit & ſoror intonſi Latonia Phœbi
Iam non ſylueſtris, iam non inculta Diana.
Venerat ipſe eciam, ſed qualis ad aurea duri
Limina Vulcani quondam Mars uenit adulter
Non thoraca aliquem, non ferrea ſpicula geſtans
Sed cœtu plaudente choros ducebat inermis.
Sola deas inter Diſcordia ſpreta relicta eſt
Et ſine honore fuit, quod nec tibi maxime Chiron
Nec tibi erat curæ fortunatiſſime Peleu
Qui tunc auricomam quatiebas fronde comantem
Cæſariem uiridi: Tum uero qualis in aruis
Herbiferis duri ſtimulo percuſſa magiſtri
Rura per & ſyluas bos errabunda uagatur
Talis iniqua ferens ſpreti Diſcordia honoris
Errabat duris agitata furoribus, alto
Vulnera corde premens, agitabat prorſus id unum
Qua ratione deu n conuiuia perturbaret.
Sæpe toro reſidens irarum concita motu
Exilijt, perſæpe toro reuoluta reſedit
Et neq; tum manibus terræ attigit ipſa regeſtæ
Sæua ſinusue ſcrobes ue, nec obuia circumſpexit
Saxa, ſed excitas per ſæua incendia flammas
Concutere, & ſubitis immittere motibus ignes
Et terræ uoluit barathro Titanas ab imo
Excitos armare Deos & ſydera contra:
Sed licet irarum ſub pectore uolueret æſtus

Conceſſit

Conceſſit Vulcane tibi, ut cui ſumma poteſtas
Flammarum foret, hinc clypeos dirumq; fragorem
Incutere armorum uoluit, ſi forte deorum
Territa diffugeret conuentu turba relicto
Sed Martem metuens aliud iam pectore cœpit
Voluere conſilium quod promptius eſſet, ab illo
Aurea ad Heſperidum reſpexit mala ſororum
Quarum fœtiferis fallax dea carpſit ab hortis
Fatale ingentis belli prœludia pomum
Vnde futura forent illuſtria facta uirorum
Illa manu quatiens magni exitiale tumultus
Principium, tulit in cœtum, pulchrosq; dearum
Ante pedes proiecit humi, quas diuite præda
Turbauit, nam corda tumens Ioue coniuge Iuno
Conſtitit attonitæ ſimilis pomumq; petebat:
Tum Venus, ut quæ nobilior natalibus eſſet
Tmnibus, & teneros quia poſſediſſet amores
Oali ſe in primis ducebat munere dignam.
Iuppiter iſta uidens diuum certamina, natum
Ad ſe Mercurium uocat, atq; huic talia mandat:
Nunquid nate Parin forma præſtante ſuperbum
Illum ſtirpe ſatum Priami, prope flumina Xanthi
Pulchra boues ſeruantem: altæq; in montibus Idæ
Paſcua ſectantem, nouiſti? aut fama per aures
Illius ulla tuas uenit? quod ſi tibi notus
Eſt Paris, I Paridi mandata hæc defer, & iſthoc

Da pomum, diuas ut iudicet inter, & harum
Vultus, ora, habitus, oculos, & corpora ſpectet.
Tum quæ præſtabit reliquis, & corpore toto
Viſa illi fuerit pulcherrima, diuitis anni
Ipſa ferat fructum, ipſa habeat ſpectabile malum.
Talia Mercurio Saturnius, ipſe paterno
Imperio parens, diuas ducebat, at illæ
Sollicitæ formarum, & quam ſibi quæq; uolebat
Quærebant omnes, tum callida mater amorum
Flammeolum diſtendit, odiferasq; comarum
Diſtinguens uittas, auro radiante capillos
Flauentes redimita, ſuos affatur amores
(Quos prope ducebat ſecum) nunc ò mea nati
Progenies nunc arte opus eſt, nunc addite matri
Quod pote quisq; decus, deformis namq; futurum eſt
Iudicium hoc hodie, metuóq; animóq; tremiſco
Cui nam ſit pomum paſtor rudis ille daturus
Nam Charitas blando tribuentes omnia uultu
Iunonem nutriſſe ferunt, & ſemper adeſſe
Fautrices dominæ, & ſeruare potentia ſceptra.
Reginam uero bellis præſtare Mineruam
Sola Venus nil poſſe ferar, nec uiribus ullis
Prædita ſim, nec quæ reliquis dominarier auſim
Non haſta ualida, nullis metuenda ſagittis.
Sed quid ego hæc fruſtra metuo, pro fortibus armis
Fortia tæla gerens, uelut haſtam, uincula amorum,

Suaui

Suauiter incautas capientia uincula mentes
Quæ ceſtum teneo, & ſtimulos ago, telaq; & arcū
Poßideo, & quocumq; libet uertoq; leuoq;
Præcipue ceſtum, unde mei ſæpe œſtron amoris
Oßibus incautæ penitus traxere puellæ
Atq; utero ſenſere graues niteute dolores
Nec periere tamen, nec fata extrema tulere.
Tale aliquid formoſa manus Cytherea loquuta eſt
Parentes iußis maternæ uocis amoris
Latiuagi, pulchræ comites abiere parenti
Ventum erat ad ſummas Idæi culminis arces
Qua iuuenis paſcebat oues Paris ipſe paternas
Paſcua læta tenens ſub Anauri pulchra fluentis
Oſtia, diſtinctis gregibus mittebat habendos
Parte alia tauros, alia metitus ouillum
Paſcebat pecus, at tergo paſtoris ab ipſo
Montiuagæ pellis capræ pendebat, & uſq;
Ad femur attingebat, & ilia ſumma tegebat:
Quem iuxta iacuit cogendis utile bubus
Paſtorale pedum, nec tempore ſecius illo
Per conſueta diu gradiens loca, dulce canebat
Syringa reſonante melos, cantuq; ſonoros
Agreſti calamos nemeroſa inflabat in Ida
Nec tauros curans, nec oues dimittere ſuetus
Hinc Syringa tenens, & per loca cognita luſtrans
Pani & Mercurio cantabat amabile carmen

Quo cantante canes nihil allatrare ſolebant
Nec mugire boues, ſola autem ex montibus Idæ
Voce carens reſonis reſpondit uocibus Echo
Sed tauri uiridis ſaturi iam graminis herbæ
In latera incubuere, & corpora feſſa leuabant.
Inde ſub arboribus iuga ſumma tenentibus Idæ
Dulce canens cum Mercurium uidiſſet ab ipſo
Territus aſpectu diuum ſurrexit, & inde
Conatus fugere, argutas oblitus in herbis
Syringas calamosq; leues cannasq; reliquit
Nondum etenim Muſam dimiſit multa canentem
Taliter attonito ſic fatur Atlantide natus:
Abijce, ſi quis habet mentem timor, & ſine pulchri
Paſcua læta greges carpant, age ſuſcipe cauſſam
Et diſcerne deas inter, quæ ſcilicet harum
Tres inter pulchra ſit præſtantiſsima forma
Illa ut honorificum ferat hoc te iudice malum
Sic ait, Officio functurus Iudicis ille
Lumine luſtrabat blando ſpecioſa dearum
Corpora, ceruleis miratus ut effulgeret
Diuinum iubar ex oculis, tum colla politis
Contigit ex puro redimita monilibus auro
Tum plantas digitosq; pedum, formamq; notabat.
Ridenti ad manuum formæ miracula Pallas
Coram adſe retrahens, placidam ſic fatur ad aurem:
Huc age Troiugena Priamo ſate, linque ſuperbam
Vxorem

Vxorem Iouis altiſoni, thalamosq́; colentum
Reginæ Veneri tantos ne defer honores,
Quin potius fortem, quæ fortibus optima præſtat
Auxilia, optato laudaueris ore Mineruam,
Tu ſiquidem, ut fama eſt, Troiæ dominaris, & alta
Pergama cuſtodis, ego te, quæ talia poſſum
Victorem faciam, non ullis uiribus hoſtes,
Teq́; urbemq́; tuam poterint excindere, nullo
Tempore bella prement, diſcordia nulla nocebit,
Munera bellorum nunquam ignorabis & arteis,
Inter & ipſe Heroas eris fortiſſimus omnes,
Obſequere hæc modo, ſic Pallas generoſa loquuta eſt.
Tunc oculos formoſa, & candida brachia Iuno:
Si mihi de forma laudem pulcherrime iudex,
Et malum dederis, iam totius Aſidos oræ
Rex eris, atq́; Aſiæ ſolus dominabere magnæ
Sollicitorum opera infœlicia mitte laborum.
Namq́; quid ad regem curæ ſæuiq́; labores
Vrbibus & populis ponentem iura ſubactis,
Qui regit & fortes, & ab omni Marte quietos
Hic rex, hic dominus poterit iure eſſe uideri,
Non etenim qui Pallada amant, quos illa tuetur,
Semper habent aut regna, aut armis omnia poſſunt
Adde quòd illorum uita eſt incerta nec unquam
Non cita mors rapit, & Stygias detrudit ad umbras
Tam bona magna poteſt Iuno dare prima dearum.

Tum ueſtem explicuit ſinuoſam mater amorum
Nec puduit monſtrare ſinus, tum dulcia amorum
Vincla leuans manibus nudauit pectus ab omni
Parte, nec erubuit teretes aperire mamillas,
Non oblita ſui. Tum blandum ſubdola ridens:
Lanigeri pecoris ſic eſt affata magiſtrum
Huc age uerte animum, mitte horrida bella, feracis
Mitte Aſiæ campos, regna iſta & ſceptra relinque
Et mihi præſtantis defer præconia formæ,
Non mihi bella placent, labor eſt incognitus omnis:
Cum clypeis quid enim Veneri? nam gratia formæ
Sola decet, tibi ego pro ui, pro fortibus actis,
Vxorem dabo, qua nec ſit formoſior ulla:
Nec ſit amabilior pro regni diuite ſceptro
Ledææ thalamos Helenes tu ſponſus inibis,
Poſt patriam uiſa fœlix Lacedæmone Troiam.
Nondum finierat Venus hæc, ille aurea dextra
Mala tenens Veneri citus obtulit, addita formæ,
Ornamenta bonæ, qua nulla beatior olim
Contingant Veneri poſſeßio, quæ tamen eſſent
Inde futurorum ſeries & cauſſa malorum.
Ipſa tenens dextra malum conuicia dixit
Iunoni glaucæq; deæ, & ſic inde loquuta eſt:
Cedite nunc uictæ, uictrici cedite formæ
Quam ſemper colui, quam ſolam ſemper amaui:
Quæ me nunc ſequitur, per quam uictoria parta eſt

Hæc mi-

Hæc mihi, te fama eſt quæ Martem *enixa tuliſti*
Et Charitas *peperiſſe ſacras, quæ te tamen omnes*
Sponte reliquerunt hodie, nec te ulla ſequuta eſt,
Et nihil auxilij prorſus tibi tanta tulerunt
Pignora, non aliunde aliqua uirtute leuata es,
Non clypeis Regina *potens, licet ignis edaces*
Te nutriſſe ferant flammas, non impius ullum
Mars *tulit auxilium, licet ille inſaniat haſta*
Fulminea, non regna dei tibi flammea claudi
Ille licet ſemper flamma inſidietur & igni.
Qualibus hic uero poterit uentoſa Minerua
Laudibus inflari, quæ nullo ſemine nata eſt:
Et quam nulla poteſt mater peperiſſe uideri,
Sed ferrata acies, ſed acuti inciſio ferri
Execuit grauido magni de uertice patris.
Hæc tu ferratis occultans turpia peplis
Spernis amicitias, placidos contemnis amores:
Bellaq; ueſani tractas opera impia Martis,
Nulla tibi nota eſt concordia, nullus amorum
Reſpectus, neſcis ne uiros eſſe, eſſe puellas
Præſtantes forma & membris florentibus æuo,
Qui fera bella tamen fugiant, qui talia nunquam
Facta probent quæ curarum ſint plena malarum,
Talibus inſultans Venus *eſt affata* Mineruam.
Sic ergo excludens Iunonem & Pallada *uictrix,*
Pignora percepit formæ, per quæ urbibus olim

Exitium miſeris eſſet ſine fine futurum.
Nondum igitur uiſæ languebat amore puellæ,
Infauſtus Paris, ignotoq; ardebat ab igni.
Ergo uiros operum in ſyluam properare peritos,
Iuſsit, & ipſe manu ducens: incidere late
Frondea pandentis per colles brachia ſyluæ
Principe fatalis damni cædente Phereclo
Conſilia hic ueſana agitanti in pectore Regi
Gratificans, ferro naues inſtructus acuto
Perficit Paridi, quæ late deſuper omnem
E regione Idæ pontum texere paratæ,
Tum Venerem thalamis ſolatia blanda ferentem
Aßiduis ſicco placans in littore ſacris,
Nauigat Helleſpontiaci lata æquora fluctus,
Prodigia immenſi mox apparere laboris
Signaq; uenturæ cladis, nam cærula ſubtus
Tollere ſe maria, & fundo efferueſcere ab imo,
Tum pluuiam, & toto tenebras inducere cælo
Nubila, & undanti nox incubat atra profundo,
Iam grauibus turbata agitantibus æquora uentis
Dardaniæ fines & Troia littora linquens
Latiuaga Iſmaridos peruenit ad ora lacunæ
Altaq; Threicij Pangæi ad culmina montis,
Phyllidis hic tumulum deſerto in littore uidit,
Et per quod nouies ſpacium miſeranda profecta eſt,
Plorans ingratos, id enim credebat, amores

Demo=

Demophoonta dolens menſes tot abeſſe maritum
Expectansq; ſuis quando ille rediret Athenis,
Protinus Aemoniæ radens confinia terræ,
Littoreas urbes conſpexit Acheidos oræ,
Phthianq; altricem iuuenum, pulchrasq; Mycenas,
Hinc ſub amœna uiam loca conficiens Erymanthi,
Formoſis Spartæ præſtantia tecta puellis
Præcipue Atridis adamatam regibus urbem,
Vidit adhærentem, ſub mœnia lata fluentis
Fluctibus Eurotæ, nec ab illo diſita longe
Denſa loco ſylua umbroſo ſub colle uirebat,
Tunc adamata uidens uicinæ rura Therapnes
Admirabatur, nec erat uia longior illinc
Nauibus, & remis taciti tranquilla per alta
Incubuere uiri, tum laxauere rudentes:
Et feſſam ſterili religarunt littore nauim
Ipſe lauans niueo formoſum corpus in amni,
Velox inde abijt, figens ſuſpenſa uiciſſim,
Ne uaga turbaret tenuis ueſtigia puluis,
Pellueretue pedes teneros, ne forte comantes
Pileolo properans inuolueret aura capillos.
Iamq; domos, quibus hoſpitij pia iura profeſſis
Suſcipiendus erat, ſpectans uicinaq; templa
Mœnibus, & miratur opes, dimenſus & urbis
Splendorem eximiæ eſt, hic in ſacra limina templi
Ingreſſus uidet indigenæ ſimulachra Mineruæ.

Aurea ſtabat & hic miſeri clades Hyacinthi,
Quem puerum colludentem tibi maxime Apollo
Miratus populus taciturnis ortus Amiclis
Suſpicione trahebatur, fortaßis & illum
Latonam peperiſſe Ioui, ſed fugit Apollo
Te quoq; dilectum Zephyro ſeruare puellum.
At lachrymas fundenti ipſi multumq; gementi
Gratificata Deo tellus produxit amati
Clara nouum iuuenis referentem nomina florem,
Illuſtri florem monumenta perhennia Phœbo.
Et iam clara domus prope conſtitit atria regis
Atridæ, & lætos uultu ſpirabat honores,
Diuarum Charitum, non talem candida natum
Nec tam formoſum Semele eſt enixa tonanti,
Pace tua Dionyſe loquar, quanquam genus ipſo
Ab Ioue deducis, forma pulcherrimus ibat,
Labe carens nitidi ſplendore & imagine uultus.
Hoſpita mox Helene thalamorũ clauſtra relaxãs
Atria prima domus acceßit, & ante politas
Proſpiciens incauta fores, ut uidit & ipſum
Senſit, in aulai mediæ conclauia duxit:
Ipſum præcipue iuſſum conſidere in alta
Atq; ex argento fabrefacta ſede locauit,
Quem ſpectans ſaciare oculos mentemq; uidendo
Non potuit, quin auricomum nunc credit Amorem

Filiolum

Filiolum Veneris ſe cernere,regna tenentem
Lectorum,non eſſe tamen cognouit amorem,
Nec ſpectans arcum,nec habentem tæla pharetram
Nunc pulchris oculis & forma diuite cultum
Bacchum ſe uidiſſe rata eſt,cum pectore tandem
Attonito ſtupefacta foret ſic inde loquuta eſt.
Vnde es?& unde uenis hoſpes?ediſſere nobis
Vnde genus ducis,quod amabile in indole tanta eſt,
Quæ tibi terra parens?nam te forma inclyta magnis
Regibus aßimilem,magnorum à ſtirpe parentum,
Arguit eſſe ſatum,ſed nec genus inter Achiuos,
Nouimus eſſe tuum,nec te Neleia magni
Neſtoris arua Pylos certe produxit,& ipſum
Cognoui Antilochum.Sed nec præſtantia Phthiæ
Regna tenes,totam cognouimus Aeacidarum
Progeniem,magni eſt uirtus mihi cognita Pelei.
Nec domui ignota eſt Telamonis gloria noſtræ.
Patrocli mores uideor nouiſſe probatos,
Ipſius & uires & in armis robur Achillis:
Ante hac te nunquam uidi,aut uidiſſe recordor
Talia cum magno flagraret amore loquuta eſt
Ille autem blando uocem de pectore ſoluens
Si qua tuas,inquit,fando peruenit ad aures,
Vrbs uetus in Phrygijs ſita finibus,Ilion altum
Cuius humum quatiens Neptunus,& altus Apollo

Mœnia condiderint, ſi quem de ſtirpe creatum
Supremi Iouis audiſti, cui plurima regi
Proſpera ſuccedant, cui poßis dicere dotes
Infudiſſe ſuas fortunam diuite cornu,
Hic ego regna tenens, noſtra de ſtirpe creatis
Omnibus anteferor, Priami prædiuitis auro
Filius, ab Ioue Dardanides, nam Dardanus ipſo
Ex Ioue natus erat, ſuperi quoq; ſæpe relictis
Sedibus æthereis, noſtro ſubiere benigni
Hoſpitio, atq; ipſis ſeruas mortalibus ultro
Exhibuere manus, ipſi omni morte carentes,
Sicut & hi patriæ poſuerunt mœnia noſtræ,
Mœnia perpetuis non interitura diebus,
Pontigradus Neptunus, & arcu inſignis Apollo.
Verum ego, ut hoc etiam noris regina, Dearum
Sum iudex, etenim certantes ipſe diremi
Arbitrio, ſtatuens Veneri uictrici a formæ
Præmia, & ipſa noua data munera dote rependens,
Pollicita eſt thalamo ſponſam ſe tradere noſtro
Eximiam, nec qua præſtantior ulla fuiſſet,
Quam dicunt Helenen, & Cypridos eſſe ſororem,
Hanc ego ſuſtinui propter tot fracta procellis
Aequora, & inſanis penetro uada concita uentis
Quare age iungamus thalamos & miſta uicißim
Gaudia, ſic poſtquàm Veneri placet, iſtaq; furta
Nos facere ipſa iubet, nec me contemne, nec iſto

Dedeco-

Dedecore afficias, Veneris ne noſtra uolentis
Facta redargueris, non dixero, nempe ſcientem
Omnia te cur ipſe uelim docuiſſe uideri?
Scis etenim quia ſit gentis Menelaus auitæ
De genere obſcuro. Iouis ipſa è ſemine, quales
Non aliæ naſcuntur in hac regione puellæ
Corpora enim membris non magna exilibus auctæ
Accipiunt ſpuriæ ſpeciem uultusq́; uirorum.
Dixit, at illa ſolo pulcherrima lumina figens
Nulla diu reſponſa dabat, ſed uerba recuſans
Conticuit, donec tandem de pectore tales
Effudit ſtupido uoces, Non mentiar hoſpes
Sæpe tui cupij patriæ monumenta uidere
Structa deûm manibus murosq́; & mœnia, quorum
Authores fuerint Neptunus & altus Apollo
Cultaq́; ſoliuago longe reſonantia Phœbo
Paſcua, qua circum manibus conſtructa deorum
Limina portarum, qua promontoria circum
Ipſe ſua arcitenens armenta ſequutus Apollo eſt
Curuigradasq́; boues, ſed tu nunc mœnia Spartæ
Effuge, meq́; tuis Troianam perfer ad urbem
Nauibus, ipſa ſequar, quoniam ſic mater amorum
Ipſa iubet Cytherea Venus thalamosq́; iugales
Conſociat, nec enim metuam ſi forte requirat
Abductam Menelaus & in Troiana receptam
Mœnia cognoſcat, tali ſe fœdere pulchro

Coniunxit Paridi crines formoſa Lacena
Et iam nox grauium requies & meta laborum
Poſt actæ decurſa retro ſpacia ultima lucis
Conſopita leui releuârat pectora ſomno
Cum pudibunda ſuos ortus Aurora morata eſt
Et geminas ſomni portas reſerabat, ab harum
Hac, quæ ueridica eſt, penetrans, noua lumina terris
Infundit, uera exiliunt oracula Diuum
Illam uana tenent genitiuam Somnia ſedem.
At Paris hoſpitij uiolato iure Lacenam
Pontigradas Helenen in naues pertulit, alto
Seſe animo tollens immenſaq; gaudia ſpirans
Quòd Veneris promiſſa, nec irrita dona fuiſſent.
Ergo iter in Troiam populandam clade futura
Feſtinabat agens prædam pondusq; petitum
Cum ſub prima nouæ ſurgens confinia lucis
Hermione, lachrymis per mollia euntibus ora
Ornamenta leues capitis proiecit in auras
Et famulas extra thalamos triſtiſsima, mœſta
Voce uocãs, ſic alloquitur, Quò chara profecta eſt?
O famulæ quo nunc dulciſsima mater abiuit?
Quæ mecum ueniebat heri cubitumq; profecta eſt?
Sic ait, & lachrymis manantibus ora rigauit
Nec minus hac famulæ lachrymas fudere puellæ
Mox eciam ſub ueſtibulum uenere frequentes
Tentantes ſi forte queant cohibere dolentem

Hermionen, age ſiſte graues chariſſima luctus
Filia, nunc ſiquidem genitrix reditura profecta eſt
Poſt paulo, ſi forte tuos cognorit ocellos
Fœdari lachrymis, Sed tu nunc ſiſte dolorem
Corrumpuntur enim pulcherrima mala genarum
Formoſæq; color faciei plurima flentis
Aut Nympharum abijt mater uiſura choreas
Errauitq; uia læuamq; ingreſſa uagatur.
Frugifero in campo, & prati uiridantis in herba
Aut tenerum patrio lotura in flumine corpus
Iuit ad Eurotam, & ripa retinente moratur
Tum lachrymis perfuſa genas mœſtiſſima uirgo
Iamdudum cognouit, ait, iuga, culmina, montes,
Experta eſt fluuios, nouit uada cærula mater
Nulla uia ignota eſt illi quæ ducat in ipſa
Multiplici florum concepta roſaria cultu
Aut in prata nouo ſemper uernantia fœtu.
Quid me colloquio, quid me ſermonibus iſtis
Captatis matres? nocturnos ſydera ſomnos
Feſſa petunt, ipſa in ſcopulis requieſcit, ad ortus
Sydera cuncta ſuos redeunt, nec dum ipſa reuerſa eſt
Non redit ipſa tamen. Quæ nunc chariſſima mater
Quæ loca nunc habitas? quos incolis auia montes?
Errantem te forte feræ occidere? ſed ipſæ
Pertimuere feræ germen Iouis altitonantis.
Per iuga num uadens cecidiſti è rupibus altis

In ſubiecta plagæ decliuia, corpus & ipſum
Ipſa reliquiſti in pecoroſi indagine ſaltus?
Ipſa quidem denſæ colluſtrans deuia ſyluæ
Roboraq; & ramos, nusquam tua corpora uidi.
Sed neq; iam ſyluæ mihi ſuccenſere neceſſe eſt
Fertilis Eurotæ num te tranquilla natantem
Per uada merſerunt ſacra flumina, ſed tamen ipſis
Naiades in fluuijs uiuunt habitantq; ſub alto
Gurgite, nec miſeras unquam occidere puellas
Talia crebra inter ſuſpiria uirgo loquuta eſt
Poſtquam autem ſomnus mortis comes anxia feſſæ
Colla reclinabat communia namq; uidemus
Eſſe opera inter ſe fratrum, communibus ambo
Officijs, natu minor hic maioris agit res
Rebus perſimiles ipſis, hinc ergo dolentes
Afflictæq; malis cum plorauere puellæ
Dormiſcunt grauibusq; ſopor ſubrepit ocellis,
Tunc igitur uidit quæ ſomnia uera putari
Expertis etiam poßint non falſa uideri
Namq; ſuam poſtquam ſibi matrem adſtare putabat,
Triſtis & obſtupefacta domum clamore replere
Et ſibi uerba ſono tenui uiſa iſta profari eſt:
Mater heri fugiens conſueta cubilia patris
In quibus ipſa etiam tecum tunc forte iacebam
Me quoq; liquiſti ſomno fallente grauatam
Quos ego præterij montes? quos deniq; colles?

Quæ iuga prætermiſi? & quæ non auia uidi
Te quærens genitrix, qua non formoſior ulla eſt
Poſt genitam Venere Harmonien? ea uerba loquutã
Tyndaris alloquitur, ne plus cariſsima luctus
Adijcias tibi, ne tales mea filia queſtus
Exerce, quámquam ſatis indigniſsima paſſa es
Me ſiquidem fallaci animo uir, & arte maligna
Aggreſſus rapuit. ſic dixit, at illa fugato
Protinus è ſomno exiliens, ubi corpore matrem
Senſit abeſſe ſuam, multo maiore per omnem
Infremuit clamore domum, nunc ite citatæ
Aërium uolucres genus, in Minoia Cretæ
Regna reuertentes Menelao dicite patri
Dicite heri Spartam uenit uir iniquus & aſtu
Perditus, euerſámq; domum populatus & urbem
Supremum regni ferus abſtulit ornamentum
Sic tunc illa madens lachrymis, & in aera fruſtra
Vociferans, matrem errabat miſeranda requirens
Interea Ciconum per & oppida clara, per Hellés
Aeolidos pontum ſponſam tranſuexit adulter
Troadis in portum, capitis tunc omnia uellens
Ornamenta ſui nunquam Caſſandra futuri
Neſcia, prædixit cladem regionis & urbis,
At Troia ipſa ſui nimium ſecura, futuri
Autorem luctus ciuem gauiſa recepit.

FINIS

HOMERICAE

ALIQVOT ICONES INSIGNIORES
LATINIS VERSIBVS RED-
ditæ, per Helium Eobanum Heſſum,
Quarum Catalogum alte-
ra pagella in-
dicat.

LECTORI.

Monſtret ut artificem pictæ noua forma tabellæ
Sæpe frequentandas ponitur ante fores
Vt breuis ingentem tabula hæc tibi monſtret Homerũ
Illius hæc dedimus ficta parerga manu
Quæ ſi forte probas, & ab his maiora requiris
Iam tibi maius opus magnus Homerus *erit.*

Clipeus Achillis
Martis & Veneris adulterium
Equus Troianus
Horti Alcinoi
Therſites
Vlyſſes & Menelaus
Sirenes
Ate
Litæ
Equi Achillis
Cithara Achillis
Haſta Achillis
Thamyris
Ceſtus Veneris
Moly
Nepenthes

HVMANISSIMO AC INTEGERRIMO VIRO DOMINO THOMAE LAPO Florentino &c. amico Singulari ſuo H. Eobanus Heſſus.

NOn ſum tam ſtupido prorſus ingenio, optime mi Thoma, ut non intelligã uiciſsim non uulgarem gratiam debere me tibi, pro collatis nuper in me, non tam magnis quam gratis & oportunis beneficijs, fuit enim plane, tua illa in me liberalis animi ſignificatio δόσις δ᾽ ὀλίγη τε φίλη τε. Et deuinxeras id temporis animum meum tibi, non tam bene merendo de me (quid enim non dicam libere quod ſentio) quàm ſingulari quadã ingenij dexteritate, qua ſic mihi inter noſtros homines excellere uidebaris, ut mirarer te in florentiſsima Italiæ ciuitate, nempe Florentia, natum & educatum ſic cum Germanis noſtris fuiſſe conuerſatum, ut non mòdo patria tua, hoc eſt, Ethruſca, & Latina, uerum eciam Germanica linguis expeditiſsime loquereris. Tum illud unice me delectabat ingenij tui ſpecimen, quòd

quod cum in doctiſsimi atq; humaniſsimi uiri Ioannis Carionis, non mathematicarum modo, uerum etiam in alijs generibus literarum principis, diu antea exoptatam amicitiam me inſinuaueris, tũ Illuſtriſs. Marchionem Ioachimum Ioachimi F. optimæ ſpei principem, munuſculo eſſes proſequuturus, nec dante nec accipiente indigno me eius muneris uelut κατακοσμήτορα adhibuiſti. Quæ ipſa res quanquam exigua, facile tamen teſtimonio fuerit quanti me facias, qui munus tuum meis uerſibus exornare, & quaſi cõmendabilius, ſi dijs placet, reddere uolueris. Hæ me res, optime mi Thoma, eo induxerunt, ut cum tu me donaueris bellarijs haud quaquam contemnendis, ego libellum hunc imaginibus Homericis depictum, à me que tantum non tumultuaria opera uerſum, tibi ac nominis tui memoriæ æternæ inſcriberem, et ſub hoc noui anni Chriſtiano more initium, non ſecus ac apophoreta quæpiam, cum iam antea xenia tu miſiſſes, ad te remitterem. Quæ ſi parua tibi (ut iocer interim meo more tecũ) uidebuntur munera: illud cogitabis quod poetarum principem dixiſſe legimus, difficilius eſſe Homero uerſum quàm Herculi clauam extorquere. Atqui ego, quæ mea eſt, uel audacia uel inſolẽtia, nõ uerſus tantum illi, ſed & arma, clypeos, haſtas, cithаras, equos, puellas, hortos, reges, flores, amores, deos deniq; deasq; præripio, præreptaq; iſthæc omnia

ad te,ut uides,mitto. Nihil uero hic præfari attinet, nuſquàm me in harum imaginum uerſione,ab Homerico ſenſu deflexiſſe,præterquàm in deſcriptione Ceſti, Molyos,ac Nepentheos,in quibus, tanquam materia ingenio conueniente meo, animi cauſſa nonnihil euagatus extra præſcriptum ſum, ſicut & in connectendis his,quæ cum eſſent unius generis ſparſim tamen ac diſiuncta habebantur,ut in equis Achillis, itemq; in abrumpendis à præcedentium cohærentia principijs fere omnibus. Hoc meum officium ſpero eo tibi fore gratius,quo & tu es harum rerũ obſeruantior,et magis gaudebis hoc ceu teſtimonio uirtutis tuæ aliquando ciuibus ac gentibus tuis oſtentare, quanti te non modo Germani homines alij,ſed & poetæ fecerint. Supereſt ut hunc libellum tibi nominatim inſcriptum dedicatumq;,in euentum fœlicis ominis ità accipias,ut fortiter ſperare audeas omnia proſperà tibi hoc anno euentura,cuius initio non munere tantum temporaneo,ſed fama etiam nominis,ſi quid habent ueri uatum præſagia,ſis donatus immortali. Bene uale Noriberge Anno Chriſti M. D XXXIII. Meo Natali,hoc eſt VIII Iduum Ianuarij.

CLX

CLYPEVS A
CHILLIS EX XVIII.
Iliados.

ARMA *reſumpturo noua confecturus* Achilli
Fluctiuagā linquēs Th*etidē et ſua regna reuiſens*
Mulciber ignipotens, opera ad fabrilia uenit;
Admotosq; igni iuſsit diducere folles.

Viginti magnis ueniebant follibus auræ
Conflantes ignem, quarum nunc ſpiritus arcti
Faucibus intenſas, nunc aura remiſsior ibat,
Non ſecus ac uoluit deus, & res ipſa ferebat.
Corripiens tum flammiuomum coniecit in ignem
Aes graue, & inuictum chalibem flauentiaq; auri
Pondera, & argenti maſſas, incude ſubinde
Ingenti impoſita, tum dextram malleus armat
Improbus, atq; igni forceps aſſueta, ſiniſtram.
Primum hic ingentem clypeum fornace ſub alta
Informat, triplici quem circum intexuit ora
Intima nexilibus fulgentem argentea loris

Ipſum quintuplicis clypei latus omne, magiſtra
Excultum fictumq; manu. Nam finxerat iſthuc
Terrasq; tractusq; maris cœlumq; profundum
Et uaga non unquam defeſſi lumina ſolis,
Et plenæ penitus coeuntia cornua Lunæ
Cunctaq; ſtelliferum pingentia ſydera cœlum
Pleiadasq; Hyadasq; & robuſtum Oriona
Parrhaſiumq; pecus dictum cognomine plauſtrum
Arcton Hyperboreum quæ circumuertitur axem
Ipſumq; obſeruans magnum Oriona tuetur,
Oceani ipſa expers, illotaq; ſemper ab undis
Aequoris. Hic geminas inſculpſit Mulciber urbes
Diuerſis hominum linguis, quarum altera plena
Pomparum reſonat plauſu, genialia flammis
Atria collucent, Hymeneia feſta parantûm,
Ducentumq; nouas ad ſplendida mœnia nuptas
E thalamo tedis præſentibus, arcta canoros
Tibia dat ſonitus, ſalit omnis ad incita pubes
Carmina & audaces cœtu feruente choreas
Deducunt, iuuat è patulis ſpectare feneſtris,
Veſtibulis domuum pulchras adſtare puellas:
Parte alia fora tota frequens concurſibus implet
Inſanis populus, ſeſe ciuilibus inter
Legibus infeſti, & diſcordi lite coorti
Præcipue duo iudicio contendere magna
Lite uidebantur, quorum accuſator agebat,

Eſſe reum

Eſſe reum quendam dilatæ crimine multæ,
Quæ ſoluenda foret populo; pro cæde patrata
Interfecti hominis, docet hic ſoluiſſe quod eſſet
Soluendum populo, negat ille, & dicere prorſus
Nil ſeſe accepiſſe, ambo producere teſtes
Inquiriq; ſuper uero, tum deniq; circum
Funditur auxiliumq; ferunt clamoribus omnis
Ambobus populus, quod quisq; ibi cuiq; fauebat.
Præcones turbam arcebant, motusq; premebant,
Donec marmoribus mox conſedere politis
In ſacro poſitis cœtu, ſpectanda ferentes
Sceptra ſenes manibus præconum uoce ualentum
Qui ſimul indixêre tenenda ſilentia turbæ
Iura ſimul dixere, auri duo magna talenta
Im medio poſita exponunt, quæ præmia ferret
Cuius dicta foret melior ſententia cauſſæ.
Altera cælato quæ mœnia doctus in auro
Fecerat ignipotens, arcta obſidione premebant
Binæ utrinq; acies, populorum caſtra duorum
Armis conſpicua, armorum fulgentia cultu,
His ingens certamen erat, pars altera ferro
Excindendam urbem, totaq; à ſtirpe ruendam:
Altera cenſebat, deductis obſidionem
Soluere militibus, ciues multare bonorum
Dimidia parte, at non his qui clauſa tenebant
Mœnia, conditio placuit. Sed talia ciues

Edocti, inſidias hoſti fraudemq́; parabant,
Muros inualidiq́; ſenes trepidæq́; puellæ
Et pueri tenuere, & dulcia pectora matrum.
Illi ibant ducibus Gradiuo & Pallade glauca,
Cultus utriq́; deo fuit aureus, aurea ueſtis
Quales eſſe deos decet arma humana ferentes,
Pone ſequebantur, formaq́; & corpore toto
Turba minor, tacita qui poſtquam ad fraude paratū
Inſidijs uenere locum, qua plurimus amnis
Labitur, & fluuio ſitientes irrigat herbas,
Huc ſe prouecti deſerto in margine condunt,
Armis contecti fulgentibus ære coruſco.
At duo præmiſſi quibus explorare poteſtas
Conatus fuit hoſtiles data, cumq́; tuliſſent
Hoſtis adeſſe gregem pecudumq́; boumq́; recuruis
Cruribus urgentum ueſtigia, iamq́; ſub ipſos
Prodierant oculos tacita loca fraude tenentum
Proxima, paſtores duo qui concentibus auras
Mulcebant uarijs, quos fiſtula ſtridula fudit,
Pone ſequebantur, neq́; quiſquam ex agmine tales
Hoſtili inſidias præuiderat, ocyus omnes
Conſurgunt, ferroq́; petunt, ferroq́; trucidant
Omnia candentumq́; ouium ualidumq́; iuuencorum
Ipſos paſtores etiam, cum deniq́; clamor
Ferro occumbentum, & ſæuo ſub Marte cadentûm
Mœnia uallantis ſummiſq́; in rebus agentis

Concilia, attonitas populi ueniſſet ad aures:
Arma & equos propere arripiunt, & dira minatis
Hoſtibus occurrunt, & mutua uulnera miſcent,
Martem alternantes ad ripam fluminis alti,
Exoritur facies diræ atrociſsima pugnæ,
Pugnantes inter contentio dira tumultusq;
Et factum crudele ultro citroq; uolabant.
Aſpiceres alios multo cum ſanguine miſtam
Vitam exhalantes, alios in uulnera pronos
Deficere, & uitam uix ducere, uulneris illum
Expertem, hunc cæſum pedibus per tota reuinctis
Caſtra rapi, iamq; arma uirûm, iam corpora multa
Cæde cruentari, fluere atro ſanguine ueſtes
Non ſecus ac uiuis certarent agmine utroq;
Militibus, paſsim tanquam exanimata trahebant
Corpora, quos picto iuraſſes uiuere in ære
Pingui præterea ter aratæ iugera terræ
Sculpſerat ignipotens clypei cœleſtis in auro.
Hic multi agricolæ bobus ſub aratra coactis
Terram inuertebant, qui cum certamine multo
Vltima ueniſſent ad arati limina campi,
Præſto erat hic feſsis qui dulcia uina propinans
Funderet, illi ad agri ſtudia intermiſſa reuerſi,
Vomeris obtuſi dentem impreſſere nouali,
Altius hic ad aratra retro, mirabile uiſu,

Terra uidebatur ductis nigreſcere ſulcis,
Auriferæ ſimilis, flauentibus aurea campis,
Sicut arabatur, ſed & aurea meſsis, & illam
Meſſores cupidi peracuta falce ſecabant,
Iamq; graues denſo ſternebant ordine culmos,
Alter & alterius cumulabat aceruus aceruum,
Multa uidebantur manibus delapſa metentûm
Farra iacere ſolo, tum ſternebantur ariſtæ,
Poſt alias aliæ, collectos inde maniplos
Tres ſimul agricolæ conſueto more ligabant
Pone ſequebantur pueri qui ſparſa tenaci
Farra manu legerent, qui mox collecta ferebant
Aurea ſpiciferis ſtringentibus hordea culmis,
Sceptra tenens manibus ſtabat Rex intus in agro.
Inde procul uiridi ſub quercu ſacra parabant
Fercula præcones cæſo boue, ſedula matrum
Turba ſuis cœnam meſſoribus inſtruit, albo
Farre cibos miſcens inſperſerat: Addidit idem
Parte alia deus in clypeo, cum uitibus uuas.
Vinea botriferos oſtenderat aurea ramos,
Palmitis argento candentes brachia pali,
Fulcierant, circum ueniebat foſſa coloris
Cærulei, quam totam ambibat ſtannea ſepes.
Vnica ducebat per opertum uitibus hortum
Semita, qua lectas deferret uinitor uuas,
Tum pueri & teneræ forma atq; ætate puellæ,

In cala-

In calathis crudi prædulcia munera Bacchi
Ferre uidebantur, medio citharœdus in horto
Ruſtica perſonuit uocali carmina plectro
Et tenui uoce accinuit, cui læta iuuentus
Arguto commota ſono, pede plurima terram
Pulſat, & ingenti faciles clamore choreas
Ducere uiſa ſimul. Species fuit hactenus horti
Quæ ſuper ille faber diuino inſculpſerat æri
Armentale boum cœlo capita alta ferentum
Agmen inaurato quorum pars corpore toto
Aerea pars fuerat, rumpentes aëra magno
Mugitu è ſtabulis properant in paſcua uaſto
Impete, ad obſtreperum fluuium, longeq; ſonantem
Et multa tremulum uiridantis arundine ripæ.
Protinus hinc puro cælati quatt uor auro
Paſtores armenta boum ſpecioſa ſequuntur
Quos comitabantur ter tres robuſta moloſſi
Corpora perniceſq; pedum leuitate. Sed inter
Agmina ruperunt duo robore prima Leones
Terribiles, quamuis mugitu grande ſonantem
Eximium rapuere bouem, raptumq; trahebant
Mox arrepta graui laniantes uiſcera morſu
Carniuoros atro macularunt ſanguine rictus
Paſtores propere accurrunt certantq; tueri
Immittuntq; canes, illi cum rapta Leones
Tergora glutirent propere aſſiluere; ſed ipſos

Nequaquam rapidis adoriri morſibus auſi
Aetherias uanis complent latratibus auras.
Hinc operi faber adiecit pede claudus utroq;
Planicies peramœna fuit, ſpectanda per amplam
Paſcua conuallem, ſtabula intus plurima, & albis
Plenæ ouibus caulæ, tum tecta paluſtribus uluis
Culmina uillarum, ſpectandum deniq; multa
Arte chorum, & uario diſtinxerat ordine, qualem
Conſtruxiſſe ferunt Creteis Dædalon oris
Formoſæ auxilium Minoidos ignibus olim.
Illic & nitidi iuuenes pulchræq; puellæ
Stabant alternata manu ceu uincla tenentes,
At iuuenes toga uelabat condenſa nitenti
Interfuſa oleo, patrio de more puellis
Lanea ueſtis erat, pulchras hæ ferre coronas,
Hi gladios auro grauidos, argentea lori
Tortilis ex humero pendere uolumina ſummo.
Atq; illi in numerum pedibus ſaltare ſuetis
Saltantes duxere choros, faciliq; rotatu
Nunc hac nunc illac uertuntur, non ſecus ac ſi
Si quis adaptatam manibus prius experiatur
Currere poſſe rotam figulus, mox ordine uerſo
Mutua ſaltantes ſpatia in ſua quiſq; redibant.
Plurima circumſtans delectabatur amicûm
Turba chorum ſpectans, gemini quibus alludentes
Multa aſſultabant pueri dulcedine cantus.

Atq;

Atq; hinc in medium perfecta laude redibant.
Pinxit & Oceani magnam reuolubilis undam
Circum oras clypei extremas multaq; fideliq;
Arte laborati, quem poſtquam robore ab omni
Inuictum ualidumq; manu magnumq; peregit
Tum uero ignitas ſuperantem lumine flāmas
Aggreſſus thoraca dedit, dein fortibus aptam
Temporibus galeam, cuius ſummum aurea conum
Criſta tegit; tum pulchro ocreas ex ære nitentes.
Omnia quæ poſtquam perfecerat arma Deorum
Ille faber, tulit illa Deæ, poſuitq; nitentes
Ante pedes Thetidis, quibus illa animata receptis
Deuolat è ſummo nebuloſi culmine Olympi
Accipitri ſimilis, Vulcania munera portans.

MARTIS ET
VENERIS ADVLTERIVM EX VIII. Odyſſ.

Hoſpes ad Alcinoum cum perueniſſet Vlyſſes
Auxilio faciente modū, & iam Regis in aula
Splendida magnifico traherent conuiuia luxu,
Demodocus citharœdus erat, cui præco decoram
Cum ueniens citharam cœtu feruente tuliſſet
Ille agili reſonas percurrens pollice chordas
Iucundum cecinit ueſani carmen amoris

Martis & Idaliæ Veneris, quos praua uoluntas
Turpe in adulterium coniecit in ædibus altis
Vulcani, quæ prima habuere cubilia furti
Quæ dona ille Deæ dederit quàm plurima, ut ultro
Pollueret uetiti conceſſa cubilia lecti
Complexumq; uiri ſenis, ut ſol nuncius illi
Omnia prodiderit, cupidos qui norat amantes
Mutua ſollicita miſcentes gaudia nexu.
Qui ſimul audiuit duræ mala nuncia famæ
Anxius & rem grandem animo molitus acerbo
Verſus & aſſuetas artes fabrilia rurſus
Atria fornacesq; ſuas petit, atq; ibi magna
Incude impoſita, uincla indignantia ſolui
Atq; inuicta manu rapidum conflauit ad ignem
Fraudibus inſtructus iratus, & omnia Marti
Dira minans redit in thalamos ubi furta cubili
Turpia patrârunt tacito, totiq; doloſum
Circumfudit opus lecto, & commiſit ab altis
Suſpenſum trabibus, tam docta fraude paratum
Tam filo tenui, quàm ſint uel ſtamina telæ
Quam leuis in uacuo ſuſpendit aranea tecto
Vincula nemo hominum potuit quæ nemo Deorum
Cernere, ſic oculos omnes dolus ille fefellit
Quæ poſtquam tacita circumdedit arte cubili
In Lemnon ſimulans abitum proficiſcitur altam
Quam deus ille colit terris magis omnibus unam

Sed neq; Mars auratus eques de fraudibus ulla
Suſpicione fuit,qui cum procul inde profectum
Crederet,incepta ratus omnia tuta furori
Limina Vulcani ueniebat ad inclyta,magno
Captus amore Deæ,quæ tum paulo ante reuerſa
Ab Ioue patre domum,tranquilla mente ſedebat
Quæ Mars accipiens,ut erant,ſubit ocyus altæ
Limina grata domus,dextram cum uoce prehendit
Nomine compellans,animo gratiſsima noſtro
Huc age chara Venus, lectum inſcendamus in unum
Nam tuus ille opifex in Lemnon,uoce ſonantes
Sintyas agreſti nunquam rediturus abiuit
Sic ait,& placidi ſubit alta cubilia lecti
Atq; ibi cum feſsi conſopitiq; iacerent
Extemplo uinclis,quæ circumfuſa reliquit
Vulcanus ſapiens,capti iacuere,nec ullo
Membra mouere modo poterant,nec dura ligata
Soluere uincla manu,tunc,quas uitare nequibant
Inſidiæ patuere,& de propriore reuerſus
Ipſe loco Vulcanus adeſt,nec ad ardua Lemni
Saxa profectus erat.Nam Sol ea nuncius ipſi
Omnia prodiderat,tum pectoris æger,& iras
Ingentes animo uoluens,ad limina tecti
Nota redit ſtanſq; ante fores,primoq; reſiſtens,
Nam dolor & facinus faciebat & ira ferocem,
Veſtibulo,uoce horrenda inclamauit,ut omnes

Dij ſimul audirent, Diuum pater, inquit, & omnes
Vos alij ſuperum uiſuri accurrite iniquum
Ridiculumq; nefas, ut me ſine crimine, claudum
Deſpiciat Ioue nata Venus, Martemq; proteruum
Diligat haud alia de cauſſa, quàm quia firmos
Ille pedes habeat, ego ſim pede claudus utroque,
Cuius non alia eſt cladis mihi cauſſa, nec autor
Quàm pater & mater, qui utinam me non genuiſſent
Nunc precium tamen eſt operæ uidiſſe iacentes
Et uinctos in amore duos, & qualibus ambo
Polluerint noſtrum thalamum complexibus uſi.
Ipſe nefas ſpectans animo ſum triſtis & æger
Non tamen iſta diu peragent ludibria noſtri
Spes bona facta mihi eſt, nec enim tam turpiter iſtic
Nunc iacuiſſe uolent. Sed enim mea uincula cogent
Quando nec his unquam cura ipſos ulla leuare eſt
Donec cuncta mihi genitor dotalia reddat
Quæ me promiſiſſe pudetq; & pœnitet ipſi
Pro tali tanq; abiecta probitate puella
Quæ tamen ut formoſa, ita non ſatis ipſa pudica eſt.
Sic ait, At Diui mox ferrea tecta ſubibant
Mulciberis, uenit Neptunus cuſpide terram
Concutiens, uenit rerum omnibus uſibus aptus
Mercurius, uenit procul arcens noxia Apollo.
At Diuæ manſere domi, quas uita pudicas
Extulerat melior, poſtquam inter limina Diui

Per

Per quos cuncta homini ueniunt bona, prima patentis
Veſtibuli ſteterant, ingens eſt riſus obortus
Vulcani inſidias ſpectantibus, atq; ibi Diuum
Sic aliquis, nunquam fraus improba præualet, inquit,
Nonne uides, tardus celerem comprendit, & ipſum
Vulcanus Martem, claudus pede, præpete fultum
Cum quo nemo Deum poßit contendere curſu
Artibus hunc pulchris cepit pede claudus, Is ergo
Debet adulterij captus pro crimine pœnam
Talia ſeſe inter iactabant uerba uicißim
Tunc ſic Mercurium alloquitur Ioue natus Apollo
Dic age Cylleni, num ſi quis in iſta coactum
Vincula te Deus inijciat, num talia uelles
Sponte pati, & Veneris blandis amplexibus uti?
Ad quem reſpondens, utinam, inquit Atlantide natus
Sic mihi contingat, ter uincula talia uellem
Qualia nunc Martem cohibent, perferre, nec ullos
Omnes ut uideant, diuosue deasue uereri
Quo minus optato fruerer ſic uinctus amore
Auricomæ Veneris, dicentem talia Diui
Præter Neptunum cuncti riſere, quòd ille
Sollicitus de Marte foret, quem uellet ab iſtis
Continuo uinclis infamibus eſſe ſolutum.
Ergo his aggreditur mulcentem robora ferri
Solue ait, O Vulcane, & detrahe uincula capto,
Munera quæ tibi cunq; dari pro talibus optas

Officijs, age ſume fidem, dabit omnia Mauors.
Mulciber huic contra, Ne magne tridentifer, Iſthæc
Quæſo iubere uelis, timidorum pacta feruntur
Sæpe carere fide, nam qua ratione repoſcam
Te ſuper his charum Dis immortalibus ipſum
Si ſe proripiat, ſi uinclis liber ab iſtis
Hinc abeat Mauors, nec debita munera ſoluat:
Cui rurſum Neptunus, at hoc ego dedecus, inquit
Si tibi contigerit, ſi Mars euadere iniqua
Forte fuga uolet, ipſe tibi, tibi debita, ſoluam.
Claudus ad hæc, neq; fas fuerit tibi deinde negare
Quæ tu tantopere contendis & expetis ultro
Sic ait, & uinclis, & duro carcere Martem
Exuit, atq; illi diuerſi abiere petentes
Ille ſuam Thracen, Cyprum Venus iuit opimam
Culmina celſa Paphi repetens, ubi thure Sabæo
Ara illi calet, & templis in uota uocatur.
Hic illam pulchræ Charites lauere recœptam
Immortali oleo ungentes, qui dignus habetur
Dis honor, inde Deam diuinis ueſtibus ornant.
Inclytus hæc cithara uates reſonante canebat.

EQVVS

TROIANVS EX EODEM
Libro.

Hoſpes

Hoſpes apud Regem poſtquā conſedit Vlyſſes
Alcinoum, tum qui ſtabant ad iuſſa miniſtri
Diſtribuunt epulas & uina liquētia fundunt
Regius hic properans præco produxit, ab omni
Demodocum populo cultum, & uehementer amatum
Et cantu celebrem, quem pulchra in ſede locauit,
Conuiuas inter medium, qua marmore fulgens
Magna columna ſtetit, quem mox ut uidit Vlyſſes
Tergora primus apri concidens, parte reſecta,
Haud quaquam exigua, cui multum abdominis eſſet
Pingue ſuper, tum præconi, cape & iſta fer, inquit
Demodoco, quanq̄ ipſe etenim ſim extorris & exul,
Hunc tamen in primis amplector, & eſſe colendum
Iudico: Nam debent mortales inter haberi
Præcipuo uates in honore, ac deniq; Muſas
Quisquis amat placido demulcens carmine mentes
Humanas, quia Muſa docet canere ipſa poetas,
Muſa poetarum genus inclyta ſemper amauit.
Sic ait, ille ferens manibus quæ iuſſit Vlyſſes,
Demodoco tulit apponens, is munera læto
Suſcipiens animo ſua ſe in loca deinde recepit:
Illi extendentes promptas ad pinguia dextras
Fercula, libaruntq; dapes, & pocula Bacchi.
Poſtquam exēpta fames & preſſa libido bibendi eſt
Demodocum affatur ſic ærumnoſus Vlyſſes:
Demodoce in primis ego te ueneror q; tuumq;

Collaudo ingenium, ſeu te Iouis inclyta proles
Muſa melos docuit, ſiue inſpirauit Apollo,
Nam caſus belli uarios durumq; laborem,
Omnia quæ tulerint fortes ad Pergama Achiui,
Egregio prorſum decantas carmine, tanquam
Aut interfueris tantorum in parte laborum
Aut alijs memori referentibus aure notaris
Verum age perge modo & cauſſas ordire canendo
Et ſeriem fatalis equi, quem doctus Epæus
Condidit adiutus diuina Palladis arte
Ac deinde inſidians in Pergama duxit Vlyſſes
Milite completum lecto, qui deinde recluſis
Fortis equi latebris, euerterit Ilion armis
Quæ mihi ſi referes atq; ordine cuncta loqueris
Quo me cunq; feret deus & fortuna locorum,
Omnibus ipſe feram memorans quàm dulcia Muſæ
Carmina contulerint, quàm ſit tibi dexter Apollo,
Sic ait, at uates diuûm præfatus honorem,
Carminis inde ſui diuini exordia ſumit,
Vt Graij reditum ſimulantes remige plenas
Helleſpontiaco ſoluiſſent littore naues
Caſtra relinquentes multis lucentia flammis
Vt grauis armato Troianos milite muros
Immanis ſuperarit equus, quæ deniq; Vlyſſem
Turba ſequuta ducem, mediæ ſe infuderit urbi
Tecta minacis equi laterum compagibus, utq;

In ſummas

In ſummas arces ipſum Troiana iuuentus
Traxerit, & ſupra iam Pergama ſumma locato,
Viſa triplex fuerit dubiæ ſentencia plebi,
Namq; alij huic aluum ſæuo perrumpere ferro,
Præcipitare alij, & ſaxis deuoluere acutis,
Incolumem ſeruare alij illæſumq; iubebant:
Vt monumentum eſſet ueniæq; iræq; deorum,
Hæc miſeræ manſura fuit ſententia Troiæ
Nam peritura fuit crudeli urbs inclyta fatò,
Si ſemel acciperet, contexum robore acerno
Neſcia ſortis equum propriæ, quia clauſus in aluò
Optimus Argiuorum abiegno quiſq; latebat
Hi quàm Troianis tulerint crudele canebat
Exitium, quo lapſi ab equi ceu turbine curuis
Clauſuris laterum, iam capta tumultibus urbis
Mœnia miſcuerint, ut tum generoſus Vlyſſes
Inſano ſimilis Marti, comitante minori
Atridæ peruenerit ad clariſſima nuper
Limina Deiphobi, quam pugna aggreſſus & intrò
Palladis auxilio irrumpens euerterit arcem
Inclus hæc cecinit diuino carmine uates.

HORTI AL-
CINOI EX VII. ODYSS.

AT prope magnifico qua diues regia cultu
Viſitur, ante fuit uiridi locus undiq; ſylua
Cõſitus, umbroſaq; nemus propagine dẽſum,
Ramorum regione uiæ conſeptus ab omni
Quadrifidæ, ſuper arboribus frondentibus intus
Innumeri fructus ceu punica mala piriq;,
Et mali teretes pulcherrima poma ferentes,
Et dulces ficus, & florens germen oliuæ
Non aliqua fructus his tempeſtate peribant
Non bruma, non igniferi ſub ſyderis æſtu
Sed Ver perpetuum Zephyris ſpirantibus illos
Conſouet, & nunc hos naſcentes excitat, & nunc
In loca cedentum ſubeuntes digerit iſtos
Fructus enim fructu ſuper exoriente ſeneſcit,
Inq; locum mali malum ſubit uuaq; in uuæ
E ficu tereti ficus noua protinus exit,
Fundit odoriferos genialis uinea fructus,
Et grauidæ plenis pendent è uitibus uuæ,
Quarum alias ſiccant aprici lumina ſolis
Sidereo expoſitas igni lateq; uagantes,
Falce alias curua reſecant, ſtant germine quædam
Vernantes, & adhuc in ſucco floris acerbæ
Hinc aliæ fructus maturis fœtibus ædunt.
Præterea uirides extremi palmitis uuæ
Stant ramos amplexæ altos, nec germine uiuo
Deficiunt ſemperq; uirent, totumq; per annum
Luxuri

Luxuriante toros diffundunt fronde comantes.
Hinc gemini fontes, quorum rigat alter amœnas
Pomiferacis opes horti, Regalibus alter
Aedibus illapſus ſubit alti limina tecti
Vſibus æternam præbens ciuilibus undam.
Talibus Alcinoi fulgebat regia donis,
Muneribus deum collatis numine dextro.

THERSITES

EV SECVNDO ILIAD.

Solus compoſitam pacem turbauit inerti
Therſites lingua, qui turpibus inuida factis
Pectora plenus erat, qui friuola multa loquutus
Cum ducibus populi contendere ſæpe ſolebat
Turpiter, & nihil ad laudem referebat honeſtam
Sed quod ridiculum pugnacibus eſſet Achiuis,
Quo non ad Troiam uenit uir turpior alter,
Lumina diſtortus, claudus pede, gibbus utroq;
Deformans humero communctum pectus habebat,
Oblongi capitis uertex ſurgebat acutus,
Exigua rari ſuberant in fronte capilli.
Hoſtis erat magno ſummusq; inimicus Achilli
Nec minus idem Ithacum capitaliter odit Vlyſſem
Tunc quoq; uituperans & acuto gutture ſtridens,

Plurima magnanimo conuicia dixit Atridæ,
Cui tunc unanimes iraſcebantur Achiui,
Et uires odere uiri non æqua patrantis
Hunc itaq; irritans his eſt clamoribus uſus,
Omnibus Atrida pulchris cum rebus abundes
Nunquid adhuc? & cuius eges? aut quid petis ultro?
Quæ tibi ſollicitant animum bona? quandoquidē ſunt
Omnia plena tibi prædiuite ſcrinia cenſu
Aeris inexhauſti, cum ſint tua plena puellis
Omnia formoſis tentoria, quas modo captis
Vrbibus eximias dedimus tibi Graia iuuentus
Vt quas credidimus Regem decuiſſe ſupremum,
Cumq; tot obtineas, & tanta quid inſuper optas,
Aurum & opes, pulchrasq; alijs auferre puellas?
Si quis enim Troum, quem forſitan aut ego captum
Aut alius quisquam Danaum traduxerit, auro
Se redimat, totum tibi quod datur adſeris aurum,
Si qua per è Danais aliquem captiua trahatur
Fœmina Troïadum quæ forma præſtet, & æui
Floribus emineat, tu protinus arripis illam
Inuitoq; trahis domino ſecretaq; captas
Munera captiuæ Veneris, clauſamq; reſeruas
Sed neq; qui rex eſt regem decet eſſe malorum,
In nos & faſtu ſceptra exercere ſuperbo,
O nos molliculos, & inertia corda gerentes,
O Danaas nos non Danaos, quin ergo paratis

Nauibus

Nauibus aufugimus, patriam dulcesq; penales,
Vno omnes curſu uotoq; petamus eodem,
Atq; iſtum nimio faſtu, tumefacta gerentem
Corda relinquamus Troiæ ſub mœnibus altis,
Vt tandem incipiat ſolus ſentire relictus,
An gerere hæc poßit ſine nobis prælia, uel non
Qui ſibi præſtantem cunctis in rebus Achillem
Læſerit, atq; ignominia turbarit acerba,
Nuper in erepta Briſeide, quam tamen illi
Nomine uirtutis dedimus ſua præmia Graij
Tunc tamen haud quaquam fuerat cõmotus Achilles
Sed potius cœptam dimittens fortiter iram,
Leniter ereptum ſibi ferre eſt uiſus honorem,
Quod niſi feciſſet, quis te iam noſſet Atrida
Viuere, & immeritis facere hæc opprobria Graijs
Talibus arcentem populos Agamemnona dictis
Culpantem cum uidiſſet diuinus Vlyſſes,
Aduolat, adſiſtensq; irato hæc increpat ore,
Garrule Therſita, quanquam tibi multa loquendi
Copia ſuppeditet, nec ſis non uoce canora
Ne tamen hic ſolus reges inceſſere, neue
Friuolus eſſe uoles, qui ſis deterrimus inter
Tot talesq; uiros quicunq; Agamemnona magnum
Ipſius auſpicijs ſumus ad Troiana ſequuti
Mœnia, quòd nequeas linguæ dare frena loquaci,
Nec moderere tuis ducibus maledicere uerbis;

Nunc remeare mones, patriasq; reuiſere terras
Cum neq; conſtet adhuc, num nos ad regna reuerti
Expediat patria, & dulces reptiſſe Penates,
Et nunc paſcenti populos maledicis Atridæ
Nõ aliam ob cauſſam niſi quòd data plurima cernas
Præmia quæ nolles, quorum nihil ipſe dediſti,
Nec ſimilis, quis enim ſimilis tibi uellet haberi?
Sed magis Heroes Danai, fortiſſima bello
Pectora, digna ſuæ tribuerunt præmia laudi.
Quare præmoneo, credas ue ſane momenti,
Si rurſum in populo diſcordia uerba ferentem
Repperero, capite hoc plectar, nec uiuus Vlyſſes
Telemachi pater eſſe ferar, ſi non ego totum
Si te non totum ſpoliatum ueſtibus iſtis
Et læna, tunicaq;, & quæ tegit inguina, coram
Omnibus his rapidæ concidam uerbere uirgæ,
Vsq; adeo ut multo repetas naualia fletu.
Talia commemorans ſceptro ſic perculit aureo
Terga humeroſq; uiri, liuoris ut inde coacti
Pallor, & extarent uibices ſanguine nigræ.
Ille timens plagas, & uerbera plura reſedit
Turpiter indulgens lachrymis tacitoq; dolori,
Siccabatq; manu manantia lumina, at illum
Spectantes reliqui quanquam tunc pectora mœſti
Riſerunt tamen immodicoſq; dedere cachinnos
Sic etiam eſt aliquis prope ſtantem affatus amicum:
Qualia

Qualia dij ſuperi quamq́; immortalia Vlyſſes
Facta facit, ſeu cum ſummis de rebus habetur
Conſilium, ſiue arma manu bellumq́; gerendum
Maximus ingenio eſt, bello fortißimus idem.
Nunc tamen hoc quod præcipua ſit laude ferendum
Fecit opus, qui uaniloquum compeſcuit iſtum
Nam neq́; principibus poſthac audebit opinor
Friuola inutilibus conuicia ſpargere uerbis.

VLYSSES ET

MENELAVS EX III. Iliad.

INde ubi cuncta oculis luſtrans conſpexit Vlyſſem
Dic age chara, ſenex inquit, mihi filia, quis nam
Ille uir eſt breuior procero Agamemnone, uerum
Latior idem humeris, & pectore firmior amplo
Qui poſitis in humum longe radiantibus armis
Dorica ſollicito circumuolat agmina paſſu
Non ſecus ac multæ ſpectandus uellere lanæ
Vir gregis errat oues circum candore nitentes:
Huic ita reſpondens Helene Ioua nata loquuta eſt:
Hic ille eſt Laerte ſatus generoſus Vlyſſes
Quamquam Ithacæ ſterilis lapidoſa natus in ora
Vir tamen eximie ſapiens, & ad omnia fraudum

Callidus inſtrumenta,dolisq; inſtructus & armis.
Tum grauis Antenor memoranti talia,uerbis
Reddidit,hæc equidem mulier uera omnia narras
Quæ modo commemoras,Nam cũ olim diuus Vlyſſes
Et minor Atrides ueniſſent Ilion altum
Te reddi patriæ tecumq; ablata petentes,
Ambos,ſicut erant legati ad pergama miſſi,
Accepi hoſpicio atq́; opibus ſolabar amicis
At ſimul amborum naturam,& callida prorſum
Conſilia edidici,Siquidem cum Troia ſtantes
Concilia alloquerentur,erat ſublimior Atrei
Filius,& celſis humeris extabat,ut autem
Seſſum ierant,uenerabilior decorabat Vlyſſem
Aſpectus,maiorq; fuit reuerentia uultus.
Poſt ubi conſedit iam pleno tota theatro
Concio,Legatisq́; fuit data copia fandi
Sermo fuit forti breuis & ſuccinctus Atridæ,
Pauca loquebatur ſiquidem,ſed dulcia ualde
Hunc illi natura modum dedit ipſa loquendi
Vt nec aberraret uerbis,neq́; garrulus eſſet
Quanquam multo eciam minor annis eſſet Vlyſſe
Verum ubi dicendi partes ſuſcepit Vlyſſes
Stabat humi fixis oculis ſceptrumq́; tenebat
Immotum,ſimilem dicas ratione carenti
Concita uel nigro cui ſanguine bilis abundet
Verum ubi magniloquam rupit de pectore uocem

Hybernis niuibus tunc uerba ſimillima fudit
Vt iam nemo hominum contendere poßit Vlyßi
Eloquio,& quanquam forma præſtabat honeſta
Plus tamen eloquium nos mirabamur Vlyßis.

SIRENES EX XII. ODYS.

DVm patria diræ Circes,triſtiq; relicta
Aeæa ſapiens atque erumnoſus Vlyſſes
Nauigat Ionios fluctus,affatus amicos
Dicitur,& uerbis aut his,aut pluribus uſus
Quæ poſt Alcinoo referebat cuncta roganti
O ſocij,quæ magna mihi diuinaq; Circe
Prædixit,non uni alicui,non illa duobus
Scire operæprecium eſt,ſed cum communiter omnes
Nos ea contingant ſcire omnibus illa neceſſe eſt
Omnibus ergo ſimul referam,ſic namq; ſcietis
In nobis hoc eſſe ſitum uiuamus,an auras
Linquentes ſuperas,Plutonia regna petamus.
In primis uitare iubet diuina canentes
Carmina Sirenas,nec florida prata ſubire
In quibus illæ habitant,me ſolum audire canoras
Blanda uoce Deas,ſed uos mihi uincla priuſquam
Exicioſa meas referantur carmina ad aures

Iniicite, & rectum magno me adnectite malo
Quòd ſi detractis forſan me ſoluere uinclis
Iuſſero, tum uinclis grauius conſtringite nec uos
Vlla mei teneat reuerentia, maxima Circe
Sic iubet, Hæc igitur mandabam cautus amicis.
Interea uentis nauem impellentibus, oram
Contigimus non ambiguo Sirenida curſu
Mox uenti poſuere, auræq; & ſæua quierunt
Aequora, tum ſocij ſurgentes humida primum
Vela legunt, remis incumbunt, ictibus undæ
Albeſcunt ſpumante ſalo, tum oracula Circes
Mecum animo repetens, de magno pondere ceræ
Enſe parum reſeco, manibus tero fortibus, Illa
Trita manu, ſolisq; ingenti ardore ſubiſcit
Hac ego tum ſocijs obſtructas omnibus aures
Obleui, at me illi manibus pedibusq; ligatum
Ad malum uinxere, iterumq; inſurgere remis
Aggreßi crebro laſſarunt uerbere pontum
Iamque propinquantes inimicæ acceßimus oræ
Vſque adeo ut poſſent audiri uerba canentis
Nec mora blandiſonæ ueſtigia noſtra ſorores
Seruantes aderant, nec enim cita noſtra fefellit
Nauis, in argutas ſoluentes guttura uoces
Tale procul patrijs cecinerunt carmen in undis:
O decus Argolidum, fama inclyte, fortis Vlyſſe
Huc age ſiſte ratem, nos & propioribus audi

Auribus, has nemo ſurda rate nauigat undas
Quin potius placidas noſtris concentibus aures
Præbet, & attonitis modulamina ſenſibus haurit
Noſtra, quibus gaudens & doctior inde recedat.
Scimus enim quas res opulentæ ad mœnia Troiæ
Geſſeritis, quàm ſitis iniqua pericula paßi
Argiui Troesq; deorum nuper ob iram.
Scimus & humanas res omnes, queq; geruntur
Omnia, qua quicquam terrarum Phœbus oberrat.
Talia Sirenes arguta carmina uoce
Fundebant, mihi iam dudum ueſana libido
Inceßit, miroq; animum inflammabat amore
Tam dulces audire modos, tunc ergo rogabam
Innueramq; oculis, ſocij mihi dura ferenti
Vincula detraherent, magis illi incumbere remis
Inſiſtunt, & mox Perimedes Eurylochusq;
Surgentes, uinclis etiam me pluribus arctant.
At poſtquam à tergo Sirenum terra relicta eſt
Et neq; iam uoces audiuimus amplius ullas.
Tunc ſocij ceris occluſas mollibus aures
Expediunt, & me releuant, uinclisq; reſoluunt.

ATE EX XIX.

ILIAD.

Filia dira Iouis mortalibus omnibus Ate
Noxia mille modis; pedibus non mollibus unquã
Repit humi, rerum capita ipſa, & maxima rerũ
Aggrediens homines affligit, & inter amicos
Sæpe ſimultates, & noxia iurgia ſpargit
Namq; nec ipſa Ioui magno quandoq; pepercit
Quamquam hunc eſſe ferunt hominum primum atq; (deorũ
Hunc etenim Iuno, mulier licet, arte fefellit
Fraudibus inſtructa, quo tempore uipericidam
Alcmene paritura fuit Bœotide in urbe
Thebarum, ſupera tunc iactabundus in aula
Iuppiter affatur diuos, & ut iſta ſit, inquit
Certa meæ uobis ſententia cognita mentis
Promã etenim quæcunq; animus mihi parturit intus
Lux hodierna uirum Lucinaq; diua labores
In partu releuans, fatis ridentibus ædent
Ex noſtro genere, & noſtro de ſanguine natum
Vicinos late populos qui Marte ſubactos
Imperio reget, & multos dominabitur annos,
Huic inſtructa dolis reſpondit regia Iuno
Falleris, haud etenim uerba hæc res ipſa ſequetur
At mihi nunc iura per quæ pater optime nunquam
Fallere ſacra ſoles, fore facta æqualia uerbis
Scilicet ut late populos ditione gubernet
Lux hodierna uirum quencunq; educet ab aluo
Materna de gente tua, de ſanguine noſtro

Sic

Sic ait, ipſe doli ſecurus Iuppiter huius
Nec fraudem metuens iurat quæ fallere nunquam
Sacra ſolet, quam rem ſibi ſæpius inde moleſtam
Iuppiter indoluit, nam mox Saturnia cœlo
Deuolat Argolicumq; petens delabitur Argos
Vxorem Stheneli Perſidæ namq; ſciebat
Ferre uterum puero grauidam, iam ſeptimus illi
Menſis erat, nec dum cruda maturus in aluo
Fœtus, at auxilio peperit Iunonis eadem
Luce marem puerum, remorato tempore partus
Formoſæ Alcmenes, tum cœlo reddita Iuno
His affata Iouem breuiter, ſermonibus uſa eſt
Iuppiter ignipotens hæc imis ſenſibus hauri
Quæ tibi nunc dicam, uitalibus æditus auris.
Prodijt Euryſtheus hodie de coniuge natus
Perſidæ Stheneli te non indigna propago
Sanguinis ille tui, populos qui legibus æquis
Et regat, & merito patrijs dominetur in Argis
Iuppiter his animo nimium commotus acerbo
Vertice contortis comprenſam crinibus Aten
Iurauit nunquam redituram ad lucida cœli
Sidera, non unquam deinceps in parte futuram
Sed is olympiacæ, quæ tantum affligere poſſet
Res hominum diuûmq; & inutilis omnibus eſſet,
Hæc dicens raptamq; coma manibusq; rotatam
Præcipitem terras cœlo deiecit ab alto.

perpetuo humanis nocituram tempore rebus

LITAE EX
IX. ILIADOS

Eſſe Litas magno natas Ioue dixit Homerus
Cum precibus magnum non exoraret Achillē
Tota fere afflictis ad Troiam Græcia rebus
Hæ ſunt ergo Litæ cœleſti ſemine natæ
Non æquis rabidam comitantes paßibus Aten
Sunt etenim claudæq; pedes & lumina pætæ
Molliaq; exiguis perarat æ corpora rugis.
Ipſa Ate neq; clauda pede eſt, neq; lumine pæto
Nec deformato per aniles corpore rugas
Sed curſu uelox & uiribus integra totis
Atq; ideo celeri longe pede præuenit illas
Omnia latiuagæ terrai regna peragrans
Omnia conturbat, nocet omnibus, omnia miſcet
Litibus & rixis, cuius ueſtigia paſſu
Cuncta Litæ meditante legunt tacitæq; ſequuntur
Has quicunq; ad ſe uenientes atq; rogantes
Vt ueniam factis, quibus eſt offenſus, amicam
Deferat, admittit, captat, reueretur, & audit.
Hunc ipſæ, ſi quando opus eſt uſusq;, uicißim
Admittunt, facilemq; adhibent tum uocibus aurem
Tum ratione iuuant qua poſſunt cunq; rogantem

Sin

Sin uero excludat, uotiq; remittat inanes,
Illæ indignantes iniuria facta parenti
Conqueſtæ referunt, orantq; ut protinus Aten
Immittat contemptori, & prædura nocenti
Supplicia immiſſuram homini pœnamq; repulſæ.

EQVI ACH.

EX XVI. XVII. ET XX. ILI.

IMpiger Automedon & curribus aptus & armis,
Sub iuga cogit equos, & ad axem iungit anhelum
Xanthon & inſignem Balium, quos optima curſu
Dum procul ad latum, prati uernantis in herba
Paſcitur Oceanum, Zephyro genuiſſe Podarge
Dicitur, atq; ideo uentorum ab origine nati
Aequabant celeres plantis pernicibus auras,
Pedaſus acceſſit, quem magnus cœpit Achilles,
Eetionæam cum bello euerteret urbem,
Mortalem genitum, ſed & immortalibus ipſum
Fecit equis comitem, qui poſtquam deinde ſuperbum
Senſerunt magno Patroclon ab Hectore cæſum
Nec pugnæ memores in triſtia bella redibant
Non intenta fugæ rectori frena ſequentes
Aut naues repetunt, aut latiflui Helleſponti
Littora, quanquam illos uerbisq; & uerbere multo
Automedon Diorides inſtigat & urget,

Stabant immoti ueſtigiaq́; ipſa tenebant
Non ſecus ac ſtatuæ tumulis immobile ſaxum
Adſiſtens, ſic fixa ſolo capita ægra tenentes
Lugebant, lachrymisq́; rigabant grandibus ora
Aurigæ deſiderio, coma denſa iubarum
Sorduit, in terram propendula Iuppiter illos
Proſpiciens triſtes cœlo eſt miſeratus ab alto
Et moto capite, heu miſeri cur addimus, inquit
Mortali uos Aeacidæ, qui corpus habetis
Immortale datum, nulloq́; ſeneſcitis æuo
Nunquid ut ipſi hominum caſus doleatis acerbos.
Nam nihil ex cunctis quæcunq; animalia terra
Reptantes ſpirant, homine erumnoſius uſquam eſt
Sed neq; nunc uobis nec pulchris curribus iſtis
Hector Priamides inſidet, nam neq; fas eſt,
Non etiam ipſe ſinam, ſatis eſt q, & arma proterue
Abſtulit audaci, q, & his nunc ille ſuperbit,
Veſtris ipſe animis uires dabo, uos ego forti
Robore præſtantes faciam, ut poſſitis abacri
Automedonta, leui curſu, ſubducere pugna
Ad naues pugnabit enim Tros marte ſecundo,
Me præſtante hodie uires dextræq́; fauentem
Succeſſum pugnæ, donec Danaïa ferro
Agmina cedentes ad naues usq́; ferantur,
Et ſol occiduo deſcendat in æquora curru,
Finitamq́; ferant extrema crepuſcula lucem.

Hæc

Hæc effatus equis uires immiſit, at illi
Crinibus excußis currum rapuere citatum
Per cuneos, per caſtra uirum, per tela, per enſes
Iamq; nouis ſtabat Pelidæ filius armis
Conſpicuus, uultuq; minax criſtaq; coruſcus
Terribili, rutilo Phœbææ lampadis inſtar
Aere micans currum inſiluit, tum uoce paternos
Hac affatur equos, rapidæ præclara Podarges
Progenies Xanthe atq; Bali, defendite ueſtrum
Aurigam hunc melius, quàm claro tradita nuper
Arma Menœtiadæ uiuumq; reducite, nec me
Exanimem, diroue relinquite ab hoſte peremptum:
Tum Xanthus capite à ſummo temone reflexo
Ad terram recidente iuba, ſic uoce loquutus
Dicitur humana, nam candida Iuno loquacem
Fecerat: O ſate gente deum fortiſsime Achille
Nunc & adhuc nobis ex hac ſeruabere pugna,
Verum non procul illa dies, quæ ſoluat ab iſto
Corpore te, tibi abeſt, cuius non ulla uolentes
Nos tibi cauſſa ſumus, ſed iniqui iniuria fati,
Sed neq; quòd falſis cecidit Patroclus in armis
Aut mala ſegnities noſtra, aut ignauia fecit,
Verum pulchricomæ Latonæ filius illum
Optimus ille deum, media inter maxima Troum
Agmina pugnantem confecit, & Hectoris illud
Hoc tantum decus eſſe dedit, nos præpete curſu

Si ſit opus Zephyro contendere poſſe uidebis,
At tibi fatales ſic nerunt ſtamina Diuæ,
Vt tibi ſit diui atq; hominum ſub marte cadendum,
Talia clamantem uetuit furialis Erinnys
Plura loqui,uerbis quibus indignatus Achilles
Xanthe quid inſtantis mihi uaticinaris acerbum
Mortis adeſſe diem,neq; te res iſta decebat,
Nec me,quod procul à patria crudele,feſellit
Deſtinat exitio fatum,ſed perſequar ipſos
Interea noſtris ſternendos Troas ab armis.
Dixit,& egit equos in confertiſſima Troum
Agmina,& inſtaurans martem fera bella ciebat.

CITHARA
ACHILLIS EX IX. ILIAD.

Non habilis tantum bello,quandoq; ſonora
Fortia facta uirum cithara cantabat Achilles
Tũc quoq; cũ Phœnix,et Tydides & Vlyſſes
Myrmidonum populo tentoria plena ſubiſſent·
Offendunt citharæ neruis uocalibus ipſum
Heroum laudes & martia facta canentem,
Hæc eſt illa uiri teſtudo nobilis,iſta
Nomen adepta manu dignũ,quam repperit olim
Eetioneas,cum magnam euerteret urbem,
Inter opes,cantu argutam,fidibusq; canoram,

Arte

Arte laboratam docta, nam tota ſuperne
Et circum extremas argentea protulit oras
Hac ſe tum ſicco reſidens in littore Achilles,
Oblectabat, alens animum dulcedine cantus.

HASTA A-
CHILLIS EX XVI. ET XIX. ILIADOS.

Peliaco quondam ſapiens in uertice Chiron
E trabe fraxinea prægrandem inciderat haſtã
Inciſamq; ſuo charo donauit amico
Peleo Aeacidæ, qua multas ille uirorum
Proſtrauit fortes animas, & corpora leto
Multa dedit, quã deinde ad Pergama ſacra profectus
Abſtulit & ſecum magnus portabat Achilles,
Grandem, præualidam, procero robore, craſſam,
Quam nemo potuit quantumuis fortis Achiuum
Aut capere, aut tractare manu, niſi ſolus Achilles.

THAMYRIS
EX SECVNDO ILIAD.

Pierides quondam, proles Iouis inclyta, Muſæ
Treicium Thamyrin priuarunt carminis uſu,
Obuia forte uirum nactæ ueſtigia agentem

Euryton infauſto cum linqueret omine regem
Oechaliæ, & ſe poſſe deas ſuperare canendo
Iactaret, ſi ſecum aliquo contendere cantu
Auderent, hic bile nigra indignantia Muſæ
Pectora ſuccenſæ, ſpoliarunt uana ferentem,
Senſibus & cantu, & citharæ fidis arte mouendæ.

CESTVS VE NERIS EX XIIII. ILIAD.

ILlecebris magnum Iuno domitura Tonantem
Poſſe timens, Veneris diua rogabat opem:
Fer nurus auxilium, nati permitte potentis,
In ſpacium exigui temporis, arma tui.
Non nocuiſſe tuo ſed mens prodeſſe parenti eſt,
Dum me non alia pellice captus, amet.
Cui Venus, haud opus eſt nati petere arma potētis
Nec ſolet his talis iſte carere puer.
Quòd ſi iſta ratione Iouem tibi fallere cordi eſt,
Pignore ab hoc, pueri quæ petis arma feres.
Dixit, & eximijs radiantia cingula bullis
Protulit è blando blandior ipſa ſinu.
Hic eſt ille potens puerię potentior arcu,
Quem mihi dic quare Ceſton Homere uoces?
Sunt in eo Veneres omnesq; Cupidinis artes,
Sunt in eo fraudes, philtra, uenena, doli.

Inſunt illecebræ, ſunt blandæ uerbera linguæ,
Sunt ioca, ſunt riſus, iurgia, probra, ſales,
Mille artes capiendi animos, ſunt pocula nunquam
Euitabilibus plena ueneficijs.
Omnia in hoc poſuit uertentia pharmaca mentes
Prudentes etiam fallere docta Venus.
Quem cum blanda Venus Iunoni traderet, inquit
In tacito claudas arma fac iſta ſinu,
His armis in amoribus omnibus omnia uinces,
Commodiora meus non habet arma puer.
Baltheus iſte tuos tibi conciliabit amores,
Vinciet inuictum baltheus iſte Iouem.
Riſit adhæc Iuno, Ceſtonq́; recondidit intus,
Sicut erat tacito condere iuſſa ſinu.
Cætera ab eximio ſi forte rogabis Homoro,
Dicendo inijciet Ceſton & ipſe tibi.

MOLY EX

ODYSS. X.

MEonidæ ſacro celebratum carmine Moly,
Cur adeo rarum tempora noſtra ferunt?
Sic ego, Caſtalidum ſic reddidit una ſororũ
Quòd nunc more hominum uiuere nemo cupit.
Bellua ne fieret ſapiens præcauit Vlyſſes,
In cuius natum pectore Moly fuit,

Qua nocuas poſſis uitare Cupidinis artes
Non niſi de ſuperis iſta medela uenit.
Tradidit ergo uiro florem Cyllenius album
Radicis longæ uirgula nigra fuit.
Mōly uocant ſuperi, mortalibus ipſa ſalubris
Herba, ſed in raris inuenienda locis.
Illud habet præſens contra data philtra uenenum,
Si proprio fuerit tempore Moly datum.
Quod quia tam pauci norunt, tam plurima monſtra
Vultibus humanis, tempora noſtra ferunt.

NEPENTHES

ODYSS. IIII.

NVbila triſtitiæ Nepenthes inertia pellens,
Mæonio notum carmine nomen habet.
Hanc Helene formoſa mero cõmiſcuit herbã
Hoſpitibusq; alijs Telemáchoq; dedit
Protinus & curæ, ſæuiq; abiere dolores,
Protinus & riſus, & rediere ioci.
Pulchri lætifico Nepentheos ebrius hauſtu,
Hei mihi, non iterum ſobrius eſſe uelim.
Tunc mea non aliquos ſentiſcent pectora motus,
Non dolor in noſtris ſenſibus ullus erit.
Non ſi chara parens, non ſi fratérue, patérue
Occumbat noſtros mortuus ante pedes.

Dic age

Dic age, num talem uim talibus eſſe ſub herbis
Credis? an his mulier uiribus eſſe poteſt?
Nam mulier ſatis herba potens, ſed triſtia lætis
Miſcet, & hoc uicio, quam loquor, herba caret
Quicquid id eſt, ego mille Helenas mihi talia mille
Sæpe uelim facili fundere uina manu.

FINIS

BONAE VA LETVDINIS CONSERVANdæ rationes aliquot.

Simplicium ciborum facultates quædam.
Medicinæ Encomion.
Chorus illuſtrium medicorum.
Nouem muſæ.

AVTHORE HELIO EOBANO HESSO.

Liber de ſeipſo loquitur,

Qui modo mancus eram, nec totum factus ad unguē,
Depoſui cultus, quos habuiſſe pudet.
Nam quia me cupidæ properabam oſtendere luci,
Forma domi melior penè relicta fuit.
Qui male progenitum poteras odiſſe, renatum
Inſpice me, fies æquior inde mihi.

ΕΟΒΑΝΟΣ

Εἰ νέα τέρπουσιν, δίδομεν νέα ἀλλὰ προέργος.
Δῶκε δὲ καὶ δώσει μείζονα τῶνδε χρόνος

Caſtor Durantes Sanitatis Theſaurum edidit.
Pauli Fabricii Encomium ſanitatis Ven. 1557. 4.

EXIMIO B-
ARTIVM AC MEDICINAE PRO- FESSORI D. GEORGIO
Sturtiadæ Erphurdiano
Eobanus Heſſus S.

SEXTVS IAM ANNVS *agitur, optime Sturtiade, poſt quam libellum hunc, neſcio ſcripſerim infelicius, an ediderim feſtinantius, utrunq; ſanè contigiſſe mihi toto hoc, quod ab ipſius editione interceßit, tempore, & amici quidam animaduerterunt, & ego non dißimulaui: cum ſanè quædam, & etſi non ita multa, eſſent in eo libro tam chalcographorum uicio perperam excuſa, quàm à me ipſo nimia feſtinatione parum diligenter animaduerſa, & inconſiderantius multo (tantũ abeſt ut dum alios accuſo, meipſum culpa liberem) quàm uel huius ætatis iudiciũ, uel eruditionis (quantumuis exiguæ) exiſtimatio requirebant, effuſa. Itaq; cum ab eo tempore pœnitentia non mediocri eius editi libelli ductus fuiſſem, ſæpe cogitabam ad prælum & cenſuram reuocare ſcriptum, à neutro horum ſatis elaboratum, ut emendatis, quæ commiſerant typographi, et*

repoſitis, quæ ipſe neglexeram, denuo exiret liber, & emendatior, & locupletior. Quod conſilium meũ cum hactenus alia ſuper alia accreſcentia negocia ſem ꝑ in craſtinũ reijcerent, & ego toto hoc ferè quadrien nio, quod Nurembergæ ſum, nũc uertẽdo Theocrito, nunc alijs ſcribendis poematis, tum quæ circa rem Scholaſticam emergunt laboribus, ægre me explica- rem, factum eſt, ut et mea opinione & amicorũ expe ctatione tardius hic infelix fœtus uelut renaſceretur Quem nunc tandem nactus nonnihil ocij, reuocatum ad cunas denuo peperi, & non ſecus, ac alterum Bac chum fœmori adalligatum meo foui, donec matureſce ret magis. Quod etſi ſero (ut uerum eſt) ita factum uideri haud dubie poßit: malui tamen temporariæ tar ditatis, quàm perpetuæ ignauiæ ac negligentiæ accu- ſari. Iam plus ſatis meo ipſius periculo edoctus, tuti- orem eſſe ſeram prudentiam, quàm inconſultam feſti- nationem, quantumuis ſpecioſam. Hoc ego conſilio Georgi, libellum hunc tuo nomini in perpetuum dedi catum, quocunq; modo potui in publicum reuocatum, iterumq; in meum ius ditionemq; adſertum atq; in li- bertatem uindicatum: talem feci, qualem uides, ex ue teri nouum, ex deprauato emendatum, ex paupere etiam (ſi dijs placet) locupletiorem, quid enim non fa tear à ueris ingeniorum diuitijs quàm longißime me

ab

abeſſe? Quid multis? totus alius à priore libellus noſter prodit, cum non ſolum multa, quæ uidebantur ſuperfluere, atq; eciam officere poſſe, deterſerim, aliaq; his ſubſtituerim uerum etiam ordinem ipſum ac formam inmutauerim. Quod qua ratione à me ſit factum nihil attinet dicere, cum nec libellum ſuapte mole per exiguum lõgiore præfatione uelim dehoneſtare, nec operæ precium uideatur in re iuxta omnibus manifeſta laboris multum inſumere. Mihi certe hic ordo & hæc libelli forma uiſa ſunt multo iucundiora, ac plauſibiliora futura legentibus, quàm eſſe potuerint priora illa in unam quandam ceu maſſam confuſa, ac nullis nec ordinibus nec interuallis diſtincta, cum iſtiuſcemodi diſtinctiones ſemper plurimum habuerint, cum in legendo iucunditatis, tum in his quæ legeris memoria firmiter retinendis adiumenti. Quanquam haud ſcio an in meo libello quicquam tale inſit, quod uel legere quis dignetur, uel meminiſſe, cum multo eciam magis futuros eſſe haud ambigam, qui hunc meum laborem ut ineptum, & à mea profeßione abhorrentem ſint calumniaturi. De his loquor uero qui cum ipſi ne uni quidem ſtudiorum generi ſatis fœliciter aſſueuerint, alijs tamen uelut modum ingeniorum præſcribere dignum ducũt, ſacrilegium eſſe exiſtimantes, unius profeßionis nõ ſecus, ac agri limites

egreſſum in alienum falcem mittere, ſic enim exiſti-mant alijs omnibus aliena eſſe debere ea, quæ ipſi utcunq; ſola attigerunt, nec intelligunt miſeri, ſicut ipſi ab omnibus, etiam illis, quæ profitentur, bonis ſtudijs ſunt alieniſsimi, ita nihil omnino bonarum artium ab his, qui ſemel humanarum literarum commilitio ſeſe adiunxerunt oportere, uel prorſus ignorari, uel omnino non attingi. Ipſum te teſtem habeo quendam ex hoc genere non multis ante annis dicere auſum, poëtas iamdudum ſuis fabulis & Theologiam conſpurcaſſe, & Medicinã, ſi eo ſe immittant, breui conſpurcaturos. Immodeſtior forte ſim, ſi hic dicam idem mihi ipſi quoq; nuper contigiſſe, itaq; modeſtiæ famam aucupabor ex hoc loco, & ignauos iſtos crabrones, ne dignos quidem ducam, quos irritem, qui ſuopte ingenio ſatis ſunt, cum moleſti alijs, tum ſibi ipſis noxij. Cũ ſint permulta hoc tam corrupto ſeculo eciam doctorum, & humanitatis laudem ambientium uirorum uicia, ad quæ uelis nolis, tamẽ conniuendum tibi ſit: & citius reperias, qui tantum non damnent, quàm qui ingenue laudent ea, quæ ueram laudem merebantur, adeo, ut non omnino infœliciter tecum agi dicas, ſi modo inuenias, qui dedicari aliquid ſibi tuarum lucubrationum patiantur, & non eciam ægre ferant, ſe uelut dato beneficio, quòd tamen agnoſcere omnino nolint, obligari. Miſeram ſanè conditionem temporum,

in qui

in quibus tantũ abeſt, ut placere quibuſdã poſsis, ut etiã benemerendo offendas. Me ſane plurimũ cõſolã tur primũ tua in prouehẽdis his ſtudijs ſingularis uir tus et humanitas, deinde eorũ conſenſus, q̃bus in hac urbe meorũ ſtudiorũ, & ſocijs utor, et adiutoribus. Inter quos, uel præcipuo loco Ioannes Magebucchus non medicæ ſolũ rei doctiſsimus profeſſor, uerũ etiã aliarum oĩm bonarũ diſciplinarum cõſultiſsimus, nõ eſt paſſus, hunc noſtrũ libellũ diutius deliteſcere, q̃n potius enixe hortatus eſt, ut denuo ederẽ, nec inuide rem (ut magnifice quidẽ, quàm uellẽ etiã uere, de me ſentit uir ille) uſui publico opuſculũ, ut exiguũ, ita multis fortaſsis nõ inutile futurum. Itaq; cũ hic liber te (ut ſcis) autore primũ natus ſit, hoc nũc (ut uides) monitore renaſcitur, et in lucẽ prodit, faxit deus, ut Muſis propitijs, et Gratijs bene iuuantibus. De Ioachimo Camerario meo quid dicam, quem ut in omnibus ferme alijs ſoleo, ita & in hoc edendo libello Ariſtarchũ adhibui? Hæc ideo ſcribo, ut intelligas me nõ ambitione aliqua, aut temerario animi impetu, ſed iudicio potius et cõſẽnſu doctorũ ad huius poematis ſecundam editionẽ fuiſſe impulſum. Cum et ipſe iã ante non ſemel ad hoc faciendũ me ſis hortatus, et his nũc tantis talibusq; uiris approbantibus, nullo pacto nõ adquieſcendum mihi uideretur. Bene Vale. Nurenbergæ. Calend. Nouembris. M.D.XXXI.

BONAE VA LETVDINIS CONSERVAN-DAE RATIONES ALIQVOT,

tum de ſimplicium ciborum facultatibus, Helij Eobani Heſſi.

MVSA *repertoris medicarũ filia rerum,*
Te duce conanti ſcribere pauca, faue.
Pauca canam cantata prius, ſed A*polline nullo,*
Et labor hic aliquo nomine noſter erit.
Nanq; *hic, ſi qua leges adiuncta prioribus, idem*
Nos ea de tenebris exeruiſſe ſcias.
Nam *quæ fœda ſitu iacuere, & merſa profunda*
Barbarie, uerſu lucidiora fluent.
Adde *quòd et numeros facile eſt meminiſſe, nec ullis*
Dotibus ingenij gratia maior ineſt.
Q*uiſquis ad hæc igitur ueri præludia uultum*
Demittes, oculo fac paciente legas.
Nec *uitio uertas, quia ſit rude carmen, & omni*
Exculti careat dexteritate ſtili.

Scripſimus

Scripſimus iſta rudes, cui nunc aſſueſcimus, artis
Et ſunt præcipiti carmina facta mora.
Tu quoq; Sturtiadum decus & noua fama Georgi, Dedicatio operis.
Huius præcipuus carminis autor eras.
Cogere nanq; tibi ceu prima elementa iubebas,
Cuius nunc titulos & decus artis habes.
Has igitur tibi primitias ignobilis agri,
Paruaq; de ſterili munera rure damus.
Accipe ferq; libens inopis mediocria Muſæ,
Sæpe etiam Diuis uilia dona placent.
Tunc ubi me ſtudijs maior melioribus uſus
Induet, his paruis ſplendidiora dabo.
Nunc ne longa breues æquent exordia ludos,
Hinc meus in cœpto puluere curret equus.

RERVM NATVRALIVM BREVIS DIgeſtio, ab Elementis & humoribus.

PRincipio quicunq; uoles animoq; ualere,
Corporis & ſana conditione frui.
Cognoſcenda tui tibi ſunt primordia primum
Corporis, & quis nam ſit ſtatus inde tibi.
Cognita quæ certæ poſſint monſtrare ſalutis,
Ne male conueniens ingrediaris iter.
Hæc tibi ſed breuibus depingam ſingula formis,
Polliciti non ſunt pondera plena mei.

Elementa. Quatuor ut conſtant elementis corpora noſtra,
Quæ ſunt (ut perhibent) aër, aqua, ignis, humus:
Humores ſic inde trahunt, à quolibet unum,
Quos tamen in uerſu uix ceciniſſe queas.
Qualitates humorum ad elementa. Terra Melancholicis, aqua confertur pituitæ,
Aër Sanguineis, ignea uis choleræ.
Sicut enim ſicca eſt natura & frigida terræ,
Vis elementaris friget & humet aquæ.
Sicut & humorem calido commiſcuit aër,
Siccus ut eſt ignis, uimq; caloris habet.
Sic uis humorum reſpondet quælibet uni,
Ordine ſi repetas, quo mihi dicta uides.
Signa ſangu. abundantis. Vena tumet, rubet & ridet, laſciuit & audet,
Cui nimius pleno corpore ſanguis ineſt.
Phlegmatis. Nil ſapit, os humet, faſtidit, ſomniat undas,
Humida cui nimio phlegmate membra madent.
Choleræ. Tinnit ab aure, ſitit, furit, ardet, ſomniat ignes,
Cui nimius choleræ corpora ſanguis agit.
Melãcholiæ. Anxius & niger eſt, timet omnia triſtia, dormit,
Mole ſua bilis quem nimis atra premit.
Qualitates humorum ad horas anni & ſigna Zodiaci. Quatuor humores hos anni quatuor horis
Confer, & obliquæ ſigna timenda rotæ.
Aeſtati choleram dabimus, tria ſigna ſequentur
Ignea, nempe aries, tenſa ſagitta, leo.
Autumni nigra bilis erit, tria ſigna ſequentur
Terrea, bos uictor, candida uirgo, caper.

Vere tu

Vere tumet ſanguis, ſed & hunc tria ſigna ſequũtur
Aërea, ut gemini, lanx uaga, fuſor aquæ.
Phlegma æquabit hyems per aquatica ſigna notãdũ
Hæc ſunt, retrogradus, trux nepa, piſcis iners.
Nunc age limitibus concluſum quattuor orbem
Aſpice, & ætatum quamlibet inde nota. — *Humores ad regiones & ætates.*
Sanguine Sol oriens pueriles uendicat artus,
Firma dies choleram læta iuuenta tibi.
Phlegmatis occaſus plenam facit eſſe ſenectam,
Bile nigra Boreæ ſed plaga decrepitos.
Ver uelut infantes natiuo germine paſcit,
Quos placido ſpectans ſydere Phœbus amat.
Aetatem iuuenum notat æſtas, Martis in illa — *Planetæ ætates & horæ anni.*
Exultant uires, & furor arma mouet.
Maturos Autumne ſenes, quos frigida Luna,
Inſtabili uarios lumine ſemper agit.
Decrepitos hyemis natura æquabit inertes,
Quos uorat immiti falcifer ore ſenex.

SPIRITVS ET VIRTVTES.

QVattuor hinc etiã noſtræ inſtrumenta ſalutis,
Seruare arcana relligione decet.
Pectoris in fontẽ ſanguis tenuiſſimus intrat — *Spiritus.*
Nobilis aſſurgens, ſpiritus inde uenit.

Virtus uitalis. Viribus inde uigent toti uitalibus artus,
Dicitur hic reliquis purior eſſe uapor.
Animalis. At cerebro uelut æthereæ dominantur in arce,
Effectus uirtus quos animalis habet.
Hepatis & ſtomachi uis naturalis ab oris
Effluit, omnigeni ſanguinis iſte domus.
Ergo ſpiritui ſanguis deſeruit, at ille
Senſibus, hi famulos ceu rationis agunt.
Quisquis amas igitur ſtudiorum intendere curis,
Hæc tanta in promptu commoda ſemper habe.
Qualis enim ſenſus de ſanguine ſpiritibusq́;,
Talibus ingenium uiribus eſſe ſolet.
Cuſtodire potes medicas hæc firma per artes,
Si frugi uitam uiuere forte uoles.
Hæc tibi Palladio quicunq; ex puluere laudem
Quæris, habe, ſed nos utraq; turba manet.

GENERALES TVENDAE VALETVdinis præceptiunculæ.

ERgo age quisqs eris, ſiue iſta ſequēda putabis,
Seu minus. & forſan ſplendidiora petis.
Hic quoq;, ne dubita, pars eſt tibi iuſta ſalutis
Parua etiam magnum plurima pondus habent.
Sit tibi præcipue ſimplex, & recta uoluntas,
Velle animi ſana conditione frui.
Quo ſi non ualeas, fruſtra ſeruare laboras
Corpora, quæ medicæ munere mentis egent.

Omnia

Omnia curarum ſomenta relinque, nec ullis
   Pectus habe preſſum ſollicitudinibus, De affectibus animi.
Anxia mens non ipſa ſibi, non rebus agendis Triſticia.
   Conſtat, ab hac uicium corpora ſæpe trahunt.
Hinc uariæ peſtes morborum, hinc mille figuræ,
   Crede animum noſtri corporis eſſe ducem.
Sæpe graues iſta ueniunt ex arce labores,
   Sicut ab aëreis peſtilis aura plagis.
Quære igitur, ſed honeſta, tuis ſolatia curis, Læticia.
   Quæ tibi nec ſomni, nec loca ſola dabunt.
Vtere conuiuis non triſtibus, utere amicis,
   Quos nugæ & riſus, & ioca ſalſa iuuant,
Quem non blanda iuuent uarij modulamina cantus?
   Hũc iecur, & renes, ægraq; corda ſtupent.
Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
   Afficit, ac melicæ nobile uocis opus.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
   Dulciſonum reficit triſtia corda melos.
Ira animis letale malum procul abſit, ab illa Ira.
   Mors ſæpe ingenijs corporibusq; uenit.
Turbat enim cæcaq; animos caligine uerſat,
   Et ſenſus tota cum ratione rapit.
Sicut enim tactæ ferro candente lacunæ,
   Sic motu calidi ſanguinis ira fremit.
Hinc ſubitis fractos accendit febribus artus,
   Sæpius his etiam deteriora facit.

Hinc atram ratione omni præuertere bilem
Conuenit, & cauſis non ſtatuiſſe locum.
Quid referam nimio gliſcentia gaudia motu?
Gaudium. Quid referam nimio pectora fracta metu?
Metus. Cætera quid referam, quæ mentes plurima noſtras
Euertunt, miſeris noxia corporibus?

DE HIS, QVAE AD CORPVS pertinent.

Quòd ſi uis cõſtare animo, ſtudia atq; labores
Corporis obſerua cum ratione tui.
Immodici ſenſus perturbat copia Bacchi,
Ebrietas. Inde quis enumeret, quot mala proueniant?
Corporis exhaurit ſuccos, animiq; uigorem
Opprimit, ingenium ſtrangulat atq; necat.
Sed prius in ſicca gaudebit piſcis arena,
Bacche oblite modi quàm tua damna canam.
Ergo modum præſcribe Deo tam grande nocenti,
Cum uenit accepta conditione iuuat.
Frictio. Mane relucentes caput erecturus in auras,
Et caput & corpus leniter omne frica
Tum porrò manibus puro de fonte lauatis,
Lotio. Os, oculos, dentes, purior unda lauet.
Tum comato uagos, ſed eburno pectine crines.
Comptio. Hæc cerebro res eſt non medicina leuis.
Dum licet, ante cibum ſtomacho ſine põdere, corpus
Exercit: Omne bis exerce, ſed modice & leuiter.

Prandia non adeas, niſi amor te cogat edendi, — Expectandū appetitum
Et uacuum ſtomachum noueris ante cibo.
Peius enim nihil eſt humano in corpore, quàm ſi
Miſtio diſcordans fiat uterq; cibus,
Vina ſitim, comedenda famem ſpectare decebit,
Inuito ſtomacho qualiacunq; nocent,
Bis tibi quoq; die cibus eſt ſumendus, at ille — Cibus.
Sit bene conditus, ſit leuis, & modicus.
Mœſta procul fugiant longe faſtidia menſæ, — Satietas.
Sic pota ut ſitias, ſic ede ut eſurias,
Nec propere à menſa ſtudijs intenderis unquam, — Studium à cibo.
Sed tribus, aut horis quattuor inde uaca,
Quòd ſi forte tibi quiddam dormire neceſſe eſt, — Somnus à cibo.
Altera poſt epulas fluxerit hora uide.
Ocia perturbant ſtomachum, iuuat actio, ni ſit — Ocium.
Nondum concocto turbidus ille cibo. — Exercit.
Vtiliter uegetant uocalis uerbera linguæ,
Arma, pilæ, ſaltus, teſſera, curſus, equi.
Qui bene concoxit multo ſatis ille labori eſt.
Qui male, præſcripta ſe ratione gerat. — Concoctio.
Vt peccat, ſtomachum qui mole grauauit iniqua,
Sic plerunq; nimis continuiſſe nocet.
Lotus ubi exieris thermas, fuge frigora: pranſus — Balneum.
Stare potes, modice (ſi libet) ire potes, — Quatenus
Stantis enim cibus in ſtomacho conſedit, euntis — ſtandum eun
Eſt eadem ratio, ſi pede tardus eat. — dumq;.

Mictio. Meiere profuerit, quoties ueſica laborat:
Excretio. Fece grauis uenter nec cohibendus erit.
Nec flatum retine, niſi noxia cogit honeſtas
Crepitus. Hic eſt natura præſide turpe nihil.
Ructus. Edicto uetuit crepitus ructuſq; teneri
Claudius, ò medici principis imperium.
Cœna. Eſſe magis frugi cœnam, quàm ſumptibus auctam,
Lauta quidem, ſed non fercula multa uelim.
Studium à cœna. A cœna uigilans unam ne exceſſeris horam,
Nè cerebro noceat nox uigilata tuo.
Quando dormiendum ſurgendumq; Occiduo cum Sole cubilia ſtrata ſubintra,
Tu quoq; de plumis, hoc redeunte, redi.
Sic etenim ratio naturæ ſuadet, & illas
Condidit ingenijs corporibuſq; uices.
Tempora nã ſom̃o nocturna, diurna labori
Cum daret, hæc uoluit nos data iuſſa ſequi
Sed quia tardat hyems Phœbum, quia tempore meſſis
Exorta citius luce colorat humum,
Somnus naturalis. Ipſa parens rerum tibi tres & quatuor horas
Deputat, hæc iuſtæ tempora noctis erunt,
Dormiture latus dextrum preme, mane ſiniſtrum
Ingeſtum ratio concoquit iſta cibum.
Venus. Queritis, an Veneri liceat parere uocanti?
Hic quoq; erit certus (ſicut ubiq;) modus.
Multa Venus uires exhaurit, ſpiritibuſq;
Noxia, conſumit corpora mille modis.

Rara leuat,corpusq; iuuat Venus,optima uita eſt,
Quæ neq; caſta nimis,nec nimis eſt petulans.
At tu cui ſtudij flores fructusq; petuntur,
Si poßis Venerem ſpernere,ſanus eris,
Nanq; nec Aonidum Venus improba ludit in hortis,
Nec turpes flammas Muſa pudica probat.
Ipſa gubernatrix ſtudiorum caſta Minerua eſt
Artibus ingenuis eſt inimica Venus.
Iam ne cuncta putes paruo uoluiſſe libello
Claudere,quæ nemo dinumerare queat.
Accipe conſilium,quo non eſt uerius ullum,
Atq; ita naturam dicere crede tibi.
Sanus es,& nullis confectus corpora morbis,
Et tuus es,nec te iuſſa aliena trahunt.
Nullius obſtrictus medicorum legibus eſto,
Deformet corpus nullus alipta tuum.
Quin potius uarium uitæ ſectare tenorem,
Teq; tibi ſimilem ne patiare diu
Nunc urbana potes tractare negocia,ſæpe
Rura graues caſus non habitura petes
Mille uoluptatum ſpecies tibi rura miniſtrant
Non aliquo poteris ſanior eſſe loco
Nunc timidum longa captabis arundine piſcem
Nunc udo aërium uimine fallis auem.
Nunc errare greges pecudum ſpectabis ab alto
Vertice,nunc ſyluas frigidaq; antra ſubis.

Quid agendum bene ualentibus.

Laudes & commoda uitæ ruſticæ

Nuſquam commodius, quàm uiuere rure beato,
Illa poteſt ipſos uita decere deos
Felices, quos rura iuuant, quibus illa uoluptas
Contigit, hoc optem uiuere poſſe modo.
Hac ego uel Crœſos uita mutare ducentos,
Hac aſini nolim ditia ſceptra Midæ.
Sæpe hic profuerit placidæ indulſiſſe quieti,
Sæpius, at ſanis, præſtat agenda dari.
Ignauia. *Perdit enim ualidas uecors ignauia uires,*
Labor. *Confirmat medicus reſtituitq́; labor.*
Illa ſenectutem citius quàm debuit affert,
Hic æui florem donat adeſſe diu.
Interdum thermas, interdum frigida inibis
Balnea, ſæpe unges corpora, ſæpe minus
Sæpe cibis tuto poteris uulgaribus uti,
Sæpe frequens, alio tempore ſolus eris.
Nonnunquam plus quàm decuit ſumpſiſſe ciborum,
Nunc potes audacem non habuiſſe gulam.
Vtilius multum (qui concoquit omnia) ſumit,
Nulla quidem ſanis regula certa datur.
Hæc poterunt ſeruare alacres, & corpore firmi,
Ius libertatis nullius æger habet.
Sanus es, auxilium noli conſumere morbi,
Vt ſi forte cadas, tu medeare tibi.
Nam cito deſtituunt conſumptæ corpora uires,
Reſtituunt ualidæ quamlibet ægra ſibi.

Simpli

SIMPLICIVM CIBORVM *facultates aliquot.*

NVnc tibi, quæ ratio, quæ ſit natura ciborum,
Verſibus imparibus noſter Apollo canet.
Non tamē omnigenum (quis.n. queat?) iſta fu
Præmetium meßi carmina pauca damus. (turæ
Sicut edax ignis præpinguem lampada paſcit,
Donec ſtuppa calens, quo foueatur, habet.
Poſtquam deinde ſequax flammam defecerit humor:
Ipſa per exiguo tempore tota perit.
Sic calor in noſtro bibit humida corpore, donec
Naturæ faciles ſunt alimenta cibi.
Quæ ſi deficiant rimantem cuncta calorem,
Certum eſt hoc animam depereunte ſequi.
Nanq; ubi iam, quod agat, non inuenit, efflat in auras
Materia uires deſtituente ſuas.
Illa igitur ratio eſt, quæ corpora noſtra foueri
Præcipit, & uires ſuſtinuiſſe cibo.
Nam quia diſſoluunt calor, & qui circuit, aër,
In loca, qui ſubeant, eſt opus eſſe cibos.
Qui quia ſunt uarij, nec ab una lege petendi,
Refert accipias quosue, quibusue modis.
Vtq; hinc incipiam, quoſdam quæſiſſe uidemus,
Quæ caro plus uegetet corpora, quæq; minus
Bruta feris uideo prælata domeſtica, quorum
Plus alimentorum carnibus eſſe putant.

Naturalis ratio ciborum à ſimili.

Calor & humor in corpore.

Differentia animalium.

Illa tamen durant, & fortia corpora reddunt,
Hæc ut ſana magis conſtituantur agunt.

CARNES.

Suilla. *Quis neget? utq; negat nemo, ſic prima ſuillis*
Carnibus, & merita gloria laude datur.
Hœdina. *Erepti pauidis lactentes matribus hœdi,*
Capellarum *Et multis nuper nata capella placet.*
Suilla humanæ ſimilima. *Attamen eſt ratio palmam tribuiſſe ſuillis,*
Quòd ſimiles hominum carnibus eſſe ferunt.
Quod uerum docuit rerum experientia doctrix,
Quæ potior cauſis omnibus eſſe poteſt.
Sæpe humana aliquos in uiſcera caſus adegit,
Erophilus & *Atq; homines iuſsit mandere dira fames.*
Eraſiſtratus. *Ne quid inexpertum Medicina relinqueret olim,*
Membratim uiuos execuiſſe ferunt.
Atq; ita diuinum paucorum crimine munus,
Facta (nefas dictu) carnificina fuit.
Quæ uelut è ſpacio res me tulit, ergo ſuillæ
Ouina. *Vis naturæ hominum proxima carnis erat*
Hircina. *Lanigerarum ouium ſucco peccante redundat*
Caprina. *Hircus olens itidem capraq; crimen habent.*
Bubula. *De boue ſemper edat, qui bilem deſpicit atram*
Vaccina. *Quo ſenior bos eſt, hoc caro peior erit.*
Viſcera ſi quis edit uetulæ prærancida uaccæ,
Implicitus duris febribus eſſe uolet.

Me lepus

Me lepus hyberno caulem depaſtus inhorto, **Leporina**
Quantumuis bilis terreat atra, capit.
Me tener è cæcis data præda cuniculus antris, **Cuniculina:**
Me tenerum quicquid luſtra domusq; ferunt.
Me tener hæc inter, certum licet ipſa Sciuro **Sciurina.**
Ridiculo nomen lingua latina neget.
Concoctu nimium dura eſt ceruina, ſed illam **Ceruina.**
Conditam calidis ſumere ſæpe licet.
Laudatur uitulina magis, ſed ab ubere matris **Vitulina:**
Rapta modo, eſt ueteri gratia nempe minor.
Summatim, noua ſunt ſemper meliora uetuſtis **Recentes.**
Et ſtomacho poſſunt commodiore coqui **Vetuſtæ.**
Sic maribus caſtrata, præibunt pinguia ſiccis
Quadrupedum, nec nos cætera turba mouet.
Vidi ego in arctôis impexum Tartaron oris,
Immanes auidis dentibus eſſe feras. **Victus barba**
Vidi & equina fero laniare cadauera morſu, **rorum Equi.**
Crudaq; Sauromatis fruſta fuiſſe cibum.
Quas ego non Alces immania monſtra comedi? **Alces**
Quos ego non uros, ſemiferasq; boues? **Vri.**
Dij melius tali uitam, quàm degere cultu,
Qui nihil humani, nomina præter, habet.
Nos cælo meliore ſati, meliora ſequemur:
Corporis atq; animi quo tueamur opes.
Quæ quibus adfuerint, non illis aurea deerit
Copia, nec regnum diuitis omne Midæ

Tam bene ſi ualeas animoq; & corpore, uinces,
Quæ bona cunq; homini maximus orbis habet.
Hoc poteris medicas pulchre tenuiſſe per artes,
Si modo non ſordent, hæc elementa tibi.

MEMBRA ANIMALIVM.

Ergo ubi carne famẽ pulſurus es, hoc quoq; cura
Aures. *Quid faciant ſtomacho ſingula membra tuo.*
Roſtra. *Auribus & roſtris, quæ ſunt in quoq; animali,*
Lingua. *Et caro durior eſt, & minus apta coqui.*
Lingua parum nutrit, quia laxa & ſanguine caſſa eſt
Mammillæ *Siue ſit illa auium, ſiue ſit illa boum.*
Glandes. *Mammarum de glande ferunt præſtare ſuillas,*
Renes. *Exangues renes non cito poſſe coqui,*
Cerebra. *Sæpe auidis cerebellorum pituita moleſta eſt,*
Medulla *Apte cocta tamen conuenienter alunt.*
ſpinarum. *Spinarum ſimilis cerebro ſolet eſſe medulla*
Cor, Iecur, *Dulcia guſtanti plus tamen illa ſapit.*
Lien. *Cor, iecur, atq; lien, ſucci ſum nulla ferentis*
Pulmo. *Commoda, ſed nigra corpora bile grauant.*
Concoctu facilis pulmo eſt, & laxior illis,
Inteſtina. *Sed nimio utentes phlegmate tardat ali.*
Inteſtina quoq; humorem craſſum omnia gignunt
Incondita magis, puluerulenta minus.
Cætera præſtabunt medici maiora profeßi,
Noſter in exiguo puluere ſudat equus.

AVES.

Plumigerarum auiũ ratio eſt diuerſa, quòd illæ — *Perdices.*
Digeſtu faciles, corpora peius alunt. — *Columbi.*
Ex his præcipue Perdix teneriq; columbi, — *Phaſiani.*
Et quæ de Scythico Phaſide nomen habet. — *Gallinæ.*
Gallinæq; hominum manibus data pabula paſtæ,
Coniugio pingues galle propheta tuo.
Et quas priſca ſuis celebrauit Ionia menſis, — *Attagenes.*
Ignotæ noſtras (ut reor) inter aues.
Firmius in paruis alimentum creditur, ut quas — *Auiculæ.*
Allectas paſtu retia parua trahunt.
Vocales merulæ, fringillaq; frigore gaudens, — *Merulæ.*
Et paſſer petulans, & galeata caput. — *Fringillæ.*
Sed tamen à noſtris patinis procul improbe paſſer — *Paſſeres.*
Eſſe uelis, plus te dulcis alauda placet. — *Alaudæ.*
Voce ſua melius uernabit Daulias ales, — *Luſciniæ.*
Poſſit ut ingratæ quàm cibus eſſe gulæ.
Stercoreos edat ille Epopas dirasq; Celenos, — *Epopes.*
Qui tantum poſſit non metuiſſe nefas. — *Harpyiæ.*
Inter aues Turdus qui dixit gloria prima eſt, — *Turdi.*
Quercubus Epyri uerior ille fuit.
Plus tamen hanc commendat hyems æſtate uolucrẽ,
Tunc loca iuniperis nanq; referta colunt.
Gratior autumni præpingues copia reddit,
Tunc humiles colles & loca plana colunt.

Pauones. Quid moror in paruis? menſarum gloria pauo,
Plus lauti & nitidi, quàm bonitatis habet.
Intulit hunc primus cœnis Hortenſius audax,
Ad dubites lingua doctior an ne gula.
Anſeres. Sæpe meas oneret menſas fluuiatilis anſer,
Dum diſſarcta grauet corpora pinguis adeps.
Corpora multum implet, ſed adhæret inutilis humor
Et ſtomacho inſidens uix bene digeritur.
Alæ auium. Tu tamen implumes ſapienter adederis alas,
Rectius his editur partibus omnis auis:
Anates Paruum diſtat anas, ceruice & pectore præſtans;
Dixerit ergo aliquis, cætera redde coquo.
Ciconiæ Munda ualebat edi roſtratior omnibus ales,
Grues Sed Palamedeæ præualuiſtis aues.
Cigni Qui primus docuit Phœbæos mandere Cygnos,
In Phœbum & Muſas impius ille fuit.
Sed tamen hos eadem ratio eſt imponere menſis
Quæ reliquis raro parcit aquatilibus.
Aquaticæ omnes. Omnes namq; fere ſunt deterioris eduli,
Quæ uolucrum fluuios pigraq; ſtagna colunt

FRVCTVS ARBORVM.

Nunc quid ab arboribus proſit noceatúe legẽti
Parte aliqua, tantum ſed breuiore, canam.
Nec mea glandiferas quercus nondũ orbis a-
Muſa canet, uerũ temporis huius opes. (dulti

Præci-

Præcipue autumni prægnantes diuitis hortos,
Copia quem cornu tota fluente beat.
Ergo tot inter opes regnantis fructibus anni, Ficus
Prima locum merito ficus & uua tenent. Vuæ
Vtraq; nam ſuccis implet melioribus, & nil
Quæ noceant uicij damna ferentis habent.
Alba prius, nunc rubra tuo de ſanguine Thyſbe, Mora
Humida ſunt multum, frigida mora minus.
Ante cibos guſtata alios ſunt mollia uentri,
Et ſtomacho, quamuis parua alimenta ferant.
Noxia ſunt ſtomacho Ceraſi prædulcia poma, Ceraſa
Ingerat hæc eadem ſi quis acerba, iuuant.
Illa mouent, hæc adſtringunt communiter aluum,
Vis uuas eadem rubraq; mora tenet.
Vt iuuat utilibus uentrem nux pinea ſuccis, Nuces pi-
Sic ægre uires exuit ipſa ſuas. neæ.
Perſica quisquis edes, cœnæ ſint prima uideto, Perſica
Ne noceant aliò non cito pulſa cibo.
Dulcia mala calent reliquis magis, & cito uentrem Mala dul
Reſtituunt, acidis frigidus humor ineſt. cia.
At ſtomachum firmant, aluumq; auſtera coërcent, Acida
Præcipue arboribus quæ legit alta Cydon. Auſtera
Quæ pira non leuius matura, & grandia poſſunt, Cydonia
Sed plus corporibus roboris inde uenit. Pira
Punica non implent adeo, ſed frigore lædunt, Punica
Meſpila, ut adſtringant ſorbaq; laxe uora. Meſpila

Nuces Iuglandes. Iuglandes prodeſſe ferunt, nec paſcere multum,
Paſcere auellanas plus, ualuiſſe minus.
Auellanæ. Diues amigdalino menſam ſine lacte caueto,
Amigdalæ. Pauperibus medicam non tulit ullus opem.
Pruna Damaſcena: Barbara longinquis quæ miſit pruna Damaſcus,
Ante cibos aluum ſumpta mouere ſolent.
Glandes. Si quem ſacra tui uictus Dodona iuuabunt,
Setigeri ſtomachum uellet habere ſuis.
Caſtaneæ. Caſtaneas molles patulæ ſub tegmine fagi,
Ipſe ego pro duris glandibus eſſe uelim.

LEGVMINA.

SVnt etiam uario diuerſa legumina paſtu,
E quibus audaci legimus iſta manu.
Lentes. Laxior exiguas lentes potes eſſe, ſed illis
Ater in exiguo corpore ſuccus ineſt.
Fabæ. Sæpe fabæ leni ſufflarunt corpora flatu:
Piſa. Piſa minus, bilem ſed peperere nigram
At tibi quæ clarum peperere legumina nomen,
Nomine ſunt Cicero nunc quoq; grata tuo.
Ciceres. Exhauſtis reparant genitalia ſemina membris,
Nec Venerem uires deſeruiſſe ſinunt.
Quin etiam lapidem ueſicæ ſæpe minutim,
Duriter hærentem diſſecuiſſe ſolent.
Reptilibus Cynicum ueſcatur turba lupinis,
Lupini. Immundos decuit ſordida pera canes.

Sæpe

Sæpe aliquem memini de fœno dicere græco, Fœnũ græcum.
Ante cibum ſumptum calfacit & ſoluit.
Plura nec hic opus eſt, nec uulgi poſtulat uſus,
Ergo etiam hic olerum nomina pauca canam.

OLERA.

Hortorũ lactuca decus, quia friget & humet, Lactuca.
Sæpe leues ſomnos conciliare ſolet.
Atq; ut corporibus reliqua oĩa uincit alẽdis
Sic uiui ſuccus ſanguinis inde uenit.
Cruda eſt beta, nocet, coctam ſumpſiſſe iuuabit, Beta.
Sumpta frequens ſtomachum uellicat atq; iecur.
Braſsica uentris onus bis cocta comeſtaq; ſiſtet, Braſsica.
Sed ſemel & modice cocta reſoluet idem.
Profuit hanc ſucco conſpergere pinguis oliuæ,
Lac auget, multum ſanguinis eſſe facit.
Ignauum ſine honore blitum, ſine uiribus, eſtur Blitum.
Hoc ſolo uentrem, quòd bene deijciat.
Herba ſalax eruca deæ gratiſsima amorum, Erucæ.
Sæpe uelim noſtras condiat illa dapes.
Illa leui flamma frigentes calfacit artus,
Illa leuat feſsi tædia longa thori.
Miſcueris dictam Satyrorum à moribus herbam, Satyrion.
Vrticæq; leui ſemina trita manu, Vrtica.
Hei mihi ne caſtas ſpectatum uade puellas,
Iſte furor nulla diſsimulatur ope.

Naſtur= tium. Hinc nigra quæ gelidis gaudent naſturtia riuis,
Offendunt ſtomachum, ſed Venerem ſtimulant.
Intybum Rara cibos ineunt cum dulcibus intyba maluis,
Maluæ Recte utrumq; tamen, ſi libet eſſe potes.
Atriplex Frigidus atriplicum choleræ uim diſcutit humor
Coctarum, crudis uirus ineſſe puta.

RADICES.

Nunc age quæ ſolis ualeant radicibus herbæ,
Vſibus humanis commeminiſſe iuuet.
Cõmoda multiuoris præbẽt alimenta colonis
Rapa Ruſtica proiectis eruta rapa comis.
Nam quia naturæ calidæ uim temperat humor,
Inflat, alit, Veneris dulcia bella mouet.
Bulbi Longa breues ſtomachi pellunt faſtidia bulbi,
Iamq; olim Veneri mortua membra nouant.
Humores grauido uiſcoſos pectore ducunt,
Corpora bis cocti plus aluiſſe ſolent.
Adde garum ſuccumq; oleæ, magis omnia præſtant,
Sed tamen & flatus torminaq; efficiunt.
Paſtinacæ Sunt etiam calidi menſis ſua munera Dauci,
At uitio, cocti non ſatis, eſſe ſolent.
Allium Allia ſi quantas habeant graue olentia uires,
Quæris, habe paucis, quæ meminiſſe iuuet.
Hoc hortenſe genus græci σκοϱόδ᾽ωνα uocárunt,
Hoc ceu Theriacam ruſtica turba probat.

Nanq;

Nanq; uenenatis melius uix ulla medentur
Pharmaca, ſerpentes illius arcet odor.
Morſu letifero quem læſit araneolus mus,
Hoc bibat, hoc etiam dira aconita fugat.
Præterea coctumue cibo, crudumue comeſtum,
Calfacit, & ſtomachos humiditate leuat.
Eſt tamen ex multis alijs neſcire pudendum,
Quòd nihil hoc Veneri gratius eſſe ſolet.
Verum oculis ſtomachoq; nocet, ſi copia ſumpti
Multa ſit, & ſicca conficit ora ſiti.
Vilia mordaces quamuis ſint prandia cepæ Cepæ.
Cruda tamen ſtomachi diſſoluiſſe ſolent.
Plura malis coctæ (crudas nocet eſſe) medentur,
Eſſe tamen noli, qui memor eſſe uoles.
Officiunt oculis capitati ſegmina porri, Porrum.
Interiora graui uiſcera mole premunt.
Hinc uario ſurgunt inſomnia plena tumultu,
At Venerem, ſicut talia cuncta mouent.
Præteriturus eram Raphani bona, qualibus aiunt Raphanus.
Radices inter nomen habere bonas.
Ille replet uacuam uentoſis flatibus aluum,
Ante cibos noli ſumere, crimen habet.
Attamen & laudem, ſenſus quia reddit acutos,
Et ſunt ante cibum, qui magis eſſe probent.
Fabula narratur, ſacros ab Apolline Delphos
Omnibus hunc alijs præpoſuiſſe cibis.

Raphanus aureus. Ex auro ut Raphanum ſacrarent, pondere betam
Argenti, plumbum rapa fuiſſe ferunt:
Tubera. Si quis amat uernæ redolentia tubera terræ,
Virtutis medicæ norit habere nihil.
Boleti. Lauta decent nitidæ boleti fercula cœnæ,
Sed niſi percoctis uirus ineſſe puta.
Nani neq; deſipuit qui, qualem Claudius edit,
Boletum (lepido carmine dixit) edas.
Fungi. Cui pituita placet, uel inani frigida ſucco
Pectora, fungorum milia multa uoret:
Cucurbitæ. Humida frigoribus cognataq; cucurbita, paruo
Quod uires faciat pondere corpus alit.
Pepones. Putribus hæc eadem peponum ſunt omnia ſuccis,
Sed lapidem trudunt, membraq; bile grauant.
Cucumeres. His minus humectat cucumis frigetq;, ſed idem
Et ſucco malus eſt, & male digeritur.

FRVMENTACEA.

Frumentis quoq; non eadem natura, nec idem
Eſt ſapor, ex illis pauca, ſed apta canam.
Chondrus. Nobile fiſcoſi genus eſt, nec inutile chondri,
Ptiſana. Grana ſed ut ptiſanæ uilia coctus erit.
Alica. Dulci quiſquis amas alicam confundere mulſo,
Aßimilem Chondro noueris eſſe cibum.
Pabula triticeæ frugis male cruda coquuntur,
Triticum. Robur ab artocopo condita maius habent.

Gratior

Gratior è molli ſolet eſſe ſiligine panis, Panis ſiligineus
Mox ſimilæ dotes noſtra culina probat Similaceus
Seruitijs aptas præſtabunt furfura cœnas, Furfuraceus.
His eſt per uentrem ianua laxa ſatis.
Hordea deſiccant bene fricta, ſed humida coctis Hordeaceus.
Vis erit, exiguum roboris inde uenit.
Balnea uiſurus madidas æſtate polentas, Polenta.
Ne ſitias, ſiccis faucibus ante uora,
Cætera uel nobis incognita ſunt, uel eiſdem
Viribus, & breuibus non referenda modis.

PISCES.

SEmper edat fatuos monachorum prandia piſces
Cui placet elumbis regula Pythagoræ.
Non quia piſcitium ratione probauerit ulla,
Sed quia dixit ali carnibus eſſe nefas.
Et tamen hinc, quod edam, fuerit, ne forte recuſem
Quo mea præcipue luxurioſa gula eſt. Eſox.
Nanq; nec Eſocis teneri pectuſcula ſpernam Lupus.
Mollia, nec ſapidi ſquamea terga lupi.
Me iuuet anguillæ potius bona fruſtula toſtæ Anguilla.
Mandere, quàm uetulæ uiſcera cruda bouis.
Præterea facilis non ſunt mala prandia mulli, Mullus.
Et precium cancer, ſi piper adſit, habet. Cancer.
Nec tantum è Siculo petitur murena profundo, Murena.
Omne, quod eſt uſquam, flumina noſtra ferunt

Saxatiles. Præfertur quod ſaxa colit genus omnibus unum.
Lacuſtres, Nam mala limoſi plura habuere lacus.
Fluuiatiles Præſtiterint etiam capti è fluuialibus undis
Paluſtres. Ignauis, quales unda paluſtris habet.
Pingues. Qualescunq; tamē pingues fuge, pingue uenenū eſt,
Omnibus & prauus piſcibus humor ineſt.
Phlegmatico turbant tenues humore medullas,
Sanguinis inde aliquid quis putet eſſe boni?

OVA.

Gallinarum. Veſceris, ſed adhuc à matre calentibus ouis.
Phaſianarum Optima Gallinæ Phaſiadesq; ferunt,
Trementia. Vtq; magis uires augere trementia poſſunt,
Sorbilia, Sic melius ſtomacho ſorpta uenire ſolent.
Anſerum. At quæ Tarpæi cuſtos Iouis excubat anſer,
Anatum. Quæq; parit, non ſunt optima, claudus anas.
Fricta. Fricta meis nolim contingere plurima cœnis,
Ni ſoluant acri miſta Falerna garo,

LACTICINIA.

CAſeolos niſi lactantes, & ab ubere preſſos,
Nec crebro comedas, conſuluiſſe uelim.
Inde putri mordax ueſicæ pondus adhæſit.
Gutta nec inde boni ſanguinis ulla uenit.
Lac Cynoce phalorum. Lacte ferunt Nomadum genteis uixiſſe ferino,
Et mulgere truces ſæpe Cynocephalos.
Bubulum. Paſcitur emulctis horrens niue Sarmata bubus,
Quosq; uiros propior Parrhaſis urſa uidet.

Hinc

Hinc ſua littorei miſerunt dona Suedi, Caſei Suedici
Hinc ſera flauentes Anglia caſeolos. Anglici.
Hinc quàm lata patet niuei Germania lactis Germani
Munera, præcipue Saxonis ora probat. lactis auidi.
Quiq; ſuis alacres habitant in montibus Heſſi,
Et clauſi æternis rupibus Heluetij.
Quid Phryſios referam? quid Veſtphala rura? quid
Aſſuetos placito munere lactis ali? (omnes
Corpora præcipue cum robore firmet alatq;,
Et cito condiſcat ſanguinis eſſe loco.
Hinc niuei craſſiq; æqualiter optima uirtus,
Cætera me breuitas dicere iuſſa uetat.

VINA.

PRæteriturus eram, quod præteriſſe nocebat,
In partes ſiquidem Bacche uocandus eras.
Corpore nam quicunq; uoles animoq; ualere, Craſſum.
Scire operæ precium eſt, quid queat iſte deus. Rubeum.
Omne merum uires in corpora præſtat & auget, Dulce.
Idq; magis, ſi ſit craſſius atq; rubens, Acerbum.
Dulce nocet ſtomacho, quamuis alimenta miniſtret, Album.
Conſulit huic melius quiſquis acerba bibit. Fuluum.
At minus hoc nutrit, multo minus alba, ſed omni Vetus.
Plus fuluum uino commoditatis habet. Recens.
Et ſiccum calidumq; magis uetus omni recenti eſt, Muſtum.
Difficiles etiam ſoluere muſta ſolent.

Commoda modice ſumpti.

Omnia reſtituunt cognatum uina colorem,
Et cito pars melior ſanguinis inde uenit.
Nam penetrat, parteſq; cibum partitur in omnes,
Membraq; reſtituit, quæ tenuata iacent.
Languentis pellit ſtomachi faſtidia, & auget
Eſuriem, reficit quos pituita grauat
Bile per urinas uacuat, redditq; calorem,
Exhilarat mentes, robora firma facit.
Talia uina quidem modice data, commoda præſtant.
Immodice noli ſumere, ſumpta nocent.
Vtq; frequens nocet ebrietas, ſic rara iuuabit,
Et ſumptum prodeſt euomuiſſe merum.
Inuitant ſtomachum raræ bona pocula menſæ,
Plus nimio corpus multiplicata grauant.
Quòd ſi nec fueris abſtemius, & nec aſotus,
Crede mihi punctum quodlibet inde feres.
Nec mihi Clitorio quiſquam de fonte loquatur,
Copia dum largum fundat amica merum.

CEREVISIA.

Qui docuit craſſo Cererem confundere ſucco
Huic iratus erat Bacchus, & ipſa Ceres.
Nam Peluſiaci qui laudat pocula Zythi,
Illi nec cerebrum, nec caput eſſe poteſt.
Renibus, & neruis, cerebroq; hic noxius humor.
Sæpe eciam lepræ ſemina fœda iacit.

Conclu-

CONCLVSIO.

PLura quidem potui, ſed me ceu littore abactum
Longius, immenſi terruit unda freti
Hæc quoq; quã metuo, ne me iuueniliter auſum
Plus nimio uiuis inuida fama ferat.
Sed tibi Sturtiadum clariſsima fama Georgi,
Omni parendum conditione fuit.
Nam quia iuſta tuo poteras mandare poëtæ,
Te duce, quæ potuit pondera ferre, tulit.

FINIS

MEDICINÆ
LAVS PER EOBANVM HESSVM EX ERASMO,
uerſu reddita.

Captatio beneuolentiæ.

VNICE NOSTRO *rũ ſtudij uitæq́; Sodalis,*
Hune, nec Heßiaca non memorande chely.
Vt nuper nomen medicorum in uerba dediſti,
Et nouus hæc Phœbi miles in arma uenis,
Sic petis,ut Medicæ ſcribam tibi nomina laudis,
Quis ſit diuinæ,quantus & artis honor.
Obſequor, idq́; uolens,animo tam iuſta petenti,
Quæq; bonus nemo non tribuiſſe uolet
Idq́; ego dum facio,tibi dum promiſſa feruntur,
Cauſa breuis debet carminis eſſe mei.

Narratio cũ probatione.

Si qua datis hominum debetur munere rebus
Gloria,dijs merito talis habenda fuit.

Arg.ab appoſitis.

Maxima dijs,ſiquidem cauſas mirata uetuſtas,
Artibus humanis munera parua dedit.
Non quia fictilibus dignum ſit credere Diuis,
Aut non omne,quod eſt, muneris eſſe dei.

Sed

Sed quia ſic precium rebus feciſſe uolebant,
Maior ut eximijs artibus eſſe honor.
Sic leges, ſic iuſticiam, ſic iura fidemq́;,
Munera diuorum maximus orbis habet.
Vt taceam reliquas humanis uſibus artes
Conceſſas, cœlo ſic Medicina data eſt.
Nanq́; malis certa morbis ratione mederi,
Vix hominum credi poſſe uidetur opus.
Sæpe ope præſenti fugientem ſiſtere uitam,
Diuinæ partem conditionis habet.
Plus ſatis hoc laudata, quòd ipſo munere laudis
Non eget, & proprio eſt nomine clara ſatis.
Nanq́; nec utilius quicquam, nec cuius egerent *Ab utili:*
Plus ope mortales, iuſsit habere deus.
Multa quidem fateor noſtræ data commoda uitæ,
Fortunæ in primis liberioris opes.
Sed niſi tu ualeas, animoq́; & corpore conſtes,
Horum quicquid erit, nullius uſus erit.
Vt ualeas Medicina docet, quo munere maius,
Largiri regum nullius arca poteſt.
Atq́; ut diuina res maieſtate uerenda eſt,
Laudari humano non ſatis ore poteſt.
Quod quia non potuit fieri ſermone pedeſtri,
Forſitan in uerſu gratia maior erit.
Nunc age uolue animo, circumfer in omnia mentem,
Naturæ uarias emeditare uices.

Temperamẽtorum humani corp. uarietas

Quàm ſit in humanis diſcors uariatio membris,
Non iiſdem ſemper, ſed nec ubiq; ſibi.
Nanq; tot ætatum diſcrimina corpora mutant,
Diſsimiles ſexus, diſsimilesq; ſitus.
Illos ira premit, iuuat hos clementia cœli,
Hos ſtudia euertunt, his meliora fauent.
Tot genera ut uitæ taceam, quibus omnibus una
Eſt opus, ut medica conſtituantur ope.
Quis queat herbarum tot milia dicere? plus quàm
Nomina morborum, nota trecenta ferunt.

CCC. morborũ nomina

Inde quot emanent, nulli puto dicere promptum eſt.
Tot genera in partes quis ſecuiſſe queat?
Quæ cuncta ingenio rimari atq; arte magiſtra,
Vix erit humanæ conditionis opus.

A minori

Eſt aliquid menſum certis rationibus orbem,
Et uelut artifici compoſuiſſe manu.
Maior ab ingenio Medici labor omnia præſtat.
Naturæ occultum cui nihil eſſe poteſt.

Philoſophi garruli.

Multa Scholæ poſſunt rerum decreta Sophorum
Dicere, ſed ſola garrulitate ualent.

Medici res tractant

Rebus agit Medicus, uerbis res applicat, & quod
Tantum uerbo aliquis diſputat, ipſe facit.
Ille manus audax naturæ uiribus infert,
Cogit & hanc curſus uertere ſæpe ſuos.
Ille uelut terræ fibris excludit apertis,
Quicquid & hæc extra, quicquid & intus habet

Omnia

Omnia quis referat? quot ſunt data nomina rebus,
Artibus hic credi tot ualuiſſe poteſt.
Iam ſi non pudor eſt, ſi fas eſt uera fateri,
Ars immortali eſt proxima noſtra Deo.
Sicut enim deus eſt, uitam qui donat & aufert, A ſimili.
Ablatamq́; poteſt reddere, quando libet.
Sic medicina datam ſi non infida tuetur,
Quis neget humani muneris eſſe nihil?
Priſca ſuos ſileant uanos mendacia diuos,
Magna quibus tribuunt, ſed caritura fide.
Tyndaridā in lucem reuocatam Epidaurius anguis,
Iactet Pruſiacus funera uicta ſenex.
Quæ licet à uero procul abſint, mira uideri
Poſſet ut ars, licuit tranſiliſſe fidem.
At non eſt eadem ſeruare, & reddere uitam A remoti
Gloria, & hæc propria eſt numinis, illa hominis one.
Quid tamen hoc refert, ſi qui moriturus obibat
Obtinuit medica, ne moreretur, ope?
Reſpiraſſe liquet ſupremo à funere multos, A caſu.
Fatalem caſu nec ſubiiſſe rogum.
Quod caſus paucis dedit, hoc ars prouida multis,
Mirari hanc poteras, ille ſine arte fuit.
Vt tamen hanc cœlo debemus & omnia, ſic nos
Omnibus hoc, paucis, quod dedit illa, damus,
Nam neq; diuinum uulgauit in omnia munus,
Et uoluit cunctis eſſe ſalutis opem.

Ab exemplis *Aſpice, morborum quot ſint exempla, quibuſdam*
παραλυ *Exitium præſens, ni medearis, adeſt.*
σις. *Quale quod eliſis diſſoluit corpora neruis,*
Peſtilentia. *Quale quod in uenas peſtile uirus agit.*
ἀποπληξία *Quale ubi funiſero compreſſa arteria flatu,*
Suffocat grauibus corpora lapſa modis.
Qualia multa ferunt mutantes tempora caſus,
Qualia multa ſolent corpora noſtra pati.
Omnibus auxilium medicus tulit, omnibus idem
Eſt opifex, ipſo non renuente deo.
A minori. *Qui quia naturæ docuit cognoſcere uires,*
Quod docet, hoc uti nos uoluiſſe liquet.
Quis neget ante diem multos periiſſe ſupremum,
A cauſa. *Quòd medica tangi non potuere manu?*
Milia quot Stygias innarunt ante paludes,
Quàm decuit, medicæ quòd nihil artis erat?
Milia quot degunt hodie uitalibus auris,
Quæ tantum naſci contigit huius ope?
Nam quia naſcendi diſcrimina mille fuerunt,
Mille modis hæc ars auxiliata fuit.
Quæ modo naſcentes, & ab ipſo limine uitæ.
Accipit, & certa uiuere lege facit.
Ab autori *Quòd ſi eſt eſſe deum, plures iuuiſſe, uel hoc eſt*
tate. *In medico uerum, uel ratione caret*
Non modo nanq; iuuat, uerum quoq; ſeruat & uno
Elogium duplicis nomine laudis habet.

Iam tacea

Iam taceo reliquas, quarum nec ſemper egemus. ἀπόφασις
Nec doctos omneis artibus eſſe iuuat.
Huius ubiq; opus eſt opera, ſeu corporis ægri,
Siue animi uicium contigit, illa leuat.
Sicut enim quoſdam uulgant contagia morbos,
In ſibi uicinis corpora iuncta locis. A ſimili.
Sic animo quodcunq; graue eſt in corpus abundat,
Rurſus & hoc animum perdere ſæpe ſolet.
Arte ſua ſed ubi medicus componit utrunq;,
Præſtat, ut hoc ualeat, langueat ille minus. Medicus corpus & animum curat.
Finge relegatos omnes uel ad ultima morbos
Limina terrarum, finge dolere nihil.
Qua talem ratione ſtatum defendere poßis, A difficili.
Non uideo, medicus ni tibi monſtret opem.
Ille docet, qui quenq; cibi releuent ue premant ue
Conuictus legem totius ille docet: ἀναδίπλωσις.
Res grauis eſt, & ut eſt, ſic omnibus eſſe uidetur,
Infirmo reptans curua ſenecta gradu.
Hæc ut ſera magis, magis ut iucundior adſit,
Si quæris, medici prouida cura dabit.
Deſijt eſſe ſenex uetulusq; repubuit Aeſon,
Cauſa iuuentutis Colchidos herba fuit. Ab exemplis fabuloſis.
Perpetuo iuuenem fama eſt uixiſſe Phaona,
Vnctum Pyxidibus diua Cytheri tuis.
Et ne uana morer fugientis gaudia formæ,
Solius & curam corporis eſſe uelim. Tranſitio.

Sunt etenim qui ſacra colunt, qui myſtica tractant,
Qui iubeant animos excolere, inde nihil.
Quorum ut parte aliqua tam friuola dicta refellam,
Quid ferat ars animis noſtra, uidere libet.
Ab affect. *Principio quis tam uiciorum eſt impiger hoſtis,*
Quàm medicus? quis tam ſobrietatis amans?
Plus quoq; triſtitiæ nemo moderatur & iræ,
Nemo magis Veneri temperat atq; gulæ.
Medicus animi uicia curat. *Ille docet morbos animi compeſcere primum,*
Si uolet, ut ueram ſentiat æger opem.
Is tibi ſeu uictus, ſeu rerum lege medetur,
Languida nunc atra pectora bile leuat.
Nunc cordis reficit uires, fulcitq; cerebrum
Spiritibus, lapſus corrigit ingenij.
Memoria. *Si qua iacent memori uelut inſtrumenta reponit,*
Naturam ad ſeſe corporis illa trahunt.
Quæ dum cuncta facit, dum præſtat ſingula, nunquid
Parte hominem totum ſeruat utraq; ſui?
Letargus. *Nam quos mole grauat ſomni Letargus iniqua,*
φρένησις. *Quos animo captos dira Phreneſis habet.*
Mania. *Quos Maniæ uitiũ premit, aut lymphaticus error*
Attoniti. *Quos ue malum ſydus reddidit attonitos,*
Hos qui reſtituit, num reſtituiſſe uidetur,
Quantus homo eſt aio? corpore quãtus homo eſt?
A minori. *A uicijs animum qui liberat, ille medetur*
Vix uni, medicans corpus utrunq; facit.

Fruſtra

Fruſtra erit ille animæ medicus, qui lucis egentem
Nactus, ad oppreſſum friuola uerba ferat.
Sæpius at medicus poterit reuocare labantem,
Vt ſit, curari quod queat, inde, animum.
Corporis atq; animi ſiquidem natura cohæret
Semper, & alterius poſtulat alter opem. *Corpus animi naturam ſequitur.*
Hic tamen ex illo pendet magis, omnis ab illo
Naturæ quandam tranſtulit ille notam.
Qui uolet ergo animo bene conſtanterq; ualere,
Si facit, ut ualeat corpore ſanus erit.
Quod quia nemo alia, niſi præſtitit arte medendi,
Hæc iſta potior laus memoranda fuit.
Vox diuina ſuum medicis decernit honorem, *Ab autoritate ſacræ ſcripturæ.*
Præcipit & iuſta relligione coli.
I nunc ſanctarum ſpacioſa uolumina legum,
I ueteres iacta nomina tanta ſophos,
Omnia ſunt hominum paulatim inuenta per artes,
Vt creat hanc artem, ſic docet ipſe deus.
Nam niſi mentitur, medicina eſt omnis ab illo, *Exod.38.*
Non probat hoc uno pagina ſancta loco.
Omnia deberi, qui nos genuere, fatemur, *Iterum à minoribus ad maiora.*
Quod uitam nobis hi tribuere ſemel.
Plura tamen medicis, excepto numine diuum,
Quòd uitam ſeruant ſæpius ancipitem.
Enſe minax noſtris ceruicibus imminet hoſtis,
Quem qui propellunt, dicimus eſſe pios.

Pro uita medicus tot uitæ pugnat in hoſtes,
Ingratus meritis talibus eſſe queas?
Aequali diuum reges ueneramur honore,
Quòd uitæ dominos credimus atq; necis:
Hos tamen haud aliter noſtræ, quàm quatenus illam
Eſſe ſinant, uitæ iura tenere uides.
Adde quòd haud aliam, quàm corporis, illa poteſtas
Ars dabit hæc uitam corporis atq; animi.
Iam prope rapturi ſubeuntem limina ditis,
Ad uitam domita morte redire iubet.
Exaggeratio ſuperiorum.
Sæpe utriusq; hominis uitam ſic reddit utranq;
Alterius terris, alterius ſuperis.
Officium eſt reliquis, ſi quid fuit utile, rebus,
Spectari pietas hic niſi ſola poteſt.
Adde quòd eximium quicquid deus obtulit ulli,
Vt maneat medici cura fidelis agit.
Tot claras animi, naturæ munera, dotes
Caſibus expoſitas mille uidere licet.
Vis memor, ingenium, uirtus, concordia mentis,
Sæpe fluunt medico non adhibente manum.
Morborum ſiquidem uis obruit, ut freta uentis
Concita fluctiuagas ſæpe tulere rates.
Non ſecus ac radijs cæcas Sol aureus umbras,
Morborum medicus diſpulit omne genus.
Corpus ut hoc mortale ſit immortale, quis optet?
Ars tamen hoc quadam præſtitit iſta tenus.

Nanq;

Nanq; alacrem ſeros uitam ſeruaſſe ſub annos
Quædam eciam uitæ forma perennis erat.
Rhetoras exemplis fuerat par grandibus uti,
Nos ſonus infan̄ti noſter in ore decet.
Iure igitur priſcis ars laudatiſſima ſeclis, Olim in precio fuit medicina.
Nondum corruptis moribus iſta fuit.
Tum fuit in precio, tum præmia digna ferebat,
Tum ſacra, tum magnis regibus apta fuit.
Legiferum feciſſe cibis diſcrimina Moſen Ab exemplis hiſtoricis.
Quis medica factum ſub ratione neget? Moſes.
Orphea quis neſcit medicas erraſſe per herbas? Orpheus.
Argutaq; illis accinuiſſe lyra.?
Fons ſacer ora rigans uatum diuinus Homerus, Homerus.
Hei quantis medicos laudibus ille uehit?
Quantus in herbarum memorandis uiribus idē eſt?
Moly ſacrum quanto condidit ore ſuum? Moly.
Quòd non arte ſua ſuperare uenefica Circe,
Non Ithacum poſſit detinuiſſe ſuum.
Dona uoluptifici Nepentheos inclyta ſacri,
Qualia ſint illo nemo canente rogat. Nepenth.
Pæona Phylliriden magnum, Phœbiq; nepotes,
Heroas quoties tollit ad aſtra tuba? Aeſculap.
Ille uirum multis medicum quoq; prætulit unum, Podalirius
Omnibus inſtructum poſſe latere nihil. Machaon
Plurima Pythagoras, inter quæ ſcripta reliquit? Pythagor.
Plurima, quas uires quælibet herba ferat.

Ariſtotel. Plato.

Nimirum exoſus carnes, tam cautus in herbis
Si fuit, hoc factum quo tueatur habet.
Quis uel Ariſtotelem neſcit, magnumúe Platona
Præclare medicæ conſuluiſſe rei?

Chryſippus Theophraſtus.

Chryſippum taceo, Theophraſti ſcripta leguntur,
Romanos ingens eſt numerare labor.

Mythridates Rex. Theriaca Mythridatica dicit.

Nulla magis magnum Mythridatem gloria rerum
Laudibus æternis, quàm medicina tulit.
Cuius ab ingenio quàm nobile pharmacon extet,
Sæpe minus cautè ſumpta uenena probant.
Quos Arabas, quos Chaldæos? quos dicere Perſas,
Nomina ſi libeat barbara multa, queam?

Ab exemplis Euangelicis. Ioan. 9.

Si libet exemplis uti melioribus, ipſum
Aſpice, qui medicum ſe docet eſſe, deum.
Illinit hic oculis commiſtum puluere ſputum,
Hic oleo & uino uulnera fœda lauat.
Diuerſum ille ſuis abituris iuſsit in orbem,
Hoſpitibus medicas addere ſæpe manus.

1. Timo. 5.

Dum uinum Iuueni Paulus præſcribit amato,
Parte aliqua medicus nunquid & ipſe fuit?

Thob. 11. & 12. Raphael. i. dei medicina.

Luminibus captum dum liberat arte medendi
Angelus inuenit, quod modo nomen habet.
O ſtudium cœleſte, datam diuinitus artem,
Diuinæ illæ animæ nomina cuius amant.

ἐκφώνησις

Iudicia heu peruerſa hominum, neſcire pudendum
Creditur infauſti uilia damna lucri.

Scire

Scire pudet, qua nam poßint ratione tueri
Lucrum quo maius fata dedere nihil.
Quòd ſi fortis erit, ſi uerus habetur amicus
Fortunam ſocius qui per utramq; manet,
Nemo magis fidus medico, qui tempore duro
Ipſe quoq; ut ualeas, multa pericla ſubit.
Cum fugiunt agnati omnes, hic ſolus adhæret,
Quamq; alij nequeunt, monſtrat & addit opem.
Heu nimis ingratos, opera qui tales amici
Seruati, oderunt (proh pudor) artificem.
Nam quia deſperant ſat præmia digna rependi
Poſſe, uiri uultus ſuſtinuiſſe graue eſt
Si quis ab utilibus precia æſtimet, hæc quoq; rerum
Inferior nulli eſt quæſtibus atq; lucro
Quanquam maior erat, quàm qui ratione ſileri
Vlla diuinæ debeat artis honor.
Pauca tamen referam, nec enim fuit ulla per omnes
Cogendis ſubito fructibus uberior.
Præmia ſi memorem, quibus illam pendere Reges
Sint ſoliti, nullam dicar habere fidem:
Quem tu donaris centum Ptolemææ talentis,
Antiochum patrem conſule, certus eris.
Pluris Alexander Critobulum fecit, & auxit
Diuitijs, quales dicere muſa fugit.
Portentoſa quidem res eſt, ſed uera relatu,
Roma quibus medicos quæſtibus extulerit.

Bonus medicus amicus fidißimus.

Quæſtuoſa medicina.

Exem. quæſtus medic.

Ptolemæus

Alexand.

VI. M. CCL. *aure-*

…orum medici annuum ſalarium. Plin. Bud.

Quinquaginta ſuper ſeſtertia pone ducentis,
Annua quæ medicis prodiga Roma dedit
At bene ſi numeres ſex hæc tibi milia nummûm,
Pluſq; ferunt æris, quod uehit unda Tagi
Quid tamen hæc priſcis iuuet extraxiſſe latebris
Præſentem faciunt tempora noſtra fidem.
Nam quot in hoc numero Crœſiq; Midæq; coactis
Diuitijs audent Regibus eſſe pares?

Hodie quoq; opulenti medici.

Vtq; ferunt, aliæ flores ſine fructibus artes,
Sic hæc largiflua præſtat utrunq; manu.
Frigebunt ſteriles Muſæ, ſine nomine Rhetor
Fruſtra pro ſola laude diſertus erit.

Omnes artes ſteriles præter medi.

Muſicus ut cantu ſuperet Sirenas, egebit.
Ingenioſa licet, nuda matheſis erit.
Hæc & plura, aliquo niſi ſint inſignia cultu.
Vrgentem poterunt uix pepuliſſe famem.
Ipſa ſuos ægre ditabunt iura profeſſos,
Ni fuerint ſummis artis honore pares.
Adde quòd è ſacris raro grauis arca paratur
Viuere nam recte nemo libenter emit.

Poëtica. Muſica. Mathemat. Iuris pruden. Theologia.

Sola ſuos facili cultores arte tuetur,
Extulit in famam quos medicina ſemel.
Illa breui magnos explorat tempore quæſtus,
Et ſolo inmenſas nomine conflat opes.
Quin etiam terris non omnes omnibus artes,
In precio lucri fertilis inſtar habent.

Sarmati

Sarmaticis Rhetor fugiet deriſus ab oris, *Vbiq; in precio medi.*
Cognitio eſt legum limite clauſa breui.
Ipſe ſuæ redeat patriæ diuinus Homerus,
Ipſum ſe ſuperet carmine, pauper erit.
Heu æuum inſipiens, heu barbara ſecula, felix
Cui tales naſci contigit ante dies.
Non tamen iſta queri fuit hic opus, omnibus artes
Cum pereant aliæ gentibus, una manet.
Vna ubicunq; ſatis præſtat medicina lucelli
Terrarum, quamuis ad Garamantas eas.
I pete climatibus contraria climata noſtris
I pete cœliuagi Solis utrunq; larem.
Inuenies, quo mox diteſcas fœnore, uitam
Nam petet, & medica gens eget omnis ope.
Hoc quoq; ſunt ipſum qui dicant eſſe pudendum, *Confutatio.*
Immodicos quæſtus quòd medicina ferat.
Verum, ſed meritis benefacta rependere nullis, *Correctio.*
Hoc opus ingrati, & iuſta negantis erat.
Hanc Cato damnauit nimium Romanus, at ipſum
Conueniens duris moribus illud erat.
Sunt quoq;, qui medicos impune occidere clamant,
Quod poterant, uirtus non uoluiſſe fuit.
Iam miſerum eſt medici præſcriptis uiuere (ut aiunt)
O uocem, furias quæ decuiſſe queat.
Scilicet enerues hebetari profuit artus, *εἰρωνία*
Mille uoluptatum deſidiæq; modis.

Sed quid opus tales uerbis conuellere cauſas,
Quę ſine iudicio pondus habente cadunt?
Nanq; graues arti pœnas hi ſæpe dederunt,
Qui tantum probris impetiere decus.
Quòd ſi ſunt aliqui (ſicut ſunt multa malorum
Milia) qui tantum nomine ſunt medici.
Ecquid iniquius eſt, hominum quàm moribus artem
Arguere, & laudem criminis eſſe loco?
Sententia. *Nulla eſt relligio, tam ſancta profeſſio nulla eſt:*
Quæ nullos habeat ſuſtineatq; malos.
Quis dabit, ut qualem uotis optare ſolemus,
Contingat princeps; hic & ubiq; bonus?
Ergo ne maieſtas damnanda eſt nominis huius
Si ſit paucorum crimine facta nocens?
Omnibus haud noceat quoſdam peccaſſe fateri.
Peccârunt homines, ars ſine fraude fuit.
Quis non & medicum Muſis, & Apolline dignum,
Et plenum numeris omnibus eſſe uolet?
Quem ſi forte neget noſtræ fortuna ſaluti,
Huc tamen eniti, poſſit ut eſſe, decet.
Et poterat, tantum uideatur poſſe, nec huius
Molis iners ratio pondere uicta cadat.
Et multi potuere, & ab huius nomine laudis,
Condecorant noſtros milia multa dies.
Sed quis erit modus? & quem finem noſtra uidebunt
Carmina, ſi quæ ſunt, ſcribere plura uelim?

Et portum

Et portum uideo, & longum mare reſtat eundum,
Sed quia præſtiterat, littora prima petam.
Si placida antiquis acceßit gratia rebus, Epilogus.
Hac nihil antiquum nouimus arte magis.
Si bonus inuentis precium dedit artibus autor,
Artifices fama eſt hanc reperiſſe deos.
Si uenit grauitas ab honoribus ulla peractis.
Diuinis meruit laudibus illa coli.
Si ſunt in precio, quæ magnis digna uidentur,
Semper apud Reges maxima uiſa fuit.
Si quod difficile eſt, pulchrū quoq;, pulchrius hac eſt
Cum ſit & hac uſu grandius arte nihil.
Si ſpectare libet quid poßit, quanta facultas,
Hæc fugientem animam ſola tenere poteſt.
Si quid ineſt rebus quiddam quod ſæpe neceſſe eſt
Nulla ſub hanc tantum gloria laudis habet.
Si uirtus ſpectanda, quid eſt uel honeſtius uſquam
Quàm ſeruare hominem, qui periturus erat?
Si quis ab utilibus uenit fauor, omnibus huius
Vt fuit & maior, gratior uſus erat.
Ex animo talem ergo animum tibi gratulor Hunc Concluſio ad amicum.
Tam bona qui potuit deligere iſta ſibi.
Perge modo, & totis incumbere uiribus aude,
Vnde nouus ſtudijs iam tibi ſurgit honor,
Vnde tibi faciles texunt noua ſerta Napeæ,
Iſta quidem uario germine floret humus:

Hoc iter ad Muſas ego te comitabor euntem,
Hæc quoq; (ſi neſcis) proxima ad aſtra uia eſt.
Hæc tibi diſparibus cecini dictata camœnis,
Dum ſubita medicus ludit Apollo chely.
Quæ quantum nobis, tantum debebis Eraſmo,
Qui prior omnibus hæc, ſed ſine lege dedit.
Nos prius eximie culto ſuccidimus horto
Parte bona, quæ nunc pauca, ſed apta uides,
Addidimus quoq; ceu noſtro de flore corollas
Quarum lecturos non puduiſſe queat.
Et ne caſſa modo paßim, & ſine lege iacerent,
Legimus, & numeros iußimus eſſe. Vale.

FINIS

Chorus

CHORVS ILLVSTRIVM MEDICORVM IN MVSAEO STVRTIADAE PICTVS ERPHVRDIAE.

APOLLO.

A rua Ceres, uineta coli monſtrauit Iacchus,
Mercurius citharam, Lemnius arma dedit.
Multa alij diuum, Medicina inuentio noſtra eſt,
Omnibus hæc maius gloria nomen habet.

IDEM.

Tæla triſulca Iouem, Cererem ſeges, ebria Bacchum
Vina, deos inter nos medicina locat.
Illi ſæpe nocent, quas inuenere, per artes,
Quam ſæpe illæ adimunt, ars mea reddit opem.

AESCVLAPIVS.

Quas pater inuenit, per me dedit omnibus artes,
Creditus hinc uiuo corpore numen eram.
Abſtulit iratus uitam mihi Iuppiter illam,
Quam reddi toties non tulit arte mea.

PODALIRIVS.

Sæpe meas ſenſit uires Argiua iuuentus,
Fluminis ad ripas inclyte Xanthe tui.
Ex patre me Phœbo fecit fortuna nepotem:
Nec te diua mi nympha Coroni pudet.

MACHAON,

Me quoq;, qua fratrem Podalirion, arte medentem
Vidit ad Idæos Græcia tota lares.
Vera loquor, nec me tacuit diuinus Homerus,
Curaſſe artifici uulnera multa manu.

CHIRON.

Herbarum uires magnum cognoſcere Achillem
Et blanda docui concinuiſſe lyra.
Debet & ipſe ſuas nobis Epidaurius artes,
Cui ſedem Latij Tybridis unda dedit.

HIPPOCRATES.

Primus ego obſcura medicinam nocte ſepultam,
In lucem ueris artibus adſerui.
Nec mihi cuncta parem uiderunt arte medendi
Secula, quæq; manent, quæq; fuere prius.

GALENVS.

Dempſeris Hippoeratem medicorū primus habebor
Debeo multa illi, debet & ille mihi.
Nam quæ nota parum reliquis dedit, omnia feci,
Mille libris claro lucidiora die.

IDEM.

Hippocratem magnum breuis inſula, me dedit ingēs
Terra Aſiæ, plus nos ſcripſimus, ille minus.
Ille elementa dedit, nos inde extruximus arcem,
Quam ſeruat medici præſul Apollo chori.

PAVLVS AEGINETA.

Nos lege qui magni cupis aurea ſcripta Galeni,
Tramite difficili non remorante ſequi.
Illius æquârunt immenſa uolumina uires,
Omnia ſed curſu nos breuiore damus.

ASCLEPIADES.

Rhetor eram, ſed me locupletem ex paupere fecit,
Curandi ratio corpora more nouo.
Extinctam poſito reuocaui à funere uitam,

Et fortuna meo nomine uicta dolet.

ERASISTRATVS.

Tabuit illicito Stratonices igne nouercæ
Antiochus, tacito certus amore mori.
Arte mea iuueni deprehenſo gratia patris
Obtulit uxorem, quæ modo mater erat.

EROPHILVS.

Primus uenarum docui cognoſcere motus,
Quemlibet ætatis pro ratione ſuæ.
Noſtra feſelliſſet nec quenquam muſica, ſi non
Plus nimio uiſum grande fuiſſet opus.

CRITOBVLVS.

Fama clarus eram Macedum ſub Rege Philippo,
Artis opem fidæ cui mea dextra tulit.
Nanq; oculum dubia percuſſo forte ſagitta,
Absq; nota formam luminis adſerui.

PHILIPPVS.

Triſtis Alexandro ſuſpectum littera fecit.

Ne bibe

Ne biberet noſtra pocula miſta manu.
Ebibit ille prius, tum ſcriptum porrigit ultro,
Tanta me dignum credidit eſſe fide.

DIOSCORIDES.

Tempore quo Pharijs Antonius ignibus arſit,
Prælatus medica pluribus arte fui.
Debet adhuc noſtris rerum natura libellis,
Quòd tum tot pauci non potuere mori.

PRODICVS.

Plus alij penetrabilibus tribuere uenenis,
Sordidus ingenio debet alipta meo.
Me prius inſolitum uectigal principe factum eſt
Vnde ſuæ medicis conueherentur opes.

CREON.

Mille ego cum uarijs releuarem corpora morbis,
Nulla niſi experto cura probata mihi eſt.
Sed noua, caſſa fide, ne res autore careret,
Fama Agrigentini fecerat Empedoclis.

CRITIAS.

Cuncta Mathematica fieri ratione probaui,
Inſpexiq; leues ſemper ephemeridas.
Facta meis opibus patriæ monumenta reliqui,
Quæ puto Maſsyliam nunc quoq; poſſe loqui.

CHARMIS.

Cuncta ego damnaui medicorum ſcita priorum,
Tam placuit nouitas ambitioſa mihi.
Frigida brumali ſub ſydere balnea feci,
Ars tamen inuenit prodigioſa fidem.

THESSALVS.

Qui legis Iliaci tot milia ſcripta Galeni,
Ne mirere meum nomen ubiq; legi.
Nam mea ſi ueterum potuiſſet parcere ſcriptis
Lingua, peperciſſet forſan & iſta mihi.

AVICENNA.

Si mihi non nocuit, quòd Arabs, quòd barbarus eſſe,
Ne fierem medicæ gloria magna rei.
Cur mea barbaries noceat mihi reddita uerſo,
Ne legar? & patria uoce diſertus eram.

VECTIVS VALENS.

Clarus eram medicas quæſita laude per artes,
Nec minus eloquij munere clarus eram.
Regia paſſa nefas coniux mihi nomina fecit,
Quæ cuperes Claudi clara fuiſſe minus.

ANTONIVS MVSA.

Poſterior nulli ueterum ratione medendi,
Omnibus Auguſti maior honore fui:
Sunt qui me dicant Muſas odiſſe Maronis,
Cur igitur falſo nomine Muſa fui?

PLINIVS.

Quicquid in arcanis naturæ ſenſibus unquam,
Aut fuit, aut nunc eſt, aut erit, omne meum eſt,
Talem ſe noſtro debet medicina labori,
Qualis naturæ prodit ab uberibus.

CORNELIVS CELSVS.

Dictantes medici quandoq; & Apollinis artes,
Muſas Romano iuſsimus ore loqui.
Nec minus eſt nobis per pauca uolumina famæ,
Quàm quos nulla ſatis bibliotheca capit.

Q. SERENVS.

Miſta ſalutiferis celebraui pharmaca Muſis
Hæc quoq; (ſi neſcis) carmina Phœbus amat.
Stulte quid argutis garris non eſſe poetis.
Iſta uelut uetita ſacra ferenda manu?

MACER.

Illuſtrata meo, medicina eſt carmine, nec uis
Herbarum, quæ me fugerit, ulla fuit.
Nec puduit ſcripſiſſe olim, nunc pœnitet, ex quo
Non habet hæc ætas, quæ mea ſcripta legat.

τέλος.

CHORVS MVSARVM IN EODEM.

CLIO I.

Sacri prima chori Muſarum præuia Clio,
Addo ſuam rebus temporibusq́; fidem.

EVTERPE II.

Me chorus Euterpen, quia ſum iucunda uocârunt,
Et mea plus alijs fiſtula dulce canit.

THALIA III.

Quòd me ceu uiridi ſpaciantem cernis in horto,
Floribus æternis apta Thalia fui.

MELPOMENE IIII.

Melpomene reliquas ſupero dulcedine cantus,
Sunt qui me tragicis moribus eſſe putent.

TERPSICHORE V.

Terpſichore citharam pulſo ducoq́; choreas,
Hinc me Sirenas progenuiſſe ferunt.

ERATO VI.

Quamuis caſta Erato caſtis aſpiro poetis,
In ſua uota tamen me uocat omnis amans.

POLYHYMNIA. VII.

Aucupor innumeris Polyhymnia cantibus aures,
Aeternumq; canunt organa noſtra melos.

VRANIA VIII.

Vranie cœleſte genus cœleſtia canto,
Eſſe deos facio, qui mea regna colunt.

CALLIOPE IX.

Vox bona Calliope Muſarum maxima dicor,
Singula ſunt alijs, omnia tota mihi.

τέλος.

HELII EOBA
NI HESSI POETAE
Elegiæ Tres.

De Schola Norica, ad Bartholomæum Bacchium.
In Auſpicio Scholæ propoſitum Carmen.
In inuidum quo intentatæ calumniæ reſpondet.

INVIDIAE.

Hic oculis opus eſt iterum tibi Liuide, ſi qua
Dentibus occurrat præda parata tuis
Sed puto, ni rodas tua pectora, ut ante ſolebas
Hic miſer extrema conficiere fame.

AD BARTHO LOMAEVM BACCHIVM CIVITA TIS IOACHIMICARVM *Vallium ab Epiſtolis, de Schola Norica, Eobani Heßi Carmen.*

CLARE VIR, ET NOſtro dici digniſsime uerſu
  Ingenio fœlix Bartholomæe tuo.
Verus amor, ſyncera fides, & recta uoluntas
  Talem te nobis, qualis es, eſſe docent
Qui licet infida diſtemus ſorte locorum
  Parte ſimul noſtri nobiliore ſumus
Sicut enim ſpeculum reddit ſimulachra renidens
  Sic animi faciem littera teſtis habet
Littera te nobis primum tua fecit amicum
  Me tibi coniunctum littera noſtra dedit
Gratulor oblatumq; libens amplector amorem
  Cuius in hoc nullus pectore finis erit
Nam tua ſic pietas & libera facta merentur
  Non tantum noſtro tempore digna legi

Scribis ut indicijs cupias cognoſcere noſtris
  Nuper ut hic cœptæ ſit noua forma Scholæ
Ne teneam cupidas longis ambagibus aures
  Accipe complexu plurima facta breui
Hic ubi flauentes uiridis Pegneſus arenas
  Aeſtuat & fluuio Norica rura ſecat
Lauriger ipſe locum Muſis delegit Apollo
  Quàm placidum conſtat non habuiſſe prius.
Namq; ut erant toto ſuperantibus orbe fugatæ
  Hoſtibus, & profugis nemo ferebat opem
Conſtiterant mœſtæ procul in Pegneſide ripa
  Auſa loci quædam quærere nomen erat
Norica, Phœbus ait, ſita ſunt hic mœnia, per quæ
  Pegneſus placido labitur amne grauis.
Hic propere audito Pegneſi nomine, Muſis
  Credita laurigeri Peneos unda fuit
Nec mora littorea contextis fronde coronis
  Carmina populifer concinit iſta chorus
Hic domus, hic requies, hic ſunt Peneia Tempe
  Hoſpicium noſtræ ſit locus iſte fugæ
Audijt ipſe loci Genius ſubitoq; uolentes
  Quod datis accipimus, nam placet omen, ait
Dixit & ingenijs Muſarum immiſit amorem
  Quæ populi curas huius & urbis agunt
Nunc igitur fatis Vrbs Norica ducta benignis
  Hoſpitio Muſas liberiore fouet

Et fortuna meo nomine victa dolet.

ERASISTRATVS.

Tabuit illicito Stratonices igne nouercæ
Antiochus, tacito certus amore mori.
Arte mea iuueni deprehenſo gratia patris
Obtulit uxorem, quæ modo mater erat.

EROPHILVS.

Primus uenarum docui cognoſcere motus,
Quemlibet ætatis pro ratione ſuæ.
Noſtra feſelliſſet nec quenquam muſica, ſi non
Plus nimio uiſum grande fuiſſet opus.

CRITOBVLVS.

Fama clarus eram Macedum ſub Rege Philippo,
Artis opem fidæ cui mea dextra tulit.
Nanq; oculum dubia percuſſo ſorte ſagitta,
Absq; nota formam luminis adſerui.

PHILIPPVS.

Triſtis Alexandro ſuſpectum littera fecit.

Ne biberet noſtra pocula miſta manu.
Ebibit ille prius, tum ſcriptum porrigit ultro,
Tanta me dignum credidit eſſe fide.

DIOSCORIDES.

Tempore quo Pharijs Antonius ignibus arſit;
Prælatus medica pluribus arte fui.
Debet adhuc noſtris rerum natura libellis,
Quòd tum tot pauci non potuere mori.

PRODICVS.

Plus alij penetrabilibus tribuere uenenis,
Sordidus ingenio debet alipta meo.
Me prius inſolitum uectigal principe factum eſt
Vnde ſuæ medicis conueherentur opes.

CREON.

Mille ego cum uarijs releuarem corpora morbis,
Nulla niſi experto cura probata mihi eſt.
Sed noua, caſſa fide, ne res autore careret,
Fama Agrigentini fecerat Empedoclis.

CRITIAS.

Cuncta Mathematica fieri ratione probaui,
Inſpexiq; leues ſemper ephemeridas.
Facta meis opibus patriæ monumenta reliqui,
Quæ puto Maßyliam nunc quoq; poſſe loqui.

CHARMIS.

Cuncta ego damnaui medicorum ſcita priorum,
Tam placuit nouitas ambitioſa mihi.
Frigida brumali ſub ſydere balnea feci,
Ars tamen inuenit prodigioſa fidem.

THESSALVS.

Qui legis Iliaci tot milia ſcripta Galeni,
Ne mirere meum nomen ubiq; legi.
Nam mea ſi ueterum potuiſſet parcere ſcriptis
Lingua, pepercisſet forſan & iſta mihi.

AVICENNA.

Si mihi non nocuit, quòd Arabs, quòd barbarus eſſē,
Ne fierem medicæ gloria magna rei.
Cur mea barbaries noceat mihi reddita uerſo,
Ne legar? & patria uoce diſertus eram.

VECTIVS VALENS.

Clarus eram medicas quæſita laude per artes,
Nec minus eloquij munere clarus eram.
Regia paſſa nefas coniux mihi nomina fecit,
Quæ cuperes Claudi clara fuiſſe minus.

ANTONIVS MVSA.

Poſterior nulli ueterum ratione medendi,
Omnibus Auguſti maior honore fui.
Sunt qui me dicant Muſas odiſſe Maronis,
Cur igitur falſo nomine Muſa fui?

PLINIVS.

Quicquid in arcanis naturæ ſenſibus unquam,
Aut fuit, aut nunc eſt, aut erit, omne meum eſt,
Talem ſe noſtro debet medicina labori,
Qualis naturæ prodit ab uberibus.

CORNELIVS CELSVS.

Dictantes medici quandoq; & Apollinis artes,
Muſas Romano iuſſimus ore loqui.
Nec minus eſt nobis per pauca uolumina famæ,
Quàm quos nulla ſatis bibliotheca capit.

Q. SERENVS.

Miſta ſalutiferis celebraui pharmaca Muſis
Hæc quoq; (ſi neſcis) carmina Phœbus amat.
Stulte quid argutis garris non eſſe poetis.
Iſta uelut uetita ſacra ferenda manu?

MACER.

Illuſtrata meo, medicina eſt carmine, nec uis
Herbarum, quæ me fugerit, ulla fuit.
Nec puduit ſcripſiſſe olim, nunc pœnitet, ex quo
Non habet hæc ætas, quæ mea ſcripta legat.

τέλος.

CHORVS MVSARVM IN EODEM.

CLIO I.

Sacri prima chori Muſarum præuia Clio,
Addo ſuam rebus temporibusq́; fidem.

EVTERPE II.

Me chorus Euterpen, quia ſum iucunda uocârunt,
Et mea plus alijs fiſtula dulce canit.

THALIA III.

Quòd me ceu uiridi ſpaciantem cernis in horto,
Floribus æternis apta Thalia fui.

MELPOMENE IIII.

Melpomene reliquas ſupero dulcedine cantus,
Sunt qui me tragicis moribus eſſe putent.

TERPSICHORE V.

Terpſichore citharam pulſo ducoq́; choreas,
Hinc me Sirenas progenuiſſe ferunt.

ERATO VI.

Quamuis caſta Erato caſtis aſpiro poetis,
In ſua uota tamen me uocat omnis amans.

POLYHYMNIA. VII.

Aucupor innumeris Polyhymnia cantibus aures,
Aeternumq; canunt organa noſtra melos.

VRANIA VIII.

Vranie cœleſte genus cœleſtia canto,
Eſſe deos facio, qui mea regna colunt.

CALLIOPE IX.

Vox bona Calliope Muſarum maxima dicor,
Singula ſunt alijs, omnia tota mihi.

τέλΘ.

HELII EOBANI HESSI POETAE
Elegiæ Tres.

De Schola Norica, ad Bartholomæum Bacchium.
In Auſpicio Scholæ propoſitum Carmen.
In inuidum quo intentatæ calumniæ reſpondet.

IN VIDIAE.

Hic oculis opus eſt iterum tibi Liuide, ſi qua
Dentibus occurrat præda parata tuis
Sed puto, ni rodas tua pectora, ut ante ſolebas
Hic miſer extrema conficiere fame.

AD BARTHO LOMAE VM BACCHIVM CIVITATIS IOACHIMICARVM

Vallium ab Epiſtolis, de Schola Norica, Eobani Heſſi Carmen.

CLARE VIR, ET NOſtro dici digniſſime uerſu
Ingenio fœlix Bartholomæe tuo.
Verus amor, ſyncera fides, & recta uoluntas
Talem te nobis, qualis es, eſſe docent
Qui licet infida diſtemus ſorte locorum
Parte ſimul noſtri nobiliore ſumus
Sicut enim ſpeculum reddit ſimulachra renidens
Sic animi faciem littera teſtis habet
Littera te nobis primum tua fecit amicum
Me tibi coniunctum littera noſtra dedit
Gratulor oblatumq; libens amplector amorem
Cuius in hoc nullus pectore finis erit
Nam tua ſic pietas & libera facta merentur
Non tantum noſtro tempore digna legi

Scribis

Scribis ut indicijs cupias cognoſcere noſtris
  Nuper ut hic cœptæ ſit noua forma Scholæ
Ne teneam cupidas longis ambagibus aures
  Accipe complexu plurima facta breui
Hic ubi flauentes uiridis Pegneſus arenas
  Aeſtuat & fluuio Norica rura ſecat
Lauriger ipſe locum Muſis delegit Apollo
  Quàm placidum conſtat non habuiſſe prius.
Namq; ut erant toto ſuperantibus orbe fugatæ
  Hoſtibus, & profugis nemo ferebat opem
Conſtiterant mœſtæ procul in Pegneſide ripa
  Auſa loci quædam quærere nomen erat
Norica, Phœbus ait, ſita ſunt hic mœnia, per quæ
  Pegneſus placido labitur amne grauis.
Hic propere audito Pegneſi nomine, Muſis
  Credita laurigeri Peneos unda fuit
Nec mora littorea contextis fronde coronis
  Carmina populifer concinit iſta chorus
Hic domus, hic requies, hic ſunt Peneia Tempe
  Hoſpicium noſtræ ſit locus iſte fugæ
Audijt ipſe loci Genius ſubitoq; uolentes
  Quod datis accipimus, nam placet omen, ait
Dixit & ingenijs Muſarum immiſit amorem
  Quæ populi curas huius & urbis agunt
Nunc igitur fatis Vrbs Norica ducta benignis
  Hoſpitio Muſas liberiore fouet

Fœlicem populum ſi quo modo pectore cœpit
Hoc ſtudijs pergat conſuluiſſe bonis
Pergit, & hoc animo tantos inſtaurat honores
Deſerat ut nunquam quod bene cœpit opus
Namq; nec abiectæ hic triuijs popularibus artes
Muſica nec uili pro ſtipe caſtra merent
Prouida delegit uenerandi cura Senatus
Tam qui recta ſciant, quàm docuiſſe queant
Et ſi non ſumo mihi nominis huius honorem
Hic tamen & laudis pars habet iſta locum
Et quia multa cupis, nec poßumus omnia, ſaltem
Dum licet ex multis pauca referre libet
Nam quod ad ingenij cultum uitæq; tenorem
Pertineat, poßis dicere abeſſe nihil
Quis neget eximium, magniq; per omnia fructus
Munera linguarum perdidiciſſe trium?
Demus ut hoc, Romana parum eſt nouiſſe negoci
Quanquum ô, ſed libitum ſit potiora ſequi
Hic licet Argolicos herbis ſpirantibus hortos
Intrare, atq; auida diripuiſſe manu
Sed tibi nec fuerit fama hæc Ioachime pudori,
Laus ea, ſeu nolis, eſt tua, ſiue uoles
Sicut & Hebrææ qui tradunt commoda linguæ
Parte bona laudum qua ueherentur, erat
Ipſe ego, cuius habel Germania ſcripta legitq;
Tot modo, ſiue aliqua eſt, ſiue ea fama nihil

Ipſe

Ipſe ego qui calamo primus rude carmen agreſti
Teutonicis luſi, temporibusq; meis
Quem nunc carminibus Nymphæ Pegneſidos oræ
Laſſantem reſonis plectra canora, ſtupent
Gratulor huc fatis me ſic uolentibus actum
Qua Muſæ ſpiret lenior aura meæ
Vnde loco forſan ueſtitior exeat olim
Ingenij ſiquidem ueſtis egere uides
Atq; utinam tales habuiſſem ſemper amicos
In ſtudijs quales obtulit iſte locus
Nunc tamen, ut quod opus cœpit mea Muſa ſequatur
Munere naſcentis fungor & ipſe ſcholæ
Carmina Minciadis meditor diuina poetæ
Non tantum pueris carmina digna legi
Tum, ſi fata ferant, uictura poemata pango
Multa, legenda breui, ſicut & iſta legis
Viuere ſic igitur dum poſt mea fata laboro
Dum colo ſurgentem nomine reque Scholam
Rhetoricos alij campos & amœna uireta
Luſtrantes, cupidis florea ſerta legunt
Quæ ſtudioſa ſui defert Ciceronis honori
Nunc numeris pubes talibus auſa loqui
Hic tibi, grammaticæ quid enim præcepta morentur?
Pulchre eſt è ſeptem culta ſecunda ſoror
Callida difficiles Dialectica ſoluere nodos
Nec minus occultas tendere docta plagas

Hanc prius inſani miſere afflixere Sophiſtæ
Reddita ſed cultu nunc meliore nitet
Quàm nunc noſtra tibi debet Rotinge *iuuentus*
Micale, nec noſtræ tu reticende chely
Sed memor iſtà pium nobis peperiſſe Philippum
Commoda, diſpeream ſi tacuiſſe queam
Hic monſtrant uario ſcrupuloſa mathemata flexu
Quicquid opus rerum totius orbis habet
Quorum cum ſtudioſa ſua ſit ſponte iuuentus
Norica, præcipuus debuit eſſe labor
Ergo ſeu ratio ſtellarum incerta uagantum,
Seu uagus inſtabilis te mouet ordo rotæ
Deuia multiplicis uis noſſe uolumina ſphæræ
Vis maris & terræ, nomina, regna, uias,
Diſpeream ſi te noſtram quæſiſſe palæſtram
Pœniteat, tam ſunt omnia certa tibi
Tam uir ad eximias ceu factus contigit artes
Penè Syracuſium uicerit arte ſenem
Et niſi in hoc uerſu non ſit tractabile nomen
Illius haud quaquam præteriturus eram
Nec tibi ſanctorum deerunt myſteria uatum
Quicquid & ad Chriſtum littera ſacra docet
Quæris an hiſtoriæ ſit & hic locus, eſt quoq́;, ſi quæ
Nomina res Macedum regis habere putas
Fortis Alexandri ſiquidem nos facta docemus
Forſan & à Quinto, Liuius alter erit

Viuendi præcepta petis? Cicerone diſerto
Qui melius poſſet ſcribere, nemo fuit
Viuendi præcepta loquor ciuilia, uerum
Tu monſtras ueræ Chriſte ſalutis iter.
Præterea ſtudia exercet ſibi tradita pubes
Pectora quo uirtus æmula ſemper agat
Nunc etenim filo connectunt uerba pedeſtri
Nunc eadem certa conditione ligant
Omnia quis uolet? & ſi perſequar omnia dicar
Plus quàm debuerim complacuiſſe mihi.
Sed mihi nec placeam, tibi nec placuiſſe laborem
Omnia in ſcripto ſint potiora meo
Quod niſi mens alias fallit præſaga futuri
Hæc Schòla Germanæ gloria laudis erit
Hoc ſuperum Rex ipſe uelit ſuccedere Chriſtus
Semina qui ſtudijs talibus iſta dedit
Qui tales animos in Norica pectora miſit
Incœptam meritis augeat ille Scholam
Viue Vale, pars noſtræ animæ, chariſſime Bacchi
Meque tuos inter quemlibet eſſe ſine

IN AVSPICIO SCHOLAE PROPOſitum Carmen, Recognitum & nonnihil auctum.

VT tibi ceu reducem monſtrãt hæc ſecula Chri-
Illius & clara dogmata luce nouant (ſtũ
Sic ſtudijs adimunt reparatum nuper honorẽ
Muſarum & totas depopulantur opes
Cernis enim quantis oppreſſæ cladibus artes
Quã iaceant, quàm uix languida membra trahãt
Quòd ſi non pudeat, quod res eſt ipſa, fateri
Grandior hæc ſtudijs nulla ruina fuit
Tanta quidem multi gemuerunt uulnera, pauci
Dignantur medicas applicuiſſe manus
Nunc tamen ex paucis Vrbs Norica prima fuiſti
Quæ Muſarum animas non paterere mori
Quæ uelut exulibus patriam repararis, habetq;
Te duce ſperatam naufraga puppis humum
Quæ tibi quicquid ad huc habuit Germania laudis
Adſeris, & toti quod fuit una tenes
Quæſieris quæ cauſa? ſubeſt non uana profecto
Quæ tibi uerſiculis nota duobus erit:
Concordi ſapiens qua regnat in urbe ſenatus
Nullius hæc ueræ laudis egere poteſt.
Macti igitur quos laudis amor, quos uera moratur
Gloria, quæ cupidis monſtret aperta uia eſt
Hic tibi quiſquis amas ſacri penetralia regni
Quas petis expoſitas hoſpes habebis opes
Hic tibi Muſarum ſacraria tota pateſcent
Hic tibi tota ſacri copia fontis erit

Quid morer inuolucris? excluſas omnibus artes,
Huc uelut in patriam ſe retuliſſe uides,
Sed fuerint nimiæ ſuſpectæ in carmine laudes,
Res tibi quod reliquum eſt ipſa probabit opus.
Quod niſi ſponte petis, quod ſi potes eſſe monendus
Quid ſupereſt præter condoluiſſe tibi.
Sed niſi te ratio prorſus diuerſa moretur,
Oblata cupies conditione frui.
Ianua quandoquidem patet omnibus iſta, poteſt q;
Quiſq; agere ætatis pro ratione ſuæ.
Hic elementa feres ornandæ prima iuuentæ,
Nam meret hic pulchro munere lingua triplex.
Rhetoricis noſtri uernabunt floribus horti,
Nec minima illuſtris pars erit iſta ſcholæ.
Diuina cupies excellere poſſe Matheſi,
Cauſa nocens uoto non erit ulla tuo.
Quid memorem cultam, cœleſtia dona poeſim?
Sola hæc diuini nominis inſtar habet.
Illa uoluptates & gaudia blanda iuuentæ,
Hæc ſenio pacem conciliare poteſt.
Nec tibi iam facilis captu Dialectica deerit,
Muſica nec blandum fundere docta melos.
Deniq; quaſcunq; ingenium coluiſſe per artes
Expetis, eſt præſens copia facta tibi,
Nec tibi ſumendus labor eſt aliena petendi,
Quæ peregre cupias Norica regna dabunt.

Tu modo ne dubita meſſi ſubmittere falcem,
Qui tibi iam pulchro fœnore ſurgit ager.
Heu fruſtra uiridis florem triuiſſe iuuentæ,
Neue uides fructum non peperiſſe, Vale.

IN INVIDVM LEVISS. ERROREM uicij nomine calumniantem Eobani Heſſi Carmen.

Deflebam querula ſtudiorum uoce ruinam,
Nuper & ingenijs tempora iniqua bonis
Omnibus ex animo poteram lugere uideri,
Non aliqua uerſus commoditate trahi
Publica mouerunt animo peccata dolorem,
Nullaq́; priuati cura laboris erat.
Teſtis es, & ſatis eſt uno te teſte Melanthon,
Muſa dolens uni noſtra loquuta tibi eſt.
Excidit incauto, nec uerba, ſed ipſa uidenti
Pondera, quod poſſes carpere liuor edax.
Quod tamen excuſet bonus omnis, & eſſe ferendum
Iudicet, haud ſtimulo confodiente notet.
Cuius & haud pudeat uerſus ratione remota,
Nunc ſecura ſui Muſa ligabat opus.
Atq; ita dum nimio laſciuit copia fluxu,
Verſibus è multis longior unus erat.
Sic tamen errauit, pede ſic deliquit in uno,
Vt facile in curſum Muſa redire queat.

Atq; ea confuſo ſi in corpore menda fuiſſet,
Difficilis fuerat reſtituiſſe labor.
Nunc bona dum properat plus quàm formoſa uideri
In cultu uicium non uidet eſſe ſuo.
Viderat hanc toties luxu prædiuite cultam,
Inuidus, & cultæ, quas uidet, odit opes.
Nec mora proſtantem limis obſeruat ocellis,
Protulit incautum longius illa pedem.
Arripit hanc, culpæq; ream facit, inſtat & urget,
Et laqueum, cauſſa ſi cadat, ipſe parat.
Nunc age cenſuræ campum ſubeamus apertum;
Stemus inoffenſi iudicis ante pedes.
Inuide quæ ratio eſt, cum tu nihil ædere poßis,
Quod placeat, tantum cur aliena notes?
Et bona cum uideas doleasq; ea multa uidendo
Obſerues tantum ſi qua mala inuenias?
Nimirum hæc natura tua eſt mœſtißime liuor,
Ad uicia exultas, ad bene facta doles.
Cumq; quod arrodas, nihil obtigit, effluis æger,
Senſibus, & triſti pectore uulnus alis.
Heu quanto ſteriles depaſceris igne medullas,
Dum furis, & ſoli carnificina tibi es.
Quàm miſer, ah quali traiectus pectora tælo
Nutris Idalio ſæuius igne malum.
Oſcula & amplexus miſeros ſolantur amantes,
Hanc curare luem nulla medela poteſt.

Quæ quia ſana tibi res & te digna uidetur,
Dij faciant ſemper liuidus eſſe queas.
Nunc ut cœpta ſequar, dum carmina noſtra uideres,
Improbe, cur uni diſplicuere tibi?
Cur, tibi uulgatos inter tot milia uerſus,
Hic oculi, hic tantum cur tibi naſus erat?
Cur quia carpebas unum non multa ferebas
Laudibus, at laudem nos meruiſſe negas?
Hoc age, perge, nega talis, quis laudis auarus
Eſt adeo ut uocis poſsit egere tuæ?
Carmina iamdudum laudant mea, qualibus ipſæ
Laudatæ Aonides uocibus eſſe uolent.
Atq;, ut gloriolæ tribuam hoc te propter inani,
Nuper in hoc doctis ordine primus eram.
Qui fuerint ſi forte rogas, hunc uade rogatum,
Ad quem de ſtudijs noſtra querela data eſt.
Vade roga quàm lata patet Germania, cui nam
In uerſu palmam tempora noſtra ferant.
Glorior inuitus, ſed enim tu cogis ineptum
Me fieri, & pleno, quod pudet, ore loqui.
Parce tamen cauſam ingenij, pie lector, agenti
Si potes, & faſſo ſe cecidiſſe faue,
Non ego defendam delatæ crimina culpæ,
Quamuis non aliqua hic culpa, ſed error erat
Illud agam, partes quas aduerſarius urget,
Oſtendam uicij quàm ſine fronte notet.

Summa

Summa erat, in uerſum pede plus inueximus uno
  Quàm decuit, cauſam uulneris huius habes,
Excuſata prius male cautæ copia Muſæ,
  Erroris ueniam debet habere ſui.
Nempe merebatur quoniam ſine teſte fatetur,
  Nec uicio lapſam quod probet hoſtis habet.
Ipſa quod urgebat cauſis intenta negoci,
  Quid mirum properans ſi labat inter opus?
Sic cecidit tamen ut ſine labe reſurgere poßit,
  Si cadere eſt certos non habuiſſe pedes.
Atq; utinam pauci caſu peiore ferantur,
  Tu quoq; cum paucis nomen habere uoles.
Et tua cum proſtent nuce putidiora pereſa,
  Audes de noſtris ceu rata cenſa loqui.
Cum nos iudicio plusquàm frigente laceſſas,
  Doctorum in numero uis tamen eſſe miſer.
Vt modo conciderim, facilis reparatio damni eſt,
  Quod ſarcire iterum qui dedit ipſe poteſt.
Et ſuper ipſe fui, & ſum nunc quoq;, qui dedit, idem
  Errori poterat conſuluiſſe ſuo.
Et quot ſcripta hodie reuocantur & altera fiunt?
  Et uia iam multis tutior illa fuit.
Adde quòd ex omni tam nemo eſt parte beatus,
  Vt nunquam peccet, ſed bene ſemper agat.
Qui dormire bonum nonnunquom dixit Homerum,
  Inditio ſtulte dixerit ille tuo.

Nec placet hoc tibi, longo operi ſubrepere ſomnum,
Quando oculis Argi ſolus ubiq; uides.
At paruum quod tu ſcribebas eſt opus, inquis,
Qui ſcis tu cuius pars ſit, & unde fluat?
Atqui uir bonus es, certe uis eſſe uideri,
Erroris pietas admonuiſſe fuit.
Hoc erat officium quod te decuiſſe putarim,
Non ita de immerito noxia uerba loqui.
Qui facile arreptum quouis de crimine uulgo,
Traducit, rogo te qui bonus eſſe pòteſt?
Prodit enim longa inuidiæ ſe peſte teneri,
Dum malus ipſe, bonis inuidet omne bonum.
Qui bonus eſt quacunq; ſtudet ratione mederi,
Et uicia ut fuerint maxima, parua uocat.
Contra qui malus eſt quæ per ſe parua fuerunt,
Maxima perſuaſis ut uideantùr agit.
Ergo uides quàm te pingam tibi imagine uera,
Conueniat propriè quàm color iſte tibi.
Quòd ſi frontis ineſt quicquàm tibi, ſi pudor ullus
Non poterit te non pœnituiſſe tui.
Nam quem non pudeat tam ſe genio eſſe maligno,
Nomina quòd nequeat ſe meliora pati.
Quòd ſi forte tumes animo confiſus & audes,
Congredere, eſt luctæ ſtrata palæſtra tuæ.
Nunc age reſponde, ſi non pudet ædere nomen,
Quod mihi adhuc certum eſt diſsimulare tuum.

Quod

Quod niſi te reuocas, niſi deſinis eſſe moleſtus,
Immortale uoles nomen habere caue.
Hoc tamen interea non falſi munus amici,
Quo tua ſoleris uulnera, carmen habe.

Quisquis es lector qui in querelam noſtrã de oc caſu ſtudiorum ad Phil. Melanthonem ſcriptam, ac nuper hic inuulgatam uel incidiſti iam, uel caſu aliquo in poſterum incides. Scito ob nimiam feſtinationẽ qua opus illud urgebamus, nulla prorſus ignorantia, ſed ſola incuria nos eſſe lapſos in hoc uerſu.

Puræ ruſticitatis ut exemplo ſatis ipſe reliquit.

Quem ſic emendes rogamus.

Puræ ruſticitatis ut exemplo ipſe reliquit.

Hæc ſcilicet erat illa Helena propter quam tanto pere nobis erat depugnandum. Sed tu mi lector illi culpam hanc adſcribito qui initium introduxit.

τέλος.

P 4

ELEGIAE

QVAEDAM PRO ASSERTIO
NE LVTHERANI DOG-
matis olim Anno fermè
XX. *ſcriptæ ac*
æditæ.
Per Helium Eobanum Heſſum.

HELII EOBANI HESSI IN MARTI
NVM LVTHERVM ELEGIARVM
libellus, de eius in urbem Erphurdi
am ingreſſu, Elegia prima.

SI QVA PRIVS *querulæ ceciniſtis læta Camœnæ,*
Nunc Elegi falſum nomē habere decet.
Ponite luctificā ſolitæ ſufflare monaulon,
Iam decuit ueſtras barbitos apta manus.
Ite triumphali popularia tempora Lauro
Cingite, lætitia eſt res peragenda noua.
Inclyta præcipue celebres Erphurdia plauſus
Aede, tuas feſta collige fronde comas.

Ecce uenit, qui te de ſordibus eruat iſtis,
Sub quibus heu nimio tempore preſſa iaces.
Dicere ſed liceat, quod mens animoſa ſuâſit
Veridicum Vatem nunc libet eſſe tibi.
Ille Deo mentem plenus ſpirante ſalutem
Lutherus, ſordes eluet ille tuas.
Tu modo fidentem ſpem concipe, & iſta relinque
Heu male regnantis dogmata uana chori.
Illi quidem primus uidit uir, inutile, noſtro
Tempore, per Chriſti ſurgere ſemen agrum.
Vidit, & eſt auſus duros adhibere ligones,
Noxiaq; artifici uellere quæq; manu.
Ante quidem uidit mundoq; oſtendit Eraſmus,
Secula quo cernunt doctius iſta nihil.
Quàm feciſſe igitur uelut eſt minus oſtendiſſe
Lutherus meriti grandius inſtar habet
Sicut Atlantææ ſubiturus pondera molis
Alcides, animo non dubitante tulit.
Sicut (ut à ueris procul abſit fabula) Chriſtum
Adſeruit rebus, turba ſequuta crucem.
Nam quid erat uerbis, uelut ocia uana, ſequutos,
Non aliquam rebus conſtituiſſe fidem?
Sic animo ruit inuicto Lutherus in omneis
Fortunæ inſultus, Inuidiæq; minas.
Certus in hoc eciam, quem prædicat, omnia Chriſto,
Vincere, uel mundo ſint grauiora licet.

Hic mihi nec uecors Rabula, aut indoctę Sacerdos
Obganni hæretico polluere ore fidem.
Tempus erit quo te nos accipiemus ouantem,
In caput urgentes omnia dira tuum.
Nunc illi decuit uenienti applaudere, per quem
Lucidiore fluunt Rhenus, & Albis aqua,
Cui licet exiguus uenienti flectit Hieras
Cornua, non proprio ſordida facta luto.
Ille breues longa uelatus arundine crines,
Creditus eſt certe ſic uoluiſſe loqui.
Quandoquidem ceſſant humanæ in carmina linguæ
Et ſtupidæ uoces, raucaq́; uerba iacent
Cur fuerit mirum ſi muta elementa loquantur?
Prata, lacus, montes, flumina, ſaxa, feræ
Præcipue ſuperante nouæ præconia laudis
Materia, quæ ſit uix habitura parem.
Qui primus Chriſti purgare aggreſſus ouile
Paſtores ouium prodidit eſſe lupos.
Auſus & à ſummis rationem poſcere, furta,
Spem tulit illorum poſſe latere diu.
Ille ubi ad hanc uenit quam præterlabimur urbem
Fas erat hic aliquam conticuiſſe Chelym?
Non decuit feſtos in publica gaudia cultus
Sumere? & ærata cymbala fuſte quati?
Ipſe ego ut has ripas tetigit, tranquillior ibam,
Noſtraq́; plus ſolito purior unda fuit

Et, niſi uana Scholæ uicinæ fallit imago,
Aonidas comites auguror iſſe uiro.
Sic bona ſpectatum Nympharum turba ruebat
A fluuio, Muſas præteriiſſe putes.
Neſcio quæ noſtras etiam uox uenit ad aures
Tanquam de ſuperis tale quid auſa loqui.
Exoptate diu uotis Martine tuorum,
Noſtra deûm dextro numine tecta ſubi.
Vnice qui Chriſti populis oracula reddis,
Et uerbis reddi qualibus illa decet.
Quæ iacuere diu tenebris confuſa priorum
Sacra doces, puro lumine ſcripta legi.
Namq; ſub hac latuit multorum inſcitia palla,
Si fierent paucis cognita uerba Dei.
Tu uelut à facie Moſis uelamina ducens
Apparere facis quæ latuere prius.
Tu ſua Chriſticolæ reddis cognomina plebi,
Nomina quæ rebus diſſona nuper erant.
Pax iterum cœlo redit aurea, & hoſte perempto
Nocte ſub æterna bella ſepulta iacent.
Ingredere ô fœlix, Chriſtus fortunet euntem,
Iam tibi quo noceat nil ferus hoſtis habet.
Ingredere ô, cœptoq; iuua conſiſtere curſu
Quos iterum Chriſto parturiiſſe potes.
Sicut & inuidiæ morſus contemnis inanes,
Sic qui ſyncere te uenerantur ama.

DE INGRESSV LVTHERI IN
Vrbem Erphurdiam Elegia Secunda.

NOn quia quã canimus pompã Luthere uolebas
Aut quia te noſtræ laudis egere putem,
Sed quoniam decuit ſeros exire ſub annos,
Indignam tenebris duximus eſſe premi.
Sic eciam placuit qui te mirantur amicis,
Et fuit inuito te quoq; digna legi.
Tempus erat quo prima noui laſciuia Veris,
Florigeram uiridi germine ueſtit humum
Iamq; canebantur paſchalia carmina paßim,
Vocali Aonidum floridiora melo.
Nunquam grata magis, ſtupefactam fama per urbem
Non procul inſignem nuntiat eſſe uirum
Atria uidiſſes ſtudiorum tota moueri
Cura quibus pompis exciperetur erat.
Nec mora conſtratis in equis exire paramus,
Quadraginta uiri, cætera turpe pedes,
Quis numero referat, uelut ad ſpectacla ruentes,
Quæ ſoleant uulgo non niſi rara dari.
Ibamus, numeroq; pares, cultuq; decenti,
Tunc eciam facti Muſica turba equites:
Inſtructo Princeps Crotus, ordine duxit euntes,
Gloria Muſarum, deliciæq; Crotus.
Iamq; iter emenſis, tria millia pluſue minusue
Sentiri citius quàm potuiſſet, adeſt

Ille quidem modico comitum,ſed uenit honeſto
Vix numero duci candidiore queat
Miſerat Auguſtus qui duceret,ille quietum
Romanis Aquilis eſſe docebat iter
Pone ſequebantur quos miſerat impiger Albis,
Inſignes meritis,& pietate uiri.
Accola littoribus fœlix urbs Albidos undæ
Obſcuras inter non habitura locum,
Clarum Friderichο caput exeris auſpice,nec te
Vindice Martino,poſſe latere puta.
Hos inter,qui nos præuenerat,ibat Ionas,
Ille decus noſtri,primaq; fama chori.
Conſtitimus,fluxasq; auriga tenebat habenas,
Tum Crotus hæc placido pectore uerba dedit
Vnice perfidiæ cenſor,quæ plurima noſtro
Pesdidit oppreſſam tempore pene fidem,
Hos coram uidiſſe,tuosq; agnoſcere uultus.
Hoc eſt,læticiæ non habuiſſe modum.
Et nobis nihil huc uenit iucundius unquam,
Vix aliquis ſuperum gratior eſſe queat.
Reddidit ille,Nec hos ego ſum meditatus honores
In me nec quicquam quod meruiſſet erat.
Sed uos iudicio noſtri præfertis amorem
Forte & crimen habent utraq;.grata tamen.
Hic ego neſcio quid balba de nare loquutus,
Elinguem plane ſum ratus eſſe nefas.

Inde ſatis lento repetentes mœnia paſſu,
Iam plenum urbana plebe redimus iter.
Turba quidem populi promiſcua cuncta tenebat
Strata, uiam, turres, mœnia, tecta, fores.
Qualia tum, Superi, teſtantes gaudia uoces,
Quanta ibi lætitiæ ſigna fuiſſe putas?
Inuide, tum poteras rumpi fieri iſta dolendo,
Aut laqueo uitam præripuiſſe tibi.
Aequa ſed extingui uetat hunc natura furorem,
Semper, ut in pœnas ardeat ipſe ſuas.
Quantumcunq; uoles nunc rumpere, ringere, ſæui
Liuide, materiam qua crucieris, habes.
Stabit ab adſerto Martini gloria Chriſto
Seu uelit ipſe illum uiuere, ſiue mori.

DE CONCIONE LVTHERI AD POpulum Erphurdienſem honoribusq; eidem exhibitis Elegia Tertia.

FOrtia non adeo Demoſthenis ora loquentis,
Cecropidas facta eſt obſtupuiſſe fides.
Non ita Roma ſuum mirata eſt cuius (ut aiunt)
Libera regnauit per fora lingua potens.
Vix ita (da ueniam) magni facundia Pauli
Mouit anhelantes dogmata ſancta uiros,
Sicut Apoſtolici mouerunt uerba Lutheri,
Qui populus Hieræ littus utrumq; colit.

Feſta dies aderat qua Chriſtus carne reſumpta
Diſcipulis pacem, temporibusq; dedit
Vrbe locus media eſt ſacer, Auguſtinia templa,
Vt taceas, Lango non latitura meo.
Quo quia ab aduentu diuerterat, ortaq; uulgo
Verba ibi facturum, fama benigna fuit.
Quàm cito de tota, ſtupor eſt, confluxerit urbe
Viſa magis nullo tempore turba frequens.
Arctius haud ſtipant loculos ſua regna meliſſæ,
Dum uernant humeri Sicelis Hybla tui
Quàm ſtabat compacta ipſam ſe turba coercens,
Fluctibus æquoreis non ita diſsimilis.
Nam ſimul impulſa eſt minima de parte, trahebat
Protinus undantem parua procella globum
Nec ſatis accepit uenientes area templi,
Ante ipſas ſtabant milia multa fores.
Intus ut ex altis hærent tabulata columnis,
Stante foras agmen penſile maius erat.
Id quanquam firmi poſtes, & ferrea nectant
Vincla, repentini cauſa pauoris erat.
Pondere preſſa graui, gemitum nam forte dedere
Vincula, nec clades ulla timenda fuit.
Fit fuga, ſubſtantes pauor occupat, ultima nudant
In medio fuerant omnia tuta ſatis.
Nil agis, exclamat Martinus, nil agis iſtis,
Agnoſco inſidias hoſtis acerbe tuas.

Extentaq; manu, nihil eſt, hic ecce pericli,
Ille ſuas arteis inſidiator agit.
Sic intellecto uecors errore reſedit
Impetus, inceptum nec prohibebat opus:
Qualibus ille autem uerbis myſteria Chriſti
Aediderit, ruditas dicere noſtra uetat.
Mouit enim ueris concors facundia rebus
Littera quos animos nulla mouere queat.
Horrida ſic dulci liqueſecit pectora lingua,
Verna ſeneſcentes ut ſolet aura niues.
O quicunq; leues dictis popularibus auras
Captatis, nihil hic uos manet, ite procul.
Hic eſt ille Dei uerus pietatis amator,
Vos hominum laudes uanaq; uerba trahunt.
Vos ad opum ſordes conuertitis omnia, nullis
Ille niſi æternas uocibus ambit opes.
Venter iners uobis Deus eſt, quos tarda uoluptas
Alligat, & miſeri cæca cupido lucri.
Quis neget eſſe bonos quoſdam, ſed rara bonorum
Copia, ſunt ſemper maxima turba mali.
Nanq;, quid usq; adeo cruciant uos iſta Lutheri
Nil niſi præſentem dogmata falſa Deum?
Cuius ut eloquio non eſt præſentius ullum
Sic nihil à uobis conſtat abeſſe magis.
Nam quis (ut inuidiæ demus pauciſsima) ueſtrum
Non ſtudio lucri, pars quota ſacra colit?

Sacra, quibus ſolidæ fidei nihil adſit, & omnis
Accedat rerum non pietatis honor.
Dumq́; ita uiſibili per inania facta placemus,
Mundi inuiſibilis præmia deſerimus.
Quæq; ille obtulerit ceu ſomnia, lucra putamus.
Huius diuitias ducimus eſſe nihil.
Deſinite heu, fatuæ per aperta pericula mentes,
Fortiter in ueſtram tendere perniciem.
Quod iuuat hic, ceu fumus abit, fruſtraq́; tenetur,
Pro quibus æternum quod cruciabit erit.
Quo tamen egrederis mea Pieris? iſta canemus,
Tempore quo uena liberiore flues.
Sed quia teſte docet Chriſto meus iſta Lutherus,
Limina propoſiti linquere cauſſa fuit.
Ardeat interea quantum libet, ardeat & ſe
Quisquis erit proprio torqueat igne miſer.
Vrbs ut honorifice uenientem noſtra recepit,
Sic eſt præſentem laus coluiſſe uirum.
Quo ſapiens illum cumulârit honore Senatus,
Nemo, niſi inuidiæ turba miniſtra, rogat.
Qualibus officijs ſchola dêcertârit Hieræ,
Hoc quoq; conatis ciuibus eſſe prior.
Et merito, cupidæ nam uenit Apoſtolus urbi,
Vana docens populos linquere, uera ſequi.
Primus enim docuit, poſt tôt iam ſecula, quæ nam
Prima ſit æthereas, quæ uia monſtret opes.

Hæmophagos blandis ſub uulpibus ire leones,
Chriſticolamq́; auido perdere dente gregem.
Hoc ut auaritiæ nocuit ſine fine furenti,
Sic in tam claro lumine cæca manet.
Cui precioſa queant collyria nulla mederi,
Sed neq; Phillirica miſta uenena manu.
Sic miſeros inſana ſacri ſitis occupat auri,
Inq́; uoluptates non ſatis una Venus.
Quo ruis heu incauta tui mens? illa peribit
De minimè firmo puluere facta caro.
Duratura manet ſeclo te uita futuro,
Vel mala cum Stygijs, uel bona cùm ſuperis:

AD MARTINVM ERPHVRDIA *abeuntem, Elegia Quarta.*

Vade, tuum comites animæ, puriſsima turba,
Angelicæ ſeruent, & tueantur iter.
I, pete Vangionū, iam ſedem Cæſaris, urbem
Illa quod eſt, num te Roma fuiſſe pudet?
Ibis adornantes Auguſta palatia reges,
Stabis honoratos ante Luthere duces.
Forte aderunt qui te Medico parare Leoni,
Et tua de Chriſto perdere ſcripta uolent.
Chriſte ueta, nam res agitur tua, talibus auſis
Hei mihi quas pœnas mox Aleandre dabis,
At tibi tu conſta Chriſti fortiſsime miles,
Ecce deo uirtus uindice tuta tua eſt.

Nec dum

Nec dubito quàm ſis caſus infractus in omneis,
Quamq; minas contra fortiter ire queas.
Sicut in æquoreos ubi fixa eſt anchora fundos,
Tempeſtas ſtabilem non mouet ulla ratem.
Vade deo præeunte, tua eſt uictoria, Chriſtum
Cui pugnas, contra nullius arma ualent.
Fulmina pontificis nihil admirabere, nam te
Iamdudum ſenſit quantus in arma ruas.
Tu modo ſummorum regum clariſsime ſanguis,
Auguſte his cœptis Carole dexter ades.
Carole Semideum ſate ſtirpe ab utroq; parente,
Virtutem factis ſic utriusq; refer.
Vtq; animo flores & corpore, floris honorem
Noxia ne turbet quælibet aura caue:
Lurida non audi ſpirantes toxica linguas,
Præcipue magnis Regibus iſta nocent.
Plura monendus eras, ſed eras ſine teſte monendus,
Hei mihi cur teſtem carmina noſtra timent?
Neſciat interea meritam tua Roma ſalutem,
Auguſtum pro te quem te ueneretur habet.
Illius audebis florem poſuiſſe iuuentæ,
Fortibus & factis eſſe docere uirum.
At tu uade decus noſtrum Martine Luthere,
Adſere uictoris iuſta trophæa Dei.
Adſere, namq; potes, fidei fundamina ſanctæ,
Illa ferè noſtras exulat ante fores.

Detege Romanas, orbis ludibria, fraudes
Quid lacerat miſeras paſtor iniquus oues?
Quem nunc bella uides populis, cladeḿq; minari,
Ni tua Lutheri ſcripta negare uolent.
Aſpicis ut coeant fatuæ tot millia gentes,
Gallus ut hinc bellum cogitet inde Leo.
I nunc autorem pacis uenerare Leonem,
Et Chriſti titulos illius eſſe puta.
Te quoq; bella manent, pro te quoq; bella gerenda
In cauſa partes ſunt meliore tuæ.
Magna pijs pro te Germania ſtabit in armis,
Quid dubitas orbem quo cadat illa, trahi?
I modo non aliqua preſſus formidine, nulli
E ſuperis Chriſtum præcipitare datur.
Hunc etenim belloq; petunt, armisq; laceſſunt,
Qui tua ſcripta uetant docte Luthere legi.
I dabit ille tibi uires qui ſe dedit ipſum,
Idem ſeruabit qui mouet illud opus.
Vade animo non fracte, nec ullis mote periclis,
Quo minus hoc audax ingredereris iter:
Sicut prima ſatis fortuna arridet eunti;
Clarior eſt reditus fama futura tui;
Vade bonis auibus Chriſtus tueatur euntem;
Vt redeas fato candidiore, Vale.

AD IVSTVM IONAM THEOLOgum cum Martino redeuntem à Cæſare, Elegia V.

TV quoq; magnanimi comes indeuicte Lutheri
 Noſter in hac Iona parte canendus eras.
Auſe parata ſequi uelut in ſua fata ruentem,
 Eſt etiam meriti gratia magna tui.
Namq; per inſidias, quibus omnia plena malorum,
 Laus eſt pro Chriſto non timuiſſe mori.
Iam ſua ſtringebant Romani tela Cinœdi,
 In caput & uitam ſancte Luthere tuam.
Impia conatum ſpreuiſti fortiter hoſtem,
 Spernentem Ionas qui ſequeretur erat.
Quàm bene communis fructu non caſſe pericli,
 Par tua uictori gloria penè uenit.
Nam qui uincenti propiora pericla ſubiuit,
 Proxima uictori præmia ferre ſolet.
Et fuerat ſubiti pulcherrima cauſſa laboris,
 Non erat hunc orbem uincere maius opus:
Dic age, per Muſas quas ille coronat Apollo,
 Quem peperit nullo Pieris uſa uiro.
Dic quibus accepti ueniſtis honoribus urbem
 Vangionum, quæ nunc mœnia Cæſar habet?
Quandoquidem reduci fœliciter eueniſſe
 Credimus; & facilem uos habuiſſe deum.
Romula quid uoluit peſtis nocuiſſe Luthero,
 Heu pudor, in medio Teutonis ora tui?
Dicite Germani proceres, fortiſſima nuper
 Pectora, num fieri uos penes iſta pudet?

Semiuiri, Romana malorum Lerna, Cinædi
  Audent in ueſtro dicere iura ſolo?
Quodq́; magis miror, uobis præſcribere leges
  Damnoſas finitis uilia mancipia?
Scilicet obſcurum eſt, ueſtram non uelle ſalutem,
  Ex uobis aurum præter amare nihil?
Non tamen his primum eſt res hæc agitata querelis
  Mille modis acta eſt fabula, mille locis.
Verum age per ſuperos iterum, chariſsime Iona,
  Ille an adhuc ſurdis auribus ordo manet?
Quid paret ille adeo iuſtis Huttenus in armis?
  Quid bona Franciſcum turba ſequuta ducem?
Fallor, an aſpicio pedicas Aleandron habentem?
  Te cupere in uinclis poſſe Marine mori?
Quicquid id eſt, niſi mens Hutteni animoſa fefellit,
  O minor infauſtum perdita Roma tibi.
Perdita Pontifici poſtquam data ſerua Tyranno,
  Eheu de quanto culmine lapſa iaces.
Quam libertatem cunctis dare Roma ſolebas,
  Aſpice te infœlix quàm nihil huius habes.
Heu ubi maieſtas? quo tanta potentia Romæ,
  Totius arx orbis, quomodo fracta iaces?
Omnia ſic pereunt, etiam celſiſsima rerum,
  Et nihil eſt iſto ſub Ioue ſemper idem.
Muſa redi, quo te iacis ultra ſepta, per iſtas
  Ceu uepres quodam ſueta furore rapi?

Tantum

Tantum iter ex animo tibi gratulor illud Iona,
Eſt quod præcipui nominis inde trahas.
Forſan ut obtrectet, ſicut ſolet omnia, liuor,
Hunc tu iamdudum ſpernere doctus eras.
Quis ſapiens coruos timeat crocitare moleſtos,
Dum quòd delectet progrediatur iter?
Dura ſibi infœlix ut ruperit ilia uenter,
Ridendum, plus quàm quòd mouearis erit.
Nam ſatis in pœnas ipſe eſt ſibi, ſeq; dolendo
Euirat, & ſoli carnificina ſibi eſt.
Qui quoniam male ſemper agit, fugit aurea ſolis
Lumina, & in tenebris ſurdida talpa iacet.
Et quoniam placet hoc uitæ genus, imprecor illis,
Quod nunc ſunt miſeri, ſemper id eſſe queant.
Tu uero nullo inuidiæ perfuſe ueneno,
Non unquam miſeri ſordibus acte lucri,
Clare bonis animi, lingua, pietate, fideq;,
Quod facis, ut facias, ſæpe diuq; precor.
Quis ego nec uidi meliora negocia factu,
Nec quæ tu poßis aut prius, aut melius.
Tantum erat adſerto Martinum uincere Chriſto,
Te ſocium tanti muneris eſſe Vale.

AD HVLDERICHVM HVTTENVM *Equitem ac Poetam, ut Lutheri cauſam adſerat, Elegia VI.*

ADſere nūc fortiſsime eques, doctiſsime uates,
Qua debes dextra uindice, quaq; potes.
Adſere germanū iuuenis Germane Lutherū,
Te duce libertas noſtra tuenda fuit.
Libertas ſtrygibus quæ nunc oppreſſa Papiſtis,
Heu nimium longo ſeruit in exilio.
Hanc tu adeo toti per ſcripta uolumina mundo,
Queſtus eras aliquo non renuente premi.
Queſtus eras memini, ſuperi audiuere querentem,
Nulla ſed in terris auris aperta fuit.
Audierant ſuperi, ſuperos audiſſe putato,
Quaq; iubent illi nitere, perge, rue.
En tibi laurentem nectit uictoria palmam,
Proxima de ſuperis hæc dea uiſa mihi eſt.
Arma manu capienda, quibus cadat hoſtis inaudax,
Præſidij in libris carminibusq; nihil.
Arma manu cape noſter eques fortiſsime, nec te
Auxilijs uacuum poſſe manere puta.
Qua ſe cunq; aliquo pandit Germania tractu,
Accedent ſignis milia multa tuis.
Ipſe etiam inuictis aderit Franciſcus in armis,
Per quem Siggingа eſt nobilitata domus.
Hic nulli ueterum dextra uictrice ſecundus,
Præcipue hunc titulum laudis habere uolet.
Vos duo uaticinor Romanæ fulmina Peſti,
Fallere Chriſte ueta quem facis iſta loqui.

Sed te

Sed te præcipue ſpes noſtræ Huttene morantur,
Pars quia tu noſtri maxima nuper eras.
Scimus enim rudibus dum te metimur ab annis,
Illa animi quàm ſit uis generoſa tui,
Quàm fortis tolerare potens utriusq; laborem
Siue parens ueniat, ſiue nouerca tibi.
Quàmque etiam caſus uenias expertus in omnes
Quàm manus ingenium nobile prompta ſequi
Eya age noſter Eques, tam dotibus aucte benignis
Talem te populis fac precor eſſe fidem.
Nec tibi cum forti nimium res hoſte futura eſt,
Vincere qui tales audeat, ille poteſt.
Tu potes ingentes Heroas in arma ciere
Quæ poßint ipſos arma mouere Deos:
Ah pereant quos bella iuuant quæcunq;, nec ullum
Delectum armorum militiæq; tenent.
Hæc ſunt iuſta quibus faueat Germania bellis,
Quorum eſt, quæ perijt, maxima cauſſa fides
Hos Turcas, I uince prius Germane, quibus te
Tam ſeruire diu turpiter, an ne pudet?
Deinde alios Turcas quæ res quos uincere poßis
Quosq; labor fuerit, uincere forte minor.
Sed tamen imbelles facile eſt ſuperare Cynœdos.
Nil dederis, uicti iam tibi terga dabunt.
Namq; tuo quoties auro tibi damna tulerunt
Tu damni neruos, in tua membra, dabas.

Sed nec opus ueterem fuit hic renouare querelam
Tecum cœpta fuit fabula noſter Eques
Germanum nomen, libertatemq; iacentem
Erige, ad hoc facinus te tua fata uocant.
Addet imaginibus multum res iſta tuorum
Luminis, & ueſtrum nomen ad aſtra feret.
Quamuis nunc eciam clarum decus Huttenorum
Te duce iam terris arduiora colat,
Hoc tamen obſtantes inſtructior ibis in hoſtes.
Materiam nomen ſæpe timoris habet.
Sic ferus Auſonias fama quatit Hannibal urbes
Sic Troiæ fueras quantus Achille timor.
Sic ad Alaxandri timuerunt nomina gentes,
Nomine ſic eciam Scipio fortis erat.
Te quoq; ne dubita, iam nunc timet iſta malorum
Colluuies, duplex cauſa timoris erat.
Martia pugnantes animabant arma Camœnæ
Nec minus hac illa parte timendus eras
Aſpicis & quanto tibi nunc applaudat honore,
Vt pingat uultus patria noſtra tuos.
Fortibus Huttenus ſtat conſpiciendus in armis,
Eſt eciam uultu picta tabella minax.
Aude igitur generoſe animi, quem ſpreueris hoſtem,
Vincere, nec differ longius illud opus.
Muneris hoc, mihi crede, tui eſt, nec dignius ullum
Te fuit, hoc debes uelle, probare, ſequi.

Grando

Grande rudimentum iamdudum Huttene dediſti,
Nec leue pro fratris uulnere fulmen eras
Horum quid patimur regnum crudele tot annos?
Romula Germanos quid uorat aula lares?
Atq; utinam non ad uiuum deglubere pergant,
Quas placide Chriſtus paſcere iuſsit oues
Nempe doleremus multo minus, iſtaq; quæ nunc
Vulnera magna necant, parua ferenda forent.
Nunc non detondent tantum, ſed corpore toto
Quidquid ineſt uiui ſanguinis, omne trahunt.
Quare age, tot pudeat tales toleraſſe per annos,
Extremus pudor eſt qualibus eſſe pares.
Adſere ſuppreſſum patriæ uirtutis honorem,
Quas dare ſpes audes fac precor eſſe ratas
Hoc tuus ille animi uigor, & genitiua requirunt,
Nobilitas, uirtus, gloria, fama, fides.
Meq; fer hæc alacri ceu claſsica uoce canentem
Qua ſola potui parte uenire tibi.
Atq; utinam liceat, quoniam libet, eſſe in eisdem
Partibus in quas te noſtra Camœna uocat.
Non timeam forti gladios uibrare lacerto
Non agili clypeum ſuſtinuiſſe manu.
Crimine ſint alij, ſolaq; libidine fortes,
Pierides Reges inter, & arma uolant.
Atq; ita pro ſola Chriſti pietate tuenda,
Omnibus in Chriſto fortibus eſſe licet.

Viue decus gentisq; tuæ, fideiq; labantis
Spes noua, & hæc oro conſule ſcripta boni.

IN HIERONYMVM EMSERVM LVtheromaſtiga, Inuectiua Eobani Heſſi.

NVnc age, qui nuper miſerande Emſere ſolebas
Nomen ad hoc fieri pallidus, iſta uide.
Si uel ad huc ſpiras, necdum te peſtis iniqui
Liuoris totum conficit, iſta uide
Namq; ego mirabar, quî poſſes uiuere, talis,
Tamq; mali ingenij, conſcius ipſe tibi.
Inuenies quæ te crucient magis, iſta legendo,
Quæ canimus tali carmina digna uiro
Carmina; non quales uerſus tu nuper ineptos
Iactabas, nec adhuc te pudet eſſe tuos.
Dic age per Muſas, quas tam canis inter amicas,
Tam fractæ ratio quæ tibi frontis erat?
Auſus es inuictum ſcriptis tentare Lutherum
Quàm non ex animo res cadet iſta tibi.
Quantas ille tuo pœnas de crimine ſumet,
Quantas nos iſtum turba ſequuta ducem.
Non impune feres Capricorne impure, nec ullo
Quod placeat doctis nomine dignus eris.
Attamen ingenio cantabere prædite, quale
Zoilus infœlix omnis habere ſolet.

In tua certatim conſurgent nomina Muſæ,
Quæ patrios colles noſtraq; rura colunt.
Præterea accedent uenabula, multa canum uis,
Nam ferus Aegoceros exagitandus erit.
Monſtrum informe, ingens, animi cui lumen ademptũ
Non poteras aliqua luce uidere diem:
Nate ſub infami Stygiæ caliginis umbra,
In patria decuit te latuiſſe tua.
Talia nec Superum miſcere uenena per orbem
Qualia ſint capiti plus nocitura tuo.
Nam quæcunq; Deos contra ſpuis aëra in altum,
In barbam recident ſtulte Poëta tuam.
Hoc etenim uelles (ſi dijs placet) eſſe uideri
Quod, ſi uis dicam, quàm uideare parum,
Vt tua Lutherus nuper ſtupida arma repreßit,
Rancida claudebas carmine ſcripta breui.
Neſcio quæ uomeres lutulento probra Luthero
(Hac tibi tum uiſus uoce notandus eras)
Addideras non eſſe tamen, nec poſſe uideri
Carmina uel ſcabiem, uel tua paſſa lutum
Quæ quia tam miſerè commendicata, ſonabant
Penè nihil præter, dic lutulente Luther.
Si quis ab exemplo quo tu præludis, idipſum
In te coniiciat, qua rogo fronte leges?
Dic ſcabioſe caper, quæ te tam Muſa beatum
Prodidit in lucem, dic ſcabioſe caper?

Dic ſcabioſe caper, quæ ſunt tibi tam ſtolidum res
Quæ faciunt animum? dic ſcabioſe caper?
Dic plus quàm ſcabioſe caper, num turpiter actæ
Militiæ pudeat? dic rabioſe caper?
Et ne te referam, dic quid ſis, hircus, an hœdus?
Sed ſi nec caper es, nec capra, dic ſcabies.
Quæris? an agnoſcis tua ſomnia? talibus autem
Auſus eras nugis eſſe Poëta caper?
Ipſe quidem luſum ſemper tua ſcripta putabam
Quod mihi tam ſero ſeria noſſe datur.
Stringebamq; breues, taciturus ad omnia chartas,
Hæc ſtudia edoctus deſidioſa ſequi
Irruit Aegoceros et in hæc, & in illa bonorum
Ocia, trux oculis, cornibus, ore minax.
Quem primum ut uidi, quæcunq; per auia captus,
Ingenium dixi non habet iſte caper.
Certior iratum factus ueniſſe Luthero,
Tum quoq; nil contra dicere, certus eram.
Donec (ut eſt animal) quo non petulantius ullum,
Auſum ultra nimium ſepta ſalire fuit.
Dij tibi ſint hoſtes caper improbe, quære quibus tu
Vel placeas, uel te noueris eſſe parem.
Nos tua ridemus, ſicut ueriſſima iactas
Somnia, quæ gelidæ uix meditentur anus.
I modo, nec ceſſa, noſtrum contemne Lutherum
Illius hoc ipſo gloria maior erit.

Tu neq; confringes quod conſtruit ille, nec unus
Cum ſis, tot contra milia ſtare potes.
Stulte, uides ne tuas oppugnari undiq; partes,
Te niſi ab ignauis agmina, nulla ſequi?
Nos in bella duces certum eſt educere plures,
Quàm te lixarum cogere poſſe gregem.
Quare age, ſi quicquam uel ad huc ſapis, exue mentē
Inuidia, quæ te non ſinit eſſe tuum
Vt rumpare miſer, nihil hic Emſere nocebis,
Non curant nebulas fulmina iacta leues.
Immenſum turge, medius tamen ante crepabis,
Quàm minime hic laudem partis habere queas.
I, pete quam iactes uetita de fronde coronam,
A uetito qua tu fuſte abigaris erit.
Diſce miſer quàm ſis miſer, & ſine mente, nec ultra
Quàm tua permittat flaccida pluma uola.
Ne dum ſydereo placeas tibi proximus orbi,
Deſtituant alas cerea uincla tuas
Ne male Phœbææ dum tentes frena quadrigæ
Fulmine deiectum te fleat orba ſoror.
Nam quicunq; ſuas uires non nouerit, illum,
Quæ temere ſumpſit pondera, ſæpe premunt
Diſce igitur non eſſe parem te fortibus iſtis,
Atq; tuo menſus te pede, cautus abi.
Et mihi conſilio pro tam grata re fideli,
Quà poſſes, docui, rectius ire uiam

Dic ſcabioſe caper, quæ ſunt tibi tam ſtolidum res
Quæ faciunt animum? dic ſcabioſe caper?
Dic plus quàm ſcabioſe caper, num turpiter actæ
Militiæ pudeat? dic rabioſe caper?
Et ne te referam, dic quid ſis, hircus, an hœdus?
Sed ſi nec caper es, nec capra, dic ſcabies.
Quæris? an agnoſcis tua ſomnia? talibus autem
Auſus eras nugis eſſe Poëta caper?
Ipſe quidem luſum ſemper tua ſcripta putabam
Quod mihi tam ſero ſeria noſſe datur.
Stringebamq; breues, taciturus ad omnia chartas,
Hæc ſtudia edoctus deſidioſa ſequi
Irruit Aegoceros et in hæc, & in illa bonorum
Ocia, trux oculis, cornibus, ore minax.
Quem primum ut uidi, quæcunq; per auia captus,
Ingenium dixi non habet iſte caper.
Certior iratum factus ueniſſe Luthero,
Tum quoq; nil contra dicere, certus eram.
Donec (ut eſt animal) quo non petulantius ullum,
Auſum ultra nimium ſepta ſalire fuit.
Dij tibi ſint hoſtes caper improbe, quære quibu
Vel placeas, uel te noueris eſſe parem
Nos tua ridemus, ſicut ueriſſima ia
Somnia, quæ gelidæ uix r
I modo, nec ceſſa, noſtr
Illius hoc ipſo gl

Digitized by Google

Tu neq; confringes quod conſtruit ille, nec unus
　Cum ſis, tot contra milia ſtare potes.
Stulte, uides ne tuas oppugnari undiq; paries,
　Te niſi ab ignauis agmina, nulla ſequi?
Nos in bella duces certum eſt educere plures,
　Quàm te lixarum cogere poſſe gregem.
Quare age, ſi quicquam uel ad huc ſapis, exue mentē
　Inuidia, quæ te non ſinit eſſe tuum
Vt rumpare miſer, nihil hic Emſere nocebis,
　Non curant nebulas fulmina iacta leues.
Immenſum turge, medius tamen ante crepabis,
　Quàm minime hic laudem partis habere queas.
I, pete quam iactes uetita de fronde coronam,
　A uetito qua tu fuſte abigaris erit.
Diſce miſer quàm ſis miſer, & ſine [illegible] te, nec ul[illegible]
　Quàm tua permittat flacc[illegible] ola.
Ne dum ſyde[illegible] placeas ti[illegible] rbi
　Deſtitu[illegible] s cer[illegible]
Ne mal[illegible]
　F[illegible]

Hæmophagos blandis ſub uulpibus ire leones,
Chriſticolamq; auido perdere dente gregem.
Hoc ut auaritiæ nocuit ſine fine furenti,
Sic in tam claro lumine cæca manet.
Cui precioſa queant collyria nulla mederi,
Sed neq; Phillirica miſta uenena manu.
Sic miſeros inſana ſacri ſitis occupat auri,
Inq; uoluptates non ſatis una Venus.
Quo ruis heu incauta tui mens? illa peribit
De minimè firmo puluere facta caro.
Duratura manet ſeclo te uita futuro,
Vel mala cum Stygijs, uel bona cum ſuperis:

AD MARTINVM ERPHVRDIA
abeuntem, Elegia Quarta.

VAde, tuum comites animæ, puriſſima turba,
Angelicæ ſeruent, & tueantur iter.
I, pete Vangionū, iam ſedem Cæſaris, urbem
Illa quod eſt, num te Roma fuiſſe pudet?
Ibis adornantes Auguſta palatia reges,
Stabis honoratos ante Luthere duces.
Forte aderunt qui te Medico parare Leoni,
Et tua de Chriſto perdere ſcripta uolent.
Chriſte ueta, nam res agitur tua, talibus auſis
Hei mihi quas pœnas mox Aleandre dabis,
At tibi tu conſta Chriſti fortiſſime miles,
Ecce deo uirtus uindice tuta tua eſt.

Nec dum

Nec dubito quàm ſis caſus infractus in omneis,
Quamq; minas contra fortiter ire queas.
Sicut in æquoreos ubi fixa eſt anchora fundos,
Tempeſtas ſtabilem non mouet ulla ratem.
Vade deo præeunte, tua eſt uictoria, Chriſtum
Cui pugnas, contra nullius arma ualent.
Fulmina pontificis nihil admirabere, nam te
Iamdudum ſenſit quantus in arma ruas.
Tu modo ſummorum regum clariſſime ſanguis,
Auguſte his cœptis Carole dexter ades.
Carole Semideum ſate ſtirpe ab utroq; parente,
Virtutem factis ſic utriusq; refer.
Vtq; animo flores & corpore, floris honorem
Noxia ne turbet quælibet aura caue:
Lurida non audi ſpirantes toxica linguas,
Præcipue magnis Regibus iſta nocent.
Plura monendus eras, ſed eras ſine teſte monendus,
Hei mihi cur teſtem carmina noſtra timent?
Neſciat interea meritam tua Roma ſalutem,
Auguſtum pro te quem te ueneretur habet.
Illius audebis florem poſuiſſe iuuentæ,
Fortibus & factis eſſe docere uirum.
At tu uade decus noſtrum Martine Luthere,
Adſere uictoris iuſta trophæa Dei.
Adſere, namq; potes, fidei fundamina ſanctæ,
Illa ferè noſtras exulat ante fores.

Detege Romanas, orbis ludibria, fraudes
Quid laceret miseras paſtor iniquus oues?
Quem nunc bella uides populis, cladeḿq; minari,
Ni tua Lutheri ſcripta negare uolent.
Aſpicis ut coeant fatue tot millia gentes,
Gallus ut hinc bellum cogitet inde Leo.
I nunc autorem pacis uenerare Leonem,
Et Chriſti titulos illius eſſe puta.
Te quoq; bella manent, pro te quoq; bella gerenda
In cauſa partes ſunt meliore tuæ.
Magna pijs pro te Germania ſtabit in armis,
Quid dubitas orbem quo cadat illa, trahi?
I modo non aliqua preſſus formidine, nulli
E ſuperis Chriſtum præcipitare datur.
Hunc etenim belloq; petunt, armisq; laceſſunt,
Qui tua ſcripta uetant docte Luthere legi.
I dabit ille tibi uires qui ſe dedit ipſum,
Idem ſeruabit qui mouet illud opus.
Vade animo non fracte, nec ullis mote periclis,
Quo minus hoc audax ingredereris iter.
Sicut prima ſatis fortuna arridet eunti;
Clarior eſt reditus fama futura tui:
Vade bonis auibus Chriſtus tueatur euntem;
Vt redeas ſaxo candidiore, Vale.

AD IVSTVM IONAM THEOLO-
gum cum Martino redeuntem à Cæ-
ſare, Elegia V.

TV quoq; magnanimi comes indeuicte Lutheri
Noſter in hac Iona parte canendus eras.
Auſe parata ſequi uelut in ſua fata ruentem,
Eſt etiam meriti gratia magna tui.
Namq; per inſidias, quibus omnia plena malorum,
Laus eſt pro Chriſto non timuiſſe mori.
Iam ſua ſtringebant Romani tela Cinœdi,
In caput & uitam ſancte Luthere tuam.
Impia conatum ſpreuiſti fortiter hoſtem,
Spernentem Ionas qui ſequeretur erat.
Quàm bene communis fructu non caſſe pericli,
Par tua uictori gloria penè uenit.
Nam qui uincenti propiora pericla ſubiuit,
Proxima uictori præmia ferre ſolet.
Et fuerat ſubiti pulcherrima cauſſa laboris,
Non erat hunc orbem uincere maius opus:
Dic age, per Muſas quas ille coronat Apollo,
Quem peperit nullo Pieris uſa uiro.
Dic quibus accepti ueniſtis honoribus urbem
Vangionum, quæ nunc mœnia Cæſar habet?
Quandoquidem reduci fœliciter eueniſſe
Credimus, & facilem uos habuiſſe deum.
Romula quid uoluit peſtis nocuiſſe Luthero,
Heu pudor, in medio Teutonis ora tui?
Dicite Germani proceres, fortiſſima nuper
Pectora, num fieri uos penes iſta pudet?

Semiuiri, Romana malorum Lerna, Cinœdi
Audent in ueſtro dicere iura ſolo?
Quodq́; magis miror, uobis præſcribere leges
Damnoſas ſinitis uilia mancipia?
Scilicet obſcurum eſt, ueſtram non uelle ſalutem,
Ex uobis aurum præter amare nihil?
Non tamen his primum eſt res hæc agitata querelis
Mille modis acta eſt fabula, mille locis.
Verum age per ſuperos iterum, chariſſime Iona,
Ille an adhuc ſurdis auribus ordo manet?
Quid paret ille adeo iuſtis Huttenus in armis?
Quid bona Franciſcum turba ſequuta ducem?
Fallor, an aſpicio pedicas Aleandron habentem?
Te cupere in uinclis poſſe Marine mori?
Quicquid id eſt, niſi mens Hutteni animoſa fefellit,
O minor infauſtum perdita Roma tibi.
Perdita Pontifici poſtquam data ſerua Tyranno,
Eheu de quanto culmine lapſa iaces.
Quam libertatem cunctis dare Roma ſolebas,
Aſpice te infœlix quàm nihil huius habes.
Heu ubi maieſtas? quo tanta potentia Romæ,
Totius arx orbis, quomodo fracta iaces?
Omnia ſic pereunt, etiam celſiſſima rerum,
Et nihil eſt iſto ſub Ioue ſemper idem.
Muſa redi, quo te iacis ultra ſepta, per iſtas
Ceu uepres quodam ſueta furore rapi?

Tantum

Tantum iter ex animo tibi gratulor illud Iona,
Eſt quod præcipui nominis inde trahas.
Forſan ut obtrectet, ſicut ſolet omnia, liuor,
Hunc tu iamdudum ſpernere doctus eras.
Quis ſapiens coruos timeat crocitare moleſtos,
Dum quòd delectet progrediatur iter?
Dura ſibi infœlix ut ruperit ilia uenter,
Ridendum, plus quàm quòd mouearis erit.
Nam ſatis in pœnas ipſe eſt ſibi, ſeq; dolendo
Euirat, & ſoli carnificina ſibi eſt.
Qui quoniam male ſemper agit, fugit aurea ſolis
Lumina, & in tenebris ſurdida talpa iacet.
Et quoniam placet hoc uitæ genus, imprecor illis,
Quod nunc ſunt miſeri, ſemper id eſſe queant.
Tu uero nullo inuidiæ perfuſe ueneno,
Non unquam miſeri ſordibus acte lucri,
Clare bonis animi, lingua, pietate, fideq;,
Quod facis, ut facias, ſæpe diuq; precor.
Quis ego nec uidi meliora negocia factu,
Nec quæ tu poßis aut prius, aut melius.
Tantum erat adſerto Martinum uincere Chriſto,
Te ſocium tanti muneris eſſe Vale.

AD HVLDERICHVM HVTTENVM
Equitem ac Poetam, ut Lutheri cauſam adſerat, Elegia VI.

ELEGIA

ADſere nūc fortiſſime eques, doctiſſime uates,
Qua debes dextra uindice, quaq; potes.
Adſere germanū iuuenis Germane Lutherū,
Te duce libertas noſtra tuenda fuit.
Libertas ſtrygibus quæ nunc oppreſſa Papiſtis,
Heu nimium longo ſeruit in exilio.
Hanc tu adeo toti per ſcripta uolumina mundo,
Queſtus eras aliquo non renuente premi.
Queſtus eras memini, ſuperi audiuere querentem,
Nulla ſed in terris auris aperta fuit.
Audierant ſuperi, ſuperos audiſſe putato,
Quaq; iubent illi nitere, perge, rue.
En tibi laurentem nectit uictoria palmam,
Proxima de ſuperis hæc dea uiſa mihi eſt.
Arma manu capienda, quibus cadat hoſtis inaudax,
Præſidij in libris carminibusq; nihil.
Arma manu cape noſter eques fortiſſime, nec te
Auxilijs uacuum poſſe manere puta.
Qua ſe cunq; aliquo pandit Germania tractu,
Accedent ſignis milia multa tuis.
Ipſe etiam inuictis aderit Franciſcus in armis,
Per quem Siggingа eſt nobilitata domus.
Hic nulli ueterum dextra uictrice ſecundus,
Præcipue hunc titulum laudis habere uolet.
Vos duo uaticinor Romanæ fulmina Peſti,
Fallere Chriſte ueta quem facis iſta loqui.

Sed te præcipue ſpes noſtræ Huttene morantur,
Pars quia tu noſtri maxima nuper eras.
Scimus enim rudibus dum te metimur ab annis,
Illa animi quàm ſit uis generoſa tui,
Quàm ſortis tolerare potens utriusq; laborem
Siue parens ueniat, ſiue nouerca tibi.
Quàmque etiam caſus uenias expertus in omnes
Quàm manus ingenium nobile prompta ſequi
Eya age noſter Eques, tam dotibus aucte benignis
Talem te populis fac precor eſſe fidem.
Nec tibi cum forti nimium res hoſte futura eſt,
Vincere qui tales audeat, ille poteſt.
Tu potes ingentes Heroas in arma ciere
Quæ poßint ipſos arma mouere Deos:
Ah pereant quos bella iuuant quæcunq;, nec ullum
Delectum armorum militiæq; tenent.
Hæc ſunt iuſta quibus faueat Germania bellis,
Quorum eſt, quæ perijt, maxima cauſſa fides
Hos Turcas, I uince prius Germane, quibus te
Tam ſeruire diu turpiter, an ne pudet?
Deinde alios Turcas quæ res quos uincere poßis
Quosq; labor fuerit, uincere forte minor.
Sed tamen imbelles facile eſt ſuperare Cynædos.
Nil dederis, uicti iam tibi terga dabunt.
Namq; tuo quoties auro tibi damna tulerunt
Tu damni neruos, in tua membra, dabas.

Sed nec opus ueterem fuit hic renouare querelam
Tecum cœpta fuit fabula noſter Eques
Germanum nomen, libertatemq; iacentem
Erige, ad hoc facinus te tua fata uocant.
Addet imaginibus multum res iſta tuorum
Luminis, & ueſtrum nomen ad aſtra feret.
Quamuis nunc eciam clarum decus Huttenorum
Te duce iam terris arduiora colat,
Hoc tamen obſtantes inſtructior ibis in hoſtes.
Materiam nomen ſæpe timoris habet.
Sic ferus Auſonias fama quatit Hannibal urbes
Sic Troiæ fueras quantus Achille timor.
Sic ad Alaxandri timuerunt nomina gentes,
Nomine ſic eciam Scipio fortis erat.
Te quoq; ne dubita, iam nunc timet iſta malorum
Colluuies, duplex cauſa timoris erat.
Martia pugnantes animabant arma Camœnæ
Nec minus hac illa parte timendus eras
Aſpicis & quanto tibi nunc applaudat honore,
Vt pingat uultus patria noſtra tuos.
Fortibus Huttenus ſtat conſpiciendus in armis,
Eſt eciam uultu picta tabella minax.
Aude igitur generoſe animi, quem ſpreueris hoſtem,
Vincere, nec differ longius illud opus.
Muneris hoc, mihi crede, tui eſt; nec dignius ullum
Te fuit, hoc debes uelle, probare, ſequi.

Grando

Grande rudimentum iamdudum Huttene dediſti,
Nec leue pro fratris uulnere fulmen eras
Horum quid patimur regnum crudele tot annos?
Romula Germanos quid uorat aula lares?
Atq; utinam non ad uiuum deglubere pergant,
Quas placide Chriſtus paſcere iußit oues
Nempe doleremus multo minus, iſtaq; quæ nunc
Vulnera magna necant, parua ferenda forent.
Nunc non detondent tantum, ſed corpore toto
Quidquid ineſt uiui ſanguinis, omne trahunt.
Quare age, tot pudeat tales toleraſſe per annos,
Extremus pudor eſt qualibus eſſe pares.
Adſere ſuppreſſum patriæ uirtutis honorem,
Quas dare ſpes audes fac precor eſſe ratas
Hoc tuus ille animi uigor, & genitiua requirunt,
Nobilitas, uirtus, gloria, fama, fides.
Meq; fer hæc alacri ceu claßica uoce canentem
Qua ſola potui parte uenire tibi.
Atq; utinam liceat, quoniam libet, eſſe in eisdem
Partibus in quas te noſtra Camœna uocat.
Non timeam forti gladios uibrare lacerto
Non agili clypeum ſuſtinuiſſe manu.
Crimine ſint alij, ſolaq; libidine fortes,
Pierides Reges inter, & arma uolant.
Atq; ita pro ſola Chriſti pietate tuenda,
Omnibus in Chriſto fortibus eſſe licet.

Extentaq; manu,nihil eſt,hic ecce pericli,
Ille ſuas arteis inſidiator agit.
Sic intellecto uecors errore reſedit
Impetus,inceptum nec prohibebat opus:
Qualibus ille autem uerbis myſteria Chriſti
Aediderit,ruditas dicere noſtra uetat.
Mouit enim ueris concors facundia rebus
Littera quos animos nulla mouere queat.
Horrida ſic dulci liqueſcit pectora lingua,
Verna ſeneſcentes ut ſolet aura niues.
O quicunq; leues dictis popularibus auras
Captatis,nihil hic uos manet,ite procul.
Hic eſt ille Dei uerus pietatis amator,
Vos hominum laudes uanaq; uerba trahunt.
Vos ad opum ſordes conuertitis omnia,nullis
Ille niſi æternas uocibus ambit opes.
Venter iners uobis Deus eſt,quos tarda uoluptas
Alligat,& miſeri cæca cupido lucri.
Quis neget eſſe bonos quoſdam,ſed rara bonorum
Copia,ſunt ſemper maxima turba mali.
Nanq;,quid usq; adeo cruciant uos iſta Lutheri
Nil niſi præſentem dogmata faſſa Deum?
Cuius ut eloquio non eſt præſentius ullum
Sic nihil à uobis conſtat abeſſe magis.
Nam quis (ut inuidiæ demus pauciſſima) ueſtrum
Non ſtudio lucri,pars quota ſacra colit?

Sacra

Sacra, quibus ſolidæ fidei nihil adſit, & omnis
Accedat rerum non pietatis honor.
Dumq́; ita uiſibili per inania facta placemus,
Mundi inuiſibilis præmia deſerimus.
Quæq; ille obtulerit ceu ſomnia, lucra putamus.
Huius diuitias ducimus eſſe nihil.
Deſinite heu, fatuæ per aperta pericula mentes,
Fortiter in ueſtram tendere perniciem.
Quod iuuat hic, ceu fumus abit, fruſtraq́; tenetur,
Pro quibus æternum quod cruciabit erit.
Quo tamen egrederis mea Pieris? iſta canemus,
Tempore quo uena liberiore flues.
Sed quia teſte docet Chriſto meus iſta Lutherus,
Limina propoſiti linquere cauſſa fuit.
Ardeat interea quantum libet, ardeat & ſe
Quisquis erit proprio torqueat igne miſer.
Vrbs ut honorifice uenientem noſtra recepit,
Sic eſt præſentem laus coluiſſe virum.
Quo ſapiens illum cumulârit honore Senatus,
Nemo, niſi inuidiæ turba miniſtra, rogat.
Qualibus officijs ſchola decertârit Hieræ,
Hoc quoq; conatis ciuibus eſſe prior.
Et merito, cupidæ nam uenit Apoſtolus urbi,
Vana docens populos linquere, uera ſequi.
Primus enim docuit, poſt tôt iam ſecula, quæ nam
Prima ſit æthereas, quæ uia monſtret opes.

Hæmophagos blandis ſub uulpibus ire leones,
Chriſticolamq́; auido perdere dente gregem.
Hoc ut auaritiæ nocuit ſine fine furenti,
Sic in tam claro lumine cæca manet.
Cui precioſa queant collyria nulla mederi,
Sed neq; Phillirica miſta uenena manu.
Sic miſeros inſana ſacri ſitis occupat auri,
Inq; uoluptates non ſatis una Venus.
Quo ruis heu incauta tui mens? illa peribit
De minimè firmo puluere facta caro.
Duratura manet ſeclo te uita futuro,
Vel mala cum Stygijs, uel bona cum ſuperis:

AD MARTINVM ERPHVRDIA abeuntem, Elegia Quarta.

VAde, tuum comites animæ, puriſſima turba,
Angelicæ ſeruent, & tueantur iter.
I, pete Vangionũ, iam ſedem Cæſaris, urbem
Illa quod eſt, num te Roma fuiſſe pudet?
Ibis adornantes Auguſta palatia reges,
Stabis honoratos ante Luthere duces.
Forte aderunt qui te Medico parare Leoni,
Et tua de Chriſto perdere ſcripta uolent.
Chriſte ueta, nam res agitur tua, talibus auſis
Hei mihi quas pœnas mox Aleandre dabis,
At tibi tu conſta Chriſti fortiſſime miles,
Ecce deo uirtus uindice tuta tua eſt.

Nec dum

Nec dubito quàm ſis caſus infractus in omneis,
Quamq; minas contra fortiter ire queas.
Sicut in æquoreos ubi fixa eſt anchora fundos,
Tempeſtas ſtabilem non mouet ulla ratem.
Vade deo præeunte, tua eſt uictoria, Chriſtum
Cui pugnas, contra nullius arma ualent.
Fulmina pontificis nihil admirabere, nam te
Iamdudum ſenſit quantus in arma ruas.
Tu modo ſummorum regum clariſſime ſanguis,
Auguſte his cœptis Carole dexter ades.
Carole Semideum ſate ſtirpe ab utroq; parente,
Virtutem factis ſic utriusq; refer.
Vtq; animo flores & corpore, floris honorem
Noxia ne turbet qualibet aura caue.
Lurida non audi ſpirantes toxica linguas,
Præcipue magnis Regibus iſta nocent.
Plura monendus eras, ſed eras ſine teſte monendus,
Hei mihi cur teſtem carmina noſtra timent?
Neſciat interea meritam tua Roma ſalutem,
Auguſtum pro te quem te ueneretur habet.
Illius audebis florem poſuiſſe iuuentæ,
Fortibus & factis eſſe docere uirum.
At tu uade decus noſtrum Martine Luthere,
Adſere uictoris iuſta trophæa Dei.
Adſere, namq; potes, fidei fundamina ſanctæ,
Illa ferè noſtras exulat ante fores.

Detege Romanas, orbis ludibria, fraudes
Quid lacerat miſeras paſtor iniquus oues?
Quem nunc bella uides populis, clademq́ minari,
Ni tua Lutheri ſcripta negare uolent.
Aſpicis ut coeant fatuæ tot millia gentes,
Gallus ut hinc bellum cogitet inde Leo.
I nunc autorem pacis uenerare Leonem,
Et Chriſti titulos illius eſſe puta.
Te quoq́ bella manent, pro te quoq́ bella gerenda
In cauſa partes ſunt meliore tuæ.
Magna pijs pro te Germania ſtabit in armis,
Quid dubitas orbem quo cadat illa, trahi?
I modo non aliqua preſſus formidine, nulli
E ſuperis Chriſtum præcipitare datur.
Hunc etenim belloq́ petunt, armisq́ laceſſunt,
Qui tua ſcripta uetant docte Luthere legi.
I dabit ille tibi uires qui ſe dedit ipſum,
Idem ſeruabit qui mouet illud opus.
Vade animo non fracte, nec ullis mote periclis,
Quo minus hoc audax ingredereris iter.
Sicut prima ſatis fortuna arridet eunti,
Clarior eſt reditus fama futura tui:
Vade bonis auibus Chriſtus tueatur euntem,
Vt redeas fato candidiore, Vale.

AD IVSTVM IONAM THEOLOgum cum Martino redeuntem à Cæſare, Elegia V.

TV quoq; magnanimi comes indeuicte Lutheri
Noſter in hac Iona parte canendus eras.
Auſe parata ſequi uelut in ſua fata ruentem,
Eſt etiam meriti gratia magna tui.
Namq; per inſidias, quibus omnia plena malorum,
Laus eſt pro Chriſto non timuiſſe mori.
Iam ſua ſtringebant Romani tela Cinœdi,
In caput & uitam ſancte Luthere tuam.
Impia conatum ſpreuiſti fortiter hoſtem,
Spernentem Ionas qui ſequeretur erat.
Quàm bene communis fructu non caſſe pericli,
Par tua uictori gloria penè uenit.
Nam qui uincenti propiora pericla ſubiuit,
Proxima uictori præmia ferre ſolet.
Et fuerat ſubiti pulcherrima cauſſa laboris,
Non erat hunc orbem uincere maius opus:
Dic age, per Muſas quas ille coronat Apollo,
Quem peperit nullo Pieris uſa uiro.
Dic quibus accepti ueniſtis honoribus urbem
Vangionum, quæ nunc mœnia Cæſar habet?
Quandoquidem reduci fœliciter eueniſſe
Credimus; & facilem uos habuiſſe deum.
Romula quid uoluit peſtis nocuiſſe Luthero,
Heu pudor, in medio Teutonis ora tui?
Dicite Germani proceres, fortiſſima nuper
Pectora, num fieri uos penes iſta pudet?

Semiuiri, Romana malorum Lerna, Cinædi
Audent in ueſtro dicere iura ſolo?
Quodq́; magis miror, uobis præſcribere leges
Damnoſas ſinitis uilia mancipia?
Scilicet obſcurum eſt, ueſtram non uelle ſalutem,
Ex uobis aurum præter amare nihil?
Non tamen his primum eſt res hæc agitata querelis
Mille modis acta eſt fabula, mille locis.
Verum age per ſuperos iterum, chariſsime Iona,
Ille an adhuc ſurdis auribus ordo manet?
Quid paret ille adeo iuſtis Huttenus *in armis?*
Quid bona Franciſcum *turba ſequuta ducem?*
Fallor, an aſpicio pedicas Aleandron *habentem?*
Te cupere in uinclis poſſe Marine *mori?*
Quicquid id eſt, niſi mens Hutteni *animoſa fefellit,*
O minor infauſtum perdita Roma *tibi.*
Perdita Pontifici poſtquam data ſerua Tyranno,
Eheu de quanto culmine lapſa iaces.
Quam libertatem cunctis dare Roma *ſolebas,*
Aſpice te infœlix quàm nihil huius habes.
Heu ubi maieſtas? quo tanta potentia Romæ,
Totius arx orbis, quomodo fracta iaces?
Omnia ſic pereunt, etiam celſiſsima rerum,
Et nihil eſt iſto ſub Ioue *ſemper idem.*
Muſa redi, quo te iacis ultra ſepta, per iſtas
Ceu uepres quodam ſueta furore rapi?

Tantum

Tantum iter ex animo tibi gratulor illud Iona,
Eſt quod præcipui nominis inde trahas.
Forſan ut obtrectet, ſicut ſolet omnia, liuor,
Hunc tu iamdudum ſpernere doctus eras.
Quis ſapiens coruos timeat crocitare moleſtos,
Dum quòd delectet progrediatur iter?
Dura ſibi infœlix ut ruperit ilia uenter,
Ridendum, plus quàm quòd mouearis erit.
Nam ſatis in pœnas ipſe eſt ſibi, ſeq; dolendo
Euirat, & ſoli carnificina ſibi eſt.
Qui quoniam male ſemper agit, fugit aurea ſolis
Lumina, & in tenebris ſurdida talpa iacet.
Et quoniam placet hoc uitæ genus, imprecor illis,
Quod nunc ſunt miſeri, ſemper id eſſe queant.
Tu uero nullo inuidiæ perfuſe ueneno,
Non unquam miſeri ſordibus acte lucri,
Clare bonis animi, lingua, pietate, fideq;,
Quod facis, ut facias, ſæpe diuq; precor.
Quis ego nec uidi meliora negocia factu,
Nec quæ tu poßis aut prius, aut melius.
Tantum erat adſerto Martinum uincere Chriſto,
Te ſocium tanti muneris eſſe Vale.

AD HVLDERICHVM HVTTENVM
Equitem ac Poetam, ut Lutheri cauſam
adſerat, Elegia VI.

ADſere nũc fortiſsime eques, doctiſsime uates,
Qua debes dextra uindice, quaq́; potes.
Adſere germanũ iuuenis Germane Lutherũ,
Te duce libertas noſtra tuenda fuit.
Libertas ſtrygibus quæ nunc oppreſſa Papiſtis,
Heu nimium longo ſeruit in exilio.
Hanc tu adeo toti per ſcripta uolumina mundo,
Queſtus eras aliquo non remouente premi.
Queſtus eras memini, ſuperi audiuere querentem,
Nulla ſed in terris auris aperta fuit.
Audierant ſuperi, ſuperos audiſſe putato,
Quaq́; iubent illi nitere, perge, rue.
En tibi laurentem nectit uictoria palmam,
Proxima de ſuperis hæc dea uiſa mihi eſt.
Arma manu capienda, quibus cadat hoſtis inaudax,
Præſidij in libris carminibusq́; nihil.
Arma manu cape noſter eques fortiſsime, nec te
Auxilijs uacuum poſſe manere puta.
Qua ſe cunq; aliquo pandit Germania tractu,
Accedent ſignis milia multa tuis.
Ipſe etiam inuictis aderit Franciſcus in armis,
Per quem Sigginga eſt nobilitata domus.
Hic nulli ueterum dextra uictrice ſecundus,
Præcipue hunc titulum laudis habere uolet.
Vos duo uaticinor Romanæ fulmina Peſti,
Fallere Chriſte ueta quem facis iſta loqui.

Sed te præcipue ſpes noſtræ Huttene *morantur,*
Pars quia tu noſtri maxima nuper eras.
Scimus enim rudibus dum te metimur ab annis,
Illa animi quàm ſit uis generoſa tui,
Quàm fortis tolerare potens utriusq; laborem
Siue parens ueniat, ſiue nouerca tibi.
Quàmque etiam caſus uenias expertus in omnes
Quàm manus ingenium nobile prompta ſequi
Eya age noſter Eques, *tam dotibus aucte benignis*
Talem te populis fac precor eſſe fidem.
Nec tibi cum forti nimium res hoſte futura eſt,
Vincere qui tales audeat, ille poteſt.
Tu potes ingentes Heroas *in arma ciere*
Quæ poßint ipſos arma mouere Deos:
Ah pereant quos bella iuuant quæcunq;, nec ullum
Delectum armorum militiæq; tenent.
Hæc ſunt iuſta quibus faueat Germania *bellis,*
Quorum eſt, quæ perijt, maxima cauſſa fides
Hos Turcas, *I uince prius* Germane, *quibus te*
Tam ſeruire diu turpiter, an ne pudet?
Deinde alios Turcas *quæ res quos uincere poßis*
Quosq; labor fuerit, uincere forte minor.
Sed tamen imbelles facile eſt ſuperare Cynædos.
Nil dederis, uicti iam tibi terga dabunt.
Namq; tuo quoties auro tibi damna tulerunt
Tu damni neruos, in tua membra, dabas.

ELEGIA

DE INGRESSV LVTHERI IN Vrbem Erphurdiam Elegia Secunda.

NOn quia quā canimus pompā Luthere uolebas
Aut quia te noſtræ laudis egere putem,
Sed quoniam decuit ſeros exire ſub annos,
Indignam tenebris duximus eſſe premi.
Sic eciam placuit qui te mirantur amicis,
Et fuit inuito te quoq; digna legi.
Tempus erat quo prima noui laſciuia Veris,
Florigeram uiridi germine ueſtit humum
Iamq; canebantur paſchalia carmina paßim,
Vocali Aonidum floridiora melo.
Nunquam grata magis, ſtupefactam fama per urbem
Non procul inſignem nuntiat eſſe uirum
Atria uidiſſes ſtudiorum tota moueri
Cura quibus pompis exciperetur erat.
Nec mora conſtratis in equis exire paramus,
Quadraginta uiri, cætera turpe pedes,
Quis numero referat, uelut ad ſpectacla ruentes,
Quæ ſoleant uulgo non niſi rara dari.
Ibamus, numeroq; pares, cultuq; decenti,
Tunc eciam facti Muſica turba equites:
Inſtructo Princeps Crotus, ordine duxit euntes,
Gloria Muſarum, deliciæq; Crotus.
Iamq; iter emenſis, tria millia pluſue minusue
Sentiri citius quàm potuiſſet, adeſt

Ille

Ille quidem modico comitum, ſed uenit honeſto
Vix numero duci candidiore queat
Miſerat Auguſtus qui duceret, ille quietum
Romanis Aquilis eſſe docebat iter
Pone ſequebantur quos miſerat impiger Albis,
Inſignes meritis, & pietate uiri.
Accola littoribus fœlix urbs Albidos undæ
Obſcuras inter non habitura locum,
Clarum Friderichi caput exeris auſpice, nec te
Vindice Martino, poſſe latere puta.
Hos inter, qui nos præuenerat, ibat Ionas,
Ille decus noſtri, primaq; fama chori.
Conſtitimus, fluxasq; auriga tenebat habenas,
Tum Crotus hæc placido pectore uerba dedit
Vnice perfidiæ cenſor, quæ plurima noſtro
Pesdidit oppreſſam tempore pene fidem,
Hos coram uidiſſe, tuosq; agnoſcere uultus.
Hoc eſt, læticiæ non habuiſſe modum.
Et nobis nihil huc uenit iucundius unquam,
Vix aliquis ſuperum gratior eſſe queat.
Reddidit ille, Nec hos ego ſum meditatus honores
In me nec quicquam quod meruiſſet erat.
Sed uos iudicio noſtri præfertis amorem
Forte & crimen habent utraq;. grata tamen.
Hic ego neſcio quid balba de nare loquutus,
Elinguem plane ſum ratus eſſe nefas.

Inde ſatis lento repetentes mœnia paſſu,
Iam plenum urbana plebe redimus iter.
Turba quidem populi promiſcua cuncta tenebat
Strata, uiam, turres, mœnia, tecta, fores.
Qualia tum, Superi, teſtantes gaudia uoces,
Quanta ibi lætitiæ ſigna fuiſſe putas?
Inuide, tum poteras rumpi fieri iſta dolendo,
Aut laqueo uitam præripuiſſe tibi.
Aequa ſed extingui uetat hunc natura furorem;
Semper, ut in pœnas ardeat ipſe ſuas.
Quantumcunq; uoles nunc rumpere, ringere, ſæui
Liuide, materiam qua crucieris, habes.
Stabit ab adſerto Martini gloria Chriſto
Seu uelit ipſe illum uiuere, ſiue mori.

DE CONCIONE LVTHERI AD POpulum Erphurdienſem honoribusq; eidem exhibitis Elegia Tertia.

FOrtia non adeo Demoſthenis ora loquentis,
Cecropidas facta eſt obſtupuiſſe fides.
Non ita Roma ſuum mirata eſt cuius (ut aiunt)
Libera regnauit per fora lingua potens.
Vix ita (da ueniam) magni facundia Pauli
Mouit anhelantes dogmata ſancta uiros,
Sicut Apoſtolici mouerunt uerba Lutheri,
Qui populus Hieræ littus utrumq; colit.

Feſta

Feſta dies aderat qua Chriſtus carne reſumpta
  Diſcipulis pacem, temporibusq; dedit
Vrbe locus media eſt ſacer, Auguſtinia templa,
  Vt taceas, Lango non latitura meo.
Quo quia ab aduentu diuerterat, ortaq; uulgo
  Verba ibi facturum, fama benigna fuit.
Quàm cito de tota, ſtupor eſt, confluxerit urbe
  Viſa magis nullo tempore turba frequens.
Arctius haud ſtipant loculos ſua regna meliſſæ,
  Dum uernant humeri Sicelis Hybla tui
Quàm ſtabat compacta ipſam ſe turba coercens,
  Fluctibus æquoreis non ita diſsimilis.
Nam ſimul impulſa eſt minima de parte, trahebat
  Protinus undantem parua procella globum
Nec ſatis accepit uenientes area templi,
  Ante ipſas ſtabant milia multa fores.
Intus ut ex altis hærent tabulata columnis,
  Stante foras agmen penſile maius erat.
Id quanquam firmi poſtes, & ferrea nectant
  Vincla, repentini cauſa pauoris erat.
Pondere preſſa graui, gemitum nam forte dedere
  Vincula, nec clades ulla timenda fuit.
Fit fuga, ſubſtantes pauor occupat, ultima nudant
  In medio fuerant omnia tuta ſatis.
Nil agis, exclamat Martinus, nil agis iſtis,
  Agnoſco inſidias hoſtis acerbe tuas.

Extentaq; manu, nihil eſt, hic ecce pericli,
Ille ſuas arteis inſidiator agit.
Sic intellecto uecors errore reſedit
Impetus, inceptum nec prohibebat opus:
Qualibus ille autem uerbis myſteria Chriſti
Aediderit, ruditas dicere noſtra uetat.
Mouit enim ueris concors facundia rebus
Littera quos animos nulla mouere queat.
Horrida ſic dulci liqueſcit pectora lingua,
Verna ſeneſcentes ut ſolet aura niues.
O quicunq; leues dictis popularibus auras
Captatis, nihil hic uos manet, ite procul.
Hic eſt ille Dei uerus pietatis amator,
Vos hominum laudes uanaq; uerba trahunt.
Vos ad opum ſordes conuertitis omnia, nullis
Ille niſi æternas uocibus ambit opes.
Venter iners uobis Deus eſt, quos tarda uoluptas
Alligat, & miſeri cæca cupido lucri.
Quis neget eſſe bonos quoſdam, ſed rara bonorum
Copia, ſunt ſemper maxima turba mali.
Nanq;, quid usq; adeo cruciant uos iſta Lutheri
Nil niſi præſentem dogmata faſſa Deum?
Cuius ut eloquio non eſt præſentius ullum
Sic nihil à uobis conſtat abeſſe magis.
Nam quis (ut inuidiæ demus pauciſſima) ueſtrum
Non ſtudio lucri, pars quota ſacra colit?

Sacra

Sacra, quibus ſolidæ fidei nihil adſit, & omnis
Accedat rerum non pietatis honor.
Dumq́; ita uiſibili per inania facta placemus,
Mundi inuiſibilis præmia deſerimus.
Quæq́; ille obtulerit ceu ſomnia, lucra putamus.
Huius diuitias ducimus eſſe nihil.
Deſinite heu, fatuæ per aperta pericula mentes,
Fortiter in ueſtram tendere perniciem.
Quod iuuat hic, ceu fumus abit, fruſtraq́; tenetur,
Pro quibus æternum quod cruciabit erit.
Quo tamen egrederis mea Pieris? iſta canemus,
Tempore quo uena liberiore flues.
Sed quia teſte docet Chriſto meus iſta Lutherus,
Limina propoſiti linquere cauſſa fuit.
Ardeat interea quantum libet, ardeat & ſe
Quisquis erit proprio torqueat igne miſer.
Vrbs ut honorifice uenientem noſtra recepit,
Sic eſt præſentem laus coluiſſe virum.
Quo ſapiens illum cumulârit honore Senatus,
Nemo, niſi inuidiæ turba miniſtra, rogat.
Qualibus officijs ſchola decertârit Hieræ,
Hoc quoq; conatis ciuibus eſſe prior.
Et merito, cupidæ nam uenit Apoſtolus urbi,
Vana docens populos linquere, uera ſequi.
Primus enim docuit, poſt tôt iam ſecula, quæ nam
Prima ſit æthereas, quæ uia monſtret opes.

Hæmophagos blandis ſub uulpibus ire leones,
Chriſticolamq́; auido perdere dente gregem.
Hoc ut auaritiæ nocuit ſine fine furenti,
Sic in tam claro lumine cæca manet.
Cui precioſa queant collyria nulla mederi,
Sed neq; Phillrica miſta uenena manu.
Sic miſeros inſana ſacri ſitis occupat auri,
Inq́; uoluptates non ſatis una Venus.
Quo ruis heu incauta tui mens? illa peribit
De minimè firmo puluere facta caro.
Duratura manet ſeclo te uita futuro,
Vel mala cum Stygijs, uel bona cum ſuperis:

AD MARTINVM ERPHVRDIA
abeuntem, Elegia Quarta.

VAde, tuum comites animæ, puriſsima turba,
Angelicæ ſeruent, & tueantur iter.
I, pete Vangionũ, iam ſedem Cæſaris, urbem
Illa quod eſt, num te Roma fuiſſe pudet?
Ibis adornantes Auguſta palatia reges,
Stabis honoratos ante Luthere duces.
Forte aderunt qui te Medico parare Leoni,
Et tua de Chriſto perdere ſcripta uolent.
Chriſte ueta, nam res agitur tua, talibus auſis
Hei mihi quas pœnas mox Aleandre dabis.
At tibi tu conſta Chriſti fortiſsime miles,
Ecce deo uirtus uindice tuta tua eſt.

Nec dubito quàm ſis caſus infractus in omneis,
Quamq; minas contra fortiter ire queas.
Sicut in æquoreos ubi fixa eſt anchora fundos,
Tempeſtas ſtabilem non mouet ulla ratem.
Vade deo præeunte,tua eſt uictoria,Chriſtum
Cui pugnas,contra nullius arma ualent.
Fulmina pontificis nihil admirabere,nam te
Iamdudum ſenſit quantus in arma ruas.
Tu modo ſummorum regum clariſsime ſanguis,
Auguſte his cœptis Carole dexter ades.
Carole Semideum ſate ſtirpe ab utroq; parente,
Virtutem factis ſic utriusq; refer.
Vtq; animo flores & corpore,floris honorem
Noxia ne turbet quælibet aura caue.
Lurida non audi ſpirantes toxica linguas,
Præcipue magnis Regibus iſta nocent.
Plura monendus eras,ſed eras ſine teſte monendus,
Hei mihi cur teſtem carmina noſtra timent?
Neſciat interea meritam tua Roma ſalutem,
Auguſtum pro te quem te ueneretur habet.
Illius audebis florem poſuiſſe iuuentæ,
Fortibus & factis eſſe docere uirum.
At tu uade decus noſtrum Martine Luthere,
Adſere uictoris iuſta trophæa Dei.
Adſere,namq; potes,fidei fundamina ſanctæ,
Illa ferè noſtras exulat ante fores.

Detege Romanas, orbis ludibria, fraudes
Quid lacerat miſeras paſtor iniquus oues?
Quem nunc bella uides populis, cladem(que) minari,
Ni tua Lutheri ſcripta negare uolent.
Aſpicis ut coeant fatuæ tot millia gentes,
Gallus ut hinc bellum cogitet inde Leo.
I nunc autorem pacis uenerare Leonem,
Et Chriſti titulos illius eſſe puta.
Te quoq; bella manent, pro te quoq; bella gerenda
In cauſa partes ſunt meliore tuæ:
Magna pijs pro te Germania ſtabit in armis,
Quid dubitas orbem quo cadat illa, trahi?
I modo non aliqua preſſus formidine, nulli
E ſuperis Chriſtum præcipitare datur.
Hunc etenim belloq; petunt, armisq; laceſſunt,
Qui tua ſcripta uetant docte Luthere legi.
I dabit ille tibi uires qui ſe dedit ipſum,
Idem ſeruabit qui mouet illud opus.
Vade animo non fracte, nec ullis mote periclis,
Quo minus hoc audax ingredereris iter.
Sicut prima ſatis fortuna arridet eunti;
Clarior eſt reditus fama futura tui:
Vade bonis auibus Chriſtus tueatur euntem;
Vt redeas fato candidiore, Vale.

AD IVSTVM IONAM THEOLOgum cum Martino redeuntem a Cæſare, Elegia V.

TV quoq; magnanimi comes indeuicte Lutheri
Noſter in hac Iona parte canendus eras.
Auſe parata ſequi uelut in ſua fata ruentem,
Eſt etiam meriti gratia magna tui.
Namq; per inſidias, quibus omnia plena malorum,
Laus eſt pro Chriſto non timuiſſe mori.
Iam ſua ſtringebant Romani tela Cinœdi,
In caput & uitam ſancte Luthere tuam.
Impia conatum ſpreuiſti fortiter hoſtem,
Spernentem Ionas qui ſequeretur erat.
Quàm bene communis fructu non caſſe pericli,
Par tua uictori gloria penè uenit.
Nam qui uincenti propiora pericla ſubiuit,
Proxima uictori præmia ferre ſolet.
Et fuerat ſubiti pulcherrima cauſſa laboris,
Non erat hunc orbem uincere maius opus:
Dic age, per Muſas quas ille coronat Apollo,
Quem peperit nullo Pieris uſa uiro.
Dic quibus accepti ueniſtis honoribus urbem
Vangionum, quæ nunc mœnia Cæſar habet?
Quandoquidem reduci fœliciter eueniſſe
Credimus; & facilem uos habuiſſe deum.
Romula quid uoluit peſtis nocuiſſe Luthero,
Heu pudor, in medio Teutonis ora tui?
Dicite Germani proceres, fortiſſima nuper
Pectora, num fieri uos penes iſta pudet?

ELEGIAE

QVAEDAM PRO ASSERTIO
NE LVTHERANI DOG-
matis olim Anno fermè
XX. *ſcriptæ ac*
æditæ.
Per Helium Eobanum Heſſum.

HELII EOBANI HESSI IN MARTI
NVM LVTHERVM ELEGIARVM
libellus, de eius in urbem Erphurdi
am ingreſſu, Elegia prima.

SI QVA PRIVS *querulæ ceciniſtis læta Camœnæ,*
Nunc Elegi falſum nomē habere decet.
Ponite luctificā ſolitæ ſufflare monaulon,
Iam decuit ueſtras barbitos apta manus.
Ite triumphali popularia tempora Lauro
Cingite, lætitia eſt res peragenda noua.
Inclyta præcipue celebres Erphurdia plauſus
Aede, tuas feſta collige fronde comas.

Ecce

Ecce uenit, qui te de ſordibus eruat iſtis,
Sub quibus heu nimio tempore preſſa iaces.
Dicere ſed liceat, quod mens animoſa ſuáſit
Veridicum Vatem nunc libet eſſe tibi.
Ille Deo mentem plenus ſpirante ſalutem
Lutherus, ſordes eluet ille tuas.
Tu modo fidentem ſpem concipe, & iſta relinque
Heu male regnantis dogmata uana chori.
Ille quidem primus uidit uir, inutile, noſtro
Tempore, per Chriſti ſurgere ſemen agrum.
Vidit, & eſt auſus duros adhibere ligones,
Noxiaq; artifici uellere quæq; manu.
Ante quidem uidit mundoq; oſtendit Eraſmus,
Secula quo cernunt doctius iſta nihil.
Quàm feciſſe igitur uelut eſt minus oſtendiſſe
Lutherus meriti grandius inſtar habet
Sicut Atlantææ ſubiturus pondera molis
Alcides, animo non dubitante tulit.
Sicut (ut à ueris procul abſit fabula) Chriſtum
Adſeruit rebus, turba ſequuta crucem.
Nam quid erat uerbis, uelut ocia uana, ſequutos,
Non aliquam rebus conſtituiſſe fidem?
Sic animo ruit inuicto Lutherus in omneis
Fortunæ inſultus, Inuidiæq; minas.
Certus in hoc eciam, quem prædicat, omnia Chriſto,
Vincere, uel mundo ſint grauiora licet.

Hic mihi nec uecors Rabula, aut indocte Sacerdos
Obganni hæretico polluere ore fidem.
Tempus erit quo te nos accipiemus ouantem,
In caput urgentes omnia dira tuum.
Nunc illi decuit uenienti applaudere, per quem
Lucidiore fluunt Rhenus, & Albis aqua,
Cui licet exiguus uenienti flectit Hieras
Cornua, non proprio ſordida facta luto.
Ille breues longa uelatus arundine crines,
Creditus eſt certe ſic uoluiſſe loqui.
Quandoquidem ceſſant humanæ in carmina linguæ
Et ſtupidæ uoces, raucaq; uerba iacent
Cur fuerit mirum ſi muta elementa loquantur?
Prata, lacus, montes, flumina, ſaxa, feræ
Præcipue ſuperante nouæ præconia laudis
Materia, quæ ſit uix habitura parem.
Qui primus Chriſti purgare aggreſſus ouile
Paſtores ouium prodidit eſſe lupos.
Auſus & à ſummis rationem poſcere, furta,
Spem tulit illorum poſſe latere diu.
Ille ubi ad hanc uenit quam præterlabimur urbem
Fas erat hic aliquam conticuiſſe Chelym?
Non decuit feſtos in publica gaudia cultus
Sumere? & ærata cymbala fuſte quati?
Ipſe ego ut has ripas tetigit, tranquillior ibam,
Noſtraq; plus ſolito purior unda fuit

Et niſi

Et, niſi uana Scholæ uicinæ fallit imago,
Aonidas comites auguror iſſe uiro.
Sic bona ſpectatum Nympharum turba ruebat
A fluuio, Muſas præterijſſe putes.
Neſcio quæ noſtras etiam uox uenit ad aures
Tanquam de ſuperis tale quid auſa loqui.
Exoptate diu uotis Martine tuorum,
Noſtra deûm dextro numine tecta ſubi.
Vnice qui Chriſti populis oracula reddis,
Et uerbis reddi qualibus illa decet.
Quæ iacuere diu tenebris confuſa priorum
Sacra doces, puro lumine ſcripta legi.
Namq́; ſub hac latuit multorum inſcitia palla,
Si fierent paucis cognita uerba Dei.
Tu uelut à facie Moſis uelamina ducens
Apparere facis quæ latuere prius.
Tu ſua Chriſticolæ reddis cognomina plebi,
Nomina quæ rebus diſſona nuper erant.
Pax iterum cœlo redit aurea, & hoſte perempto
Nocte ſub æterna bella ſepulta iacent.
Ingredere ô fœlix, Chriſtus fortunet euntem,
Iam tibi quo noceat nil ferus hoſtis habet.
Ingredere ô, cœptoq́; iuua conſiſtere curſu
Quos iterum Chriſto parturijſſe potes.
Sicut & inuidiæ morſus contemnis inanes,
Sic qui ſyncere te uenerantur ama.

DE INGRESSV LVTHERI IN Vrbem Erphurdiam Elegia Secunda.

NOn quia quã canimus pompã Luthere uolebas
Aut quia te noſtræ laudis egere putem,
Sed quoniam decuit ſeros exire ſub annos,
Indignam tenebris duximus eſſe premi.
Sic eciam placuit qui te mirantur amicis,
Et fuit inuito te quoq́; digna legi.
Tempus erat quo prima noui laſciuia Veris,
Florigeram uiridi germine ueſtit humum
Iamq́; canebantur paſchalia carmina paßim,
Vocali Aonidum floridiora melo.
Nunquam grata magis, ſtupefactam fama per urbem
Non procul inſignem nuntiat eſſe uirum
Atria uidiſſes ſtudiorum tota moueri
Cura quibus pompis exciperetur erat.
Nec mora conſtratis in equis exire paramus,
Quadraginta uiri, cætera turpe pedes,
Quis numero refert, uelut ad ſpectacla ruentes,
Quæ ſoleant uulgo non niſi rara dari.
Ibamus, numeroq́; pares, cultuq́; decenti,
Tunc eciam facti Muſica turba equites:
Inſtructo Princeps Crotus, ordine duxit euntes,
Gloria Muſarum, deliciæq́; Crotus.
Iamq́; iter emenſis, tria millia pluſue minusue
Sentiri citius quàm potuiſſet, adeſt

Ille quidem modico comitum,ſed uenit honeſto
    Vix numero duci candidiore queat
Miſerat Auguſtus qui duceret,ille quietum
    Romanis Aquilis eſſe docebat iter
Pone ſequebantur quos miſerat impiger Albis,
    Inſignes meritis,& pietate uiri.
Accola littoribus fœlix urbs Albidos undæ
    Obſcuras inter non habitura locum,
Clarum Fridericho caput exeris auſpice,nec te
    Vindice Martino,poſſe latere puta.
Hos inter,qui nos præuenerat,ibat Ionas,
    Ille decus noſtri,primaq; fama chori.
Conſtitimus,fluxasq; auriga tenebat habenas,
    Tum Crotus hæc placido pectore uerba dedit
Vnice perfidiæ cenſor,quæ plurima noſtro
    Pesdidit oppreſſam tempore pene fidem,
Hos coram uidiſſe,tuosq; agnoſcere uultus.
    Hoc eſt,læticiæ non habuiſſe modum.
Et nobis nihil huc uenit iucundius unquam,
    Vix aliquis ſuperum gratior eſſe queat.
Reddidit ille,Nec hos ego ſum meditatus honores
    In me nec quicquam quod meruiſſet erat.
Sed uos iudicio noſtri præfertis amorem
    Forte & crimen habent utraq;.grata tamen.
Hic ego neſcio quid balba de nare loquutus,
    Elinguem plane ſum ratus eſſe nefas.

Inde ſatis lento repetentes mœnia paſſu,
Iam plenum urbana plebe redimus iter.
Turba quidem populi promiſcua cuncta tenebat
Strata, uiam, turres, mœnia, tecta, fores.
Qualia tum, Superi, teſtantes gaudia uoces,
Quanta ibi lætitiæ ſigna fuiſſe putas?
Inuide, tum poteras rumpi fieri iſtá dolendo,
Aut laqueo uitam præripuiſſe tibi.
Aequa ſed extingui uetat hunc natura furorem;
Semper, ut in pœnas ardeat ipſe ſuas.
Quantumcunq; uoles nunc rumpere, ringere, ſæui
Liuide, materiam qua crucieris, habes.
Stabit ab adſerto Martini gloria Chriſto
Seu uelit ipſe illum uiuere, ſiue mori.

DE CONCIONE LVTHERI AD POpulum Erphurdienſem honoribusq; eidem exhibitis Elegia Tertia.

Fortia non adeo Demoſthenis ora loquentis,
Cecropidas facta eſt obſtupuiſſe fides.
Non ita Roma ſuum mirata eſt cuius (ut aiunt)
Libera regnauit per fora lingua potens.
Vix ita (da ueniam) magni facundia Pauli
Mouit anhelantes dogmata ſancta uiros,
Sicut Apoſtolici mouerunt uerba Lutheri,
Qui populus Hieræ littus utrumq; colit.

Feſta

Feſta dies aderat qua Chriſtus carne reſumpta
Diſcipulis pacem,temporibusq́; dedit
Vrbe locus media eſt ſacer,Auguſtinia templa,
Vt taceas,Lango non latitura meo.
Quo quia ab aduentu diuerterat,ortaq́; uulgo
Verba ibi facturum,fama benigna fuit.
Quàm cito de tota,ſtupor eſt,confluxerit urbe
Viſa magis nullo tempore turba frequens.
Arctius haud ſtipant loculos ſua regna meliſſæ,
Dum uernant humeri Sicelis Hybla tui
Quàm ſtabat compacta ipſam ſe turba coercens,
Fluctibus æquoreis non ita diſsimilis.
Nam ſimul impulſa eſt minima de parte,trahebat
Protinus undantem parua procella globum
Nec ſatis accepit uenientes area templi,
Ante ipſas ſtabant milia multa fores.
Intus ut ex altis hærent tabulata columnis,
Stante foras agmen penſile maius erat.
Id quanquam firmi poſtes,& ferrea nectant
Vincla,repentini cauſa pauoris erat.
Pondere preſſa graui,gemitum nam forte dedere
Vincula,nec clades ulla timenda fuit.
Fit fuga,ſubſtantes pauor occupat,ultima nudant
In medio fuerant omnia tuta ſatis.
Nil agis,exclamat Martinus,nil agis iſtis,
Agnoſco inſidias hoſtis acerbe tuas.

Extentaq́; manu,nihil eſt,hic ecce pericli,
Ille ſuas arteis inſidiator agit.
Sic intellecto uecors errore reſedit
Impetus,inceptum nec prohibebat opus:
Qualibus ille autem uerbis myſteria Chriſti
Aediderit,ruditas dicere noſtra uetat.
Mouit enim ueris concors facundia rebus
Littera quos animos nulla mouere queat.
Horrida ſic dulci liqueſecit pectora lingua,
Verna ſeneſcentes ut ſolet aura niues.
O quicunq; leues dictis popularibus auras
Captatis,nihil hic uos manet,ite procul.
Hic eſt ille Dei uerus pietatis amator,
Vos hominum laudes uanaq́; uerba trahunt.
Vos ad opum ſordes conuertitis omnia,nullis
Ille niſi æternas uocibus ambit opes.
Venter iners uobis Deus eſt,quos tarda uoluptas
Alligat,& miſeri cæca cupido lucri.
Quis neget eſſe bonos quoſdam,ſed rara bonorum
Copia,ſunt ſemper maxima turba mali.
Nanq́;,quid usq; adeo cruciant uos iſta Lutheri
Nil niſi præſentem dogmata ſaſſa Deum?
Cuius ut eloquio non eſt præſentius ullum
Sic nihil à uobis conſtat abeſſe magis.
Nam quis (ut inuidiæ demus pauciſsima) ueſtrum
Non ſtudio lucri,pars quota ſacra colit?

Sacra, quibus ſolidæ fidei nihil adſit, & omnis
Accedat rerum non pietatis honor.
Dumq́; ita uiſibili per inania facta placemus,
Mundi inuiſibilis præmia deſerimus.
Quæq; ille obtulerit ceu ſomnia, lucra putamus.
Huius diuitias ducimus eſſe nihil.
Deſinite heu, fatuæ per aperta pericula mentes,
Fortiter in ueſtram tendere perniciem.
Quod iuuat hic, ceu fumus abit, fruſtraq́; tenetur,
Pro quibus æternum quod cruciabit erit.
Quo tamen egrederis mea Pieris? iſta canemus,
Tempore quo uena liberiore flues.
Sed quia teſte docet Chriſto meus iſta Lutherus,
Limina propoſiti linquere cauſſa fuit.
Ardeat interea quantum libet, ardeat & ſe
Quisquis erit proprio torqueat igne miſer.
Vrbs ut honorifice uenientem noſtra recepit,
Sic eſt præſentem laus coluiſſe uirum.
Quo ſapiens illum cumulârit honore Senatus,
Nemo, niſi inuidiæ turba miniſtra, rogat.
Qualibus officijs ſchola decertârit Hieræ,
Hoc quoq; conatis ciuibus eſſe prior.
Et merito, cupidæ nam uenit Apoſtolus urbi,
Vana docens populos linquere, uera ſequi.
Primus enim docuit, poſt tôt iam ſecula, quæ nam
Prima ſit æthereas, quæ uia monſtret opes.

Hæmophagos blandis ſub uulpibus ire leones,
Chriſticolamq́; auido perdere dente gregem.
Hoc ut auaritiæ nocuit ſine fine furenti,
Sic in tam claro lumine cæca manet.
Cui precioſa queant collyria nulla mederi,
Sed neq; Phillirica miſta uenena manu.
Sic miſeros inſana ſacri ſitis occupat auri,
Inq́; uoluptates non ſatis una Venus.
Quo ruis heu incauta tui mens? illa peribit
De minimè firmo puluere facta caro.
Duratura manet ſeclo te uita futuro,
Vel mala cum Stygijs, uel bona cum ſuperis:

AD MARTINVM ERPHVRDIA
abeuntem, Elegia Quarta.

VAde, tuum comites animæ, puriſſima turba,
Angelicæ ſeruent, & tueantur iter.
I, pete Vangionū, iam ſedem Cæſaris, urbem
Illa quod eſt, num te Roma fuiſſe pudet?
Ibis adornantes Auguſta palatia reges,
Stabis honoratos ante Luthere duces.
Forte aderunt qui te Medico parare Leoni,
Et tua de Chriſto perdere ſcripta uolent.
Chriſte ueta, nam res agitur tua, talibus auſis
Hei mihi quas pœnas mox Aleandre dabis,
At tibi tu conſta Chriſti fortiſſime miles,
Ecce deo uirtus uindice tuta tua eſt.

Nec dubito quàm ſis caſus infractus in omneis,
Quamq; minas contra fortiter ire queas.
Sicut in æquoreos ubi fixa eſt anchora fundos,
Tempeſtas ſtabilem non mouet ulla ratem.
Vade deo præeunte, tua eſt uictoria, Chriſtum
Cui pugnas, contra nullius arma ualent.
Fulmina pontificis nihil admirabere, nam te
Iamdudum ſenſit quantus in arma ruas.
Tu modo ſummorum regum clariſsime ſanguis,
Auguſte his cœptis Carole dexter ades.
Carole Semideum ſate ſtirpe ab utroq; parente,
Virtutem factis ſic utriusq; refer.
Vtq; animo flores & corpore, floris honorem
Noxia ne turbet qualibet aura caue:
Lurida non audi ſpirantes toxica linguas,
Præcipue magnis Regibus iſta nocent.
Plura monendus eras, ſed eras ſine teſte monendus,
Hei mihi cur teſtem carmina noſtra timent?
Neſciat interea meritam tua Roma ſalutem,
Auguſtum pro te quem te ueneretur habet.
Illius audebis florem poſuiſſe iuuentæ,
Fortibus & factis eſſe docere uirum.
At tu uade decus noſtrum Martine Luthere,
Adſere uictoris iuſta trophæa Dei.
Adſere, namq; potes, fidei fundamina ſanctæ,
Illa fere noſtras exulat ante fores.

Detege Romanas, orbis ludibria, fraudes
Quid lacerat miſeras paſtor iniquus oues?
Quem nunc bella uides populis, cladem'q; minari,
Ni tua Lutheri ſcripta negare uolent.
Aſpicis ut coeant fatuæ tot millia gentes,
Gallus ut hinc bellum cogitet inde Leo.
I nunc autorem pacis uenerare Leonem,
Et Chriſti titulos illius eſſe puta.
Te quoq; bella manent, pro te quoq; bella gerenda
In cauſa partes ſunt meliore tuæ:
Magna pijs pro te Germania ſtabit in armis,
Quid dubitas orbem quo cadat illa, trahi?
I modo non aliqua preſſus formidine, nulli
E ſuperis Chriſtum præcipitare datur.
Hunc etenim belloq; petunt, armisq; laceſſunt,
Qui tua ſcripta uetant docte Luthere legi.
I dabit ille tibi uires qui ſe dedit ipſum,
Idem ſeruabit qui mouet illud opus.
Vade animo non fracte, nec ullis mote periclis,
Quo minus hoc audax ingredereris iter:
Sicut prima ſatis fortuna arridet eunti;
Clarior eſt reditus fama futura tui:
Vade bonis auibus Chriſtus tueatur euntem;
Vt redeas fato candidiore, Vale.

AD IVSTVM IONAM THEOLO-
gum cum Martino redeuntem à Cæ-
ſare, Elegia V.

TV quoq; magnanimi comes indeuicte Lutheri
Noſter in hac Iona parte canendus eras.
Auſe parata ſequi uelut in ſua fata ruentem,
Eſt etiam meriti gratia magna tui.
Namq; per inſidias, quibus omnia plena malorum,
Laus eſt pro Chriſto non timuiſſe mori.
Iam ſua ſtringebant Romani tela Cinœdi,
In caput & uitam ſancte Luthere tuam.
Impia conatum ſpreuiſti fortiter hoſtem,
Spernentem Ionas qui ſequeretur erat.
Quàm bene communis fructu non caſſe pericli,
Par tua uictori gloria penè uenit.
Nam qui uincenti propiora pericla ſubiuit,
Proxima uictori præmia ferre ſolet.
Et fuerat ſubiti pulcherrima cauſſa laboris,
Non erat hunc orbem uincere maius opus:
Dic age, per Muſas quas ille coronat Apollo,
Quem peperit nullo Pieris uſa uiro.
Dic quibus accepti ueniſtis honoribus urbem
Vangionum, quæ nunc mœnia Cæſar habet?
Quandoquidem reduci fœliciter eueniſſe
Credimus; & facilem uos habuiſſe deum.
Romula quid uoluit peſtis nocuiſſe Luthero,
Heu pudor, in medio Teutonis ora tui?
Dicite Germani proceres, fortiſſima nuper
Pectora, num fieri uos penes iſta pudet?

Semiuiri, Romana malorum Lerna, Cinædi
Audent in ueſtro dicere iura ſolo?
Quodq́; magis miror, uobis præſcribere leges,
Damnoſas ſinitis uilia mancipia?
Scilicet obſcurum eſt, ueſtram non uelle ſalutem,
Ex uobis aurum præter amare nihil?
Non tamen his primum eſt res hæc agitata querelis
Mille modis acta eſt fabula, mille locis.
Verum age per ſuperos iterum, chariſſime Iona,
Ille an adhuc ſurdis auribus ordo manet?
Quid paret ille adeo iuſtis Huttenus in armis?
Quid bona Franciſcum turba ſequuta ducem?
Fallor, an aſpicio pedicas Aleandron habentem?
Te cupere in uinclis poſſe Marine mori?
Quicquid id eſt, niſi mens Hutteni animoſa feſellit,
O minor infauſtum perdita Roma tibi.
Perdita Pontifici poſtquam data ſerua Tyranno,
Eheu de quanto culmine lapſa iaces.
Quam libertatem cunctis dare Roma ſolebas,
Aſpice te infœlix quàm nihil huius habes.
Heu ubi maieſtas? quo tanta potentia Romæ,
Totius arx orbis, quomodo fracta iaces?
Omnia ſic pereunt, etiam celſiſſima rerum,
Et nihil eſt iſto ſub Ioue ſemper idem.
Muſa redi, quo te iacis ultra ſepta, per iſtas
Ceu uepres quodam ſueta furore rapi?

Tantum iter ex animo tibi gratulor illud Iona,
Eſt quod præcipui nominis inde trahas.
Forſan ut obtrectet, ſicut ſolet omnia, liuor,
Hunc tu iamdudum ſpernere doctus eras.
Quis ſapiens coruos timeat crocitare moleſtos,
Dum quòd delectet progrediatur iter?
Dura ſibi infœlix ut ruperit ilia uenter,
Ridendum, plus quàm quòd mouearis erit.
Nam ſatis in pœnas ipſe eſt ſibi, ſeq́; dolendo
Euirat, & ſoli carnificina ſibi eſt.
Qui quoniam male ſemper agit, fugit aurea ſolis
Lumina, & in tenebris ſurdida talpa iacet.
Et quoniam placet hoc uitæ genus, imprecor illis,
Quod nunc ſunt miſeri, ſemper id eſſe queant.
Tu uero nullo inuidiæ perfuſe ueneno,
Non unquam miſeri ſordibus acte lucri,
Clare bonis animi, lingua, pietate, fideq́;,
Quod facis, ut facias, ſæpe diuq́; precor.
Quis ego nec uidi meliora negocia factu,
Nec quæ tu poßis aut prius, aut melius.
Tantum erat adſerto Martinum uincere Chriſto,
Te ſocium tanti muneris eſſe Vale.

AD HVLDERICHVM HVTTENVM
Equitem ac Poetam, ut Lutheri cauſam
adſerat, Elegia VI.

ELEGIA

ADſere nūc fortiſsime eques, doctiſsime uates,
Qua debes dextra uindice, quaq́; potes.
Adſere germanū iuuenis Germane Lutherū,
Te duce libertas noſtra tuenda fuit.
Libertas ſtrygibus quæ nunc oppreſſa Papiſtis,
Heu nimium longo ſeruit in exilio.
Hanc tu adeo toti per ſcripta uolumina mundo,
Queſtus eras aliquo non renuente premi.
Queſtus eras memini, ſuperi audiuere querentem,
Nulla ſed in terris auris aperta fuit.
Audierant ſuperi, ſuperos audiſſe putato,
Quaq́; iubent illi nitere, perge, rue.
En tibi laurentem nectit uictoria palmam,
Proxima de ſuperis hæc dea uiſa mihi eſt.
Arma manu capienda, quibus cadat hoſtis inaudax,
Præſidij in libris carminibusq́; nihil.
Arma manu cape noſter eques fortiſsime, nec te
Auxilijs uacuum poſſe manere puta.
Qua ſe cunq; aliquo pandit Germania tractu,
Accedent ſignis milia multa tuis.
Ipſe etiam inuictis aderit Franciſcus in armis,
Per quem Sigginga eſt nobilitata domus.
Hic nulli ueterum dextra uictrice ſecundus,
Præcipue hunc titulum laudis habere uolet.
Vos duo uaticinor Romanæ fulmina Peſti,
Fallere Chriſte ueta quem facis iſta loqui.

Sed te

Sed te præcipue ſpes noſtræ Huttene *morantur,*
Pars quia tu noſtri maxima nuper eras.
Scimus enim rudibus dum te metimur ab annis,
Illa animi quàm ſit uis generoſa tui,
Quàm fortis tolerare potens utriusq; laborem
Siue parens ueniat, ſiue nouerca tibi.
Quàmque etiam caſus uenias expertus in omnes
Quàm manus ingenium nobile prompta ſequi
Eya age noſter Eques, *tam dotibus aucte benignis*
Talem te populis fac precor eſſe fidem.
Nec tibi cum forti nimium res hoſte futura eſt,
Vincere qui tales audeat, ille poteſt.
Tu potes ingentes Heroas in arma ciere
Quæ poßint ipſos arma mouere Deos:
Ah pereant quos bella iuuant quæcunq;, nec ullum
Delectum armorum militiæq; tenent.
Hæc ſunt iuſta quibus faueat Germania bellis,
Quorum eſt, quæ perijt, maxima cauſſa fides
Hos Turcas, I uince prius Germane, quibus te
Tam ſeruire diu turpiter, an ne pudet?
Deinde alios Turcas quæres quos uincere poßis
Quosq; labor fuerit, uincere forte minor.
Sed tamen imbelles facile eſt ſuperare Cynædos.
Nil dederis, uicti iam tibi terga dabunt.
Namq; tuo quoties auro tibi damna tulerunt
Tu damni neruos, in tua membra, dabas.

Sed nec opus ueterem fuit hic renouare querelam
Tecum cœpta fuit fabula noſter Eques
Germanum nomen, libertatemq; iacentem
Erige, ad hoc facinus te tua fata uocant.
Addet imaginibus multum res iſta tuorum
Luminis, & ueſtrum nomen ad aſtra feret.
Quamuis nunc eciam clarum decus Huttenorum
Te duce iam terris arduiora colat,
Hoc tamen obſtantes inſtructior ibis in hoſtes.
Materiam nomen ſæpe timoris habet.
Sic ferus Auſonias fama quatit Hannibal urbes
Sic Troiæ fueras quantus Achille timor.
Sic ad Alaxandri timuerunt nomina gentes,
Nomine ſic eciam Scipio fortis erat.
Te quoq; ne dubita, iam nunc timet iſta malorum
Colluuies, duplex cauſa timoris erat.
Martia pugnantes animabant arma Camœnæ
Nec minus hac illa parte timendus eras
Aſpicis & quanto tibi nunc applaudat honore,
Vt pingat uultus patria noſtra tuos.
Fortibus Huttenus ſtat conſpiciendus in armis,
Eſt eciam uultu picta tabella minax.
Aude igitur generoſe animi, quem ſpreueris hoſtem,
Vincere, nec differ longius illud opus.
Muneris hoc, mihi crede, tui eſt, nec dignius ullum
Te fuit, hoc debes uelle, probare, ſequi.

Grande rudimentum iamdudum Huttene dediſti,
Nec leue pro fratris uulnere fulmen eras
Horum quid patimur regnum crudele tot annos?
Romula Germanos quid uorat aula lares?
Atq; utinam non ad uiuum deglubere pergant,
Quas placide Chriſtus paſcere iuſsit oues
Nempe doleremus multo minus, iſtaq; quæ nunc
Vulnera magna necant, parua ferenda forent.
Nunc non detondent tantum, ſed corpore toto
Quidquid ineſt uiui ſanguinis, omne trahunt.
Quare age, tot pudeat tales toleraſſe per annos,
Extremus pudor eſt qualibus eſſe pares.
Adſere ſuppreſſum patriæ uirtutis honorem,
Quas dare ſpes audes fac precor eſſe ratas
Hoc tuus ille animi uigor, & genitiua requirunt,
Nobilitas, uirtus, gloria, fama, fides.
Meq; fer hæc alacri ceu claſsica uoce canentem
Qua ſola potui parte uenire tibi.
Atq; utinam liceat, quoniam libet, eſſe in eisdem
Partibus in quas te noſtra Camœna uocat.
Non timeam forti gladios uibrare lacerto
Non agili clypeum ſuſtinuiſſe manu.
Crimine ſint alij, ſolaq; libidine fortes,
Pierides Reges inter, & arma uolant.
Atq; ita pro ſola Chriſti pietate tuenda,
Omnibus in Chriſto fortibus eſſe licet.

Viue decus gentisq́; tuæ, fideiq́; labantis
Spes noua, & hæc oro conſule ſcripta boni.

IN HIERONYMVM EMSERVM LV*theromaſtiga, Inuectiua* Eo*bani* Heſ*ſi.*

NVnc age, qui nuper miſerande Emſ*ere ſolebas*
Nomen ad hoc fieri pallidus, iſta uide.
Si uel ad huc ſpiras, necdum te peſtis iniqui
Liuoris totum conficit, iſta uide
Namq́; ego mirabar, qui poſſes uiuere, talis,
Tamq́; mali ingenij, conſcius ipſe tibi.
Inuenies quæ te crucient magis, iſta legendo,
Quæ canimus tali carmina digna uiro
Carmina, non quales uerſus tu nuper ineptos
Iactabas, nec adhuc te pudet eſſe tuos.
Dic age per Muſ*as, quas tam canis inter amicas,*
Tam fractæ ratio quæ tibi frontis erat?
Auſus es inuictum ſcriptis tentare Lutherum
Quàm non ex animo res cadet iſta tibi.
Quantas ille tuo pœnas de crimine ſumet,
Quantas nos iſtum turba ſequuta ducem.
Non impune feres Capricorne *impure, nec ullo*
Quod placeat doctis nomine dignus eris.
Attamen ingenio cantabere prædite, quale
Zoilus infœlix omnis habere ſolet.

In tua certatim conſurgent nomina Muſæ,
Quæ patrios colles noſtraq; rura colunt.
Præterea accedent uenabula, multa canum uis,
Nam ferus Aegoceros exagitandus erit.
Monſtrum informe, ingens, animi cui lumen ademptū
Non poteras aliqua luce uidere diem:
Nate ſub infami Stygiæ caliginis umbra,
In patria decuit te latuiſſe tua.
Talia nec Superum miſcere uenena per orbem
Qualia ſint capiti plus nocitura tuo.
Nam quæcunq; Deos contra ſpuis aëra in altum,
In barbam recident ſtulte Poëta tuam.
Hoc etenim uelles (ſi dijs placet) eſſe uideri
Quod, ſi uis dicam, quàm uideare parum,
Vt tua Lutherus nuper ſtupida arma repreßit,
Rancida claudebas carmine ſcripta breui.
Neſcio quæ uomeres lutulento probra Luthero
(Hac tibi tum uiſus uoce notandus eras)
Addideras non eſſe tamen, nec poſſe uideri
Carmina uel ſcabiem, uel tua paſſa lutum
Quæ quia tam miſere commendicata, ſonabant
Pene nihil præter, dic lutulente Luther.
Si quis ab exemplo quo tu præludis, idipſum
In te conijciat, qua rogo fronte leges?
Dic ſcabioſe caper, quæ te tam Muſa beatum
Prodidit in lucem, dic ſcabioſe caper?

Dic ſcabioſe caper,quæ ſunt tibi tam ſtolidum res
Quæ faciunt animum? dic ſcabioſe caper?
Dic plus quàm ſcabioſe caper,num turpiter actæ
Militiæ pudeat? dic rabioſe caper?
Et ne te referam,dic quid ſis,hircus,an hœdus?
Sed ſi nec caper es,nec capra,dic ſcabies.
Quæris?an agnoſcis tua ſomnia? talibus autem
Auſus eras nugis eſſe Poëta caper?
Ipſe quidem luſum ſemper tua ſcripta putabam
Quod mihi tam ſero ſeria noſſe datur.
Stringebamq; breues,taciturus ad omnia chartas,
Hæc ſtudia edoctus deſidioſa ſequi
Irruit Aegoceros et in hæc, & in illa bonorum
Ocia,trux oculis,cornibus,ore minax.
Quem primum ut uidi,quæcunq; per auia captus,
Ingenium dixi non habet iſte caper.
Certior iratum factus ueniſſe Luthero,
Tum quoq; nil contra dicere,certus eram.
Donec (ut eſt animal) quo non petulantius ullum,
Auſum ultra nimium ſepta ſalire fuit.
Dij tibi ſint hoſtes caper improbe, quære quibus tu
Vel placeas,uel te noueris eſſe parem.
Nos tua ridemus,ſicut uerißima iactas
Somnia,quæ gelidæ uix meditentur anus.
I modo,nec ceſſa,noſtrum contemne Lutherum
Illius hoc ipſo gloria maior erit.

Tu neq; confringes quod conſtruit ille, nec unus
Cum ſis, tot contra milia ſtare potes.
Stulte, uides ne tuas oppugnari undiq; partes,
Te niſi ab ignauis agmina, nulla ſequi?
Nos in bella duces certum eſt educere plures,
Quàm te lixarum cogere poſſe gregem.
Quare age, ſi quicquam uel ad huc ſapis, exue mentē
Inuidia, quæ te non ſinit eſſe tuum
Vt rumpare miſer, nihil hic Emſere nocebis,
Non curant nebulas fulmina iacta leues.
Immenſum turge, medius tamen ante crepabis,
Quàm minime hic laudem partis habere queas.
I, pete quam iactes uetita de fronde coronam,
A uetito qua tu fuſte abigaris erit.
Diſce miſer quàm ſis miſer, & ſine mente, nec ultra
Quàm tua permittat flaccida pluma uola.
Ne dum ſydereo placeas tibi proximus orbi,
Deſtituant alas cerea uincla tuas
Ne male Phœbææ dum tentes frena quadrigæ
Fulmine deiectum te fleat orba ſoror.
Nam quicunq; ſuas uires non nouerit, illum,
Quæ temere ſumpſit pondera, ſæpe premunt
Diſce igitur non eſſe parem te fortibus iſtis,
Atq; tuo menſus te pede, cautus abi.
Et mihi conſilio pro tam grata re fideli,
Quà poſſes, docui, rectius ire uiam

Poſtmodo ſi perges, non me monitore, caucbis,
Quæ tibi ſunt alia tæla futura manu.

AD AVTORES LVDI
Vuittenbergæ in Ca=
prum æditi.

FInieram, clauſiq; breuem tibi amice libellum
Hirce, nec ulterius te moniturus eram.
Inuenio exhibitū quendam, ſine nōmine, Ludum
Albi quid eſt? quare ſic latuiſſe uoles?
Sed quia ſaſſa ſuas eſt VVittenberga Camœnas,
Nón potes autorem diſſimulare liber,
At pugnæ ratio quid uos iuuat iſta, latenti
Semper in has laruas mittere tæla manu?
Perge age mi uates Erichuntide nuper ab ora
Heſſum nulla diu Muſa latere poteſt
Pergite Muſæi, decora immortalia regni
Nos erimus ueſtræ pars quota militiæ.
Atq; iſtos, uobis ducibus, ſternemus onagros,
Sordida monſtra, hircos, ægocerotas, apros.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google